PRESENTED

TO

THE UNIVERSITY OF TORONTO

BY

THE UNIVERSITY OF STRASSBURG,

GERMANY.

JANUARY 10TH, 1891

Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/deaedilibuscolon00otto

HR
O

EVERARDI OTTONIS,

JCti & Anteceſſoris,

DE

ÆDILIBUS
COLONIARUM
ET
MUNICIPIORUM

LIBER SINGULARIS.

IN QUO

pleraque, ad veterem Politiam municipalem pertinentia, explicantur.

EDITIO SECUNDA.

Ex Bibl.
D. Wenig



LIPSIAE,

Apud JOH. MICH. TEUBNERUM,

MDCCXXXII.

K.U & L.B.
STRASSBURG

12250
14/1/91

C

PRAEFATIO.

Nondum, Benevole Lector, abjeci conſilium Opuſcula mea Ædilitia perficiendi, quorum ordinem & οἰκονομίαν, ſi grave tibi non eſt, paucis accipe. Quum olim adoleſcens nobiliſſimam hanc juris partem diligentius mihi excolendam ſumſeram, rudimenta tirocinii depoſui in diſſertatione de Eunuchis, ad *l.* XXVII. §. 28. *D. ad legem Aquiliam*, in qua Ulpianus, & ſolus quidem, edicti AEdilium deperditi memoriam nobis ſervavit. Inde gradum feci ad *Ædiles Coloniarum & Municipiorum*; quia ex materia undique congeſta ſtatim animadvertebam, niſi accurate, qui in Urbe honore ſunt functi, ab his, qui fuerunt in Coloniis & Municipiis diſcernerentur, ſumma imis miſceri, & ſcopulos nobis poni, quos non temere quisquam ſuperarit. Poſtea animum ad Edictum AEdilium viarium applicui, unde libellus ſingularis, *de Tutela viarum publicarum* enatus eſt. Reliquum erat, ut in ipſius Operis principalis, itidem tripartiti, parte prima *Ædilium Curulium hiſtoriam* exponerem; tum titulos Pandectarum & Codicis, *de Ædilitio edicto*, notis perpetuis Philologicis & Criticis illuſtrarem; & deinceps *Syſtema juris Ædilitii* Theoretico practicum

* 2 ſub-

ſubjungerem. Verum neſcio, qui factum ſit, ut, dum parandis & digerendis in univerſo jure, quæ ad Auditorum meorum (quibus hac in vita nihil mihi prius, nihil carius eſſe debebat) utilitatem faciunt, incumbo, æſtus ille AEdilitius quodammodo deferbuerit; donec Bibliopolæ induſtrii omni ſtudio a me contenderunt, ut telam cœptam pertexerem, & primum quidem AEdiles coloniarum ſecundis curis recenſerem. Quid in hac editione, propemodum nova, nec ſingulis tantum paginis, ſed & ſeptimo capite aucta, præſtiterim, æquis arbitris dijudicandum relinquo. Meum vero non eſt ſilere, quod in tanta doctorum hominum, quantam ſuperior ætas tulit, annona haud defuerint, qui felice induſtria oſtenderint AEdiles Municipales, licet tenebris circumfuſos. Primus, quod ſciam, in lucem eos protraxit omnis politioris Jurisprudentiæ vindex & aſſertor, Jacobus Cujacius ad l. 18. C. de Decurion. Tum ſuppar huic, Barnabas Briſſonius, libro III. ſelect. antiquit. cap. 10. quibusdam noſtrorum, & aliorum teſtimoniis, in municipiis fuiſſe AEdiles, comprobavit. Poſt Guido Pancirollus, in tractatu de Magiſtrat. municip. peculiare caput 19. AEdilibus dedit; aliis tamen magis intentus,

tus, Auctoribus uſus eſt parciſſimis. Et hæc quidem cum olim litteris prodita eſſent, mirari ſubiit, recentiori ætate Juriſconſultos & Philologos repertos, qui σύρματα αἱρῆσι μᾶλλον ἢ χρυσὸν, noctisque diſpulſæ tenebras ſubſequi maluerunt. Alii etenim præter Curules, Ædilitii edicti conditores, noverunt nullos: Alii in Latinis tantum oppidis; Alii in Italia; Alii in provinciis etiam noſtros admiſerunt; ſed cum Quinquennalibus, vel cum Decemprimis eos confundentes: Alii denique eruditi Briſſonii caput illud, nullo ipſi honore habito, exſcripſerunt; quos æquius fuerat perpendere, *Obnoxii ingenii eſſe, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere: cum præſertim ſors fiat ex uſura.* Mihi ſemper plenum ingenui pudoris viſum fuit, fateri per quos profecerim. Hos inter autem minime ſua laude defraudandus eſt Valerius Chimentellius, JCtus & in Piſano Lyceo, dum viveret, eloquentiæ Profeſſor Clariſſimus, qui, ut marmori Piſano, *de Honore biſellii*, lucem daret, quædam non vulgaria de Ædilitate municipali inſperſit. Egerunt de eadem & alii hilarioris famæ Eruditi, quos ſuis locis indicavi, ſed aliud agentes: quin omnes per indicem tantum, & integra

meſſe, non ſpicilegio nobis relicto. Quapropter rem non prorſus occupatam, nec inutilem facturum me putabam, ſi impenſiore cura quæ in Juriſconſultorum veterum λειψάνοις, vel in aliis eruditæ antiquitatis monumentis, de AEdilibus coloniarum & municipiorum proſtant teſtimonia ſeligerem, componerem, &, quantum ingenio conſequi licet, illuſtrarem. Omnia vero, quæ huc pertinent, allata eſſe, qui ſpondeam? qui nec omnia, quibus pepercit vetuſtas, legi, nec omnes, licet maxime voluerim, evolvere potui. Plurima tamen exhibeo, neque intra pomoerium nata, nec in facili poſita; adeo ut & alius forte felicioris ingenii & induſtriæ majoris ſuum hic faceret illud Columellæ: *In magna ſilva boni venatoris eſt, indaganter feras quam plurimas capere: nec cuiquam culpæ fuit, non omnes cepiſſe.* Quod ſi vero quis a me requirat, cur ab his minorum gentium AEdilibus initium duxerim, & ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς, ut ille ait, pertractaverim; cum utique AEdiles Curules, quemadmodum fuerunt nobiliſſimi, maximi & ſpectatiſſimi, ſic etiam ſibi locum popoſcerint priorem? Illi reſpondebo, primos omnium mihi ab oblivione & ſilentio hominum vindicandos viſos fuiſſe AEdi-

les

les municipales, quod plurima caligine tecti & obſcuri, fatalis quaſi ſcopulus præſtantiſſimis ingeniis fuerunt. In Coloniis etiam multa veteris Reipublicæ, in Municipiis vero Romæ, in Cæſarum poteſtatem redactæ, præclara adnotabam exempla, quibus AEdilium Curulium hiſtoria illuſtrari poſſit: & ambitus denique coloniarum, per omnes mundi tum cogniti partes, & rerum varietas principem ſibi locum depoſcere videbatur Omnia autem non caſu, ſed ordine certo proferre ſtudui. Promulſidis loco quædam non pertrita, de Coloniis & Municipiis, eorumque Magiſtratibus, inprimis de AEdilium neceſſitate rationes & exempla quam plurima appoſui; quo municipia, in quibus adhuc magiſtratus ille exulat, hac velut facula, ad eum conſtituendum, accenderentur. Tum quæ in etymo vocis AEdilis, ejusque ſynonymis, obſcura ſunt plana facere conatus ſum; & Decuriones ex Ordine ſuo AEdiles eligentes; & hos, qui ab AEdilitate immunes habebantur; & Judæos atque Chriſtianos, AEdilitatem fugientes, quantum ſatis eſt deſcripſi. Dein, vario Ædilium genere propoſito, ſingula diſtincte munera: curam ædium, balneorum & viarum civitatis; inſpectio-

 nem

nem annonæ, rerum venalium & menſurarum: ludorum item ſcenicorum, Circenſium & gladiatoriorum editiones inſanis ſumtibus adornatas explico. Poſtremus denique locus quæ ad dignitatem, jurisdictionem, poteſtatem, & privilegia eorum pertinent, complectitur. Habes ſummam operis, non inutilis quidem & jucundi, ſed locorum aliquot aſperitate moleſti: in quorum explicatione ſi forte offendero peregrinus humanitatis ſectator, Viri boni ultro ignoſcent, & per tot urbes, immo terrarum orbem properanti, in multos incurſare, alicubi hærere, alicubi labi neceſſum fuiſſe perpendent. Ceteros autem, qui rudi & pædagogica cenſura ſibi tantopere placent, eorumve ſimias muſſitantes, nihil moror; ſed Cl. Huberi orationem *de Pædantiſmo* ipſis aliisque, hujusmodi febriculoſo affectu agitatis, ex animi ſententia commendo. Trajecti ad Rhenum MDCCXXXII.

Dedi-

Dedicatio primæ editionis.

ILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO

V I R O,

CHRISTIANO THOMASIO,

JURISCONSULTO, POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CONSILIARIO INTIMO, DIRECTORI ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ, ANTECESSORI JURIS PRIMARIO, ET FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO, DOCTORI SUO

PERENNEM FELICITATEM!

EA, Vir Illuſtris, ſæculi noſtri eſt felicitas, ut maſcula Juriſprudentia caput extollat indies, & acrius altiusque, quam quidem antehac factum eſt, in majorum ſcita inquiratur. Sunt tamen, qui ſpretis fontibus ad impuras lacunas aquatum eant, ranci-

dis Doctorum eduliis, variarumque opinionum ſilvis cum maxime ſibi placentes. Pecus Arcadicum, qui frugibus inventis glande veſci gratum habent, bonasque litteras, ceu infra pecuniam poſitas, tam gravi ſupercilio damnant, ut omni humanitati capitale eos odium indixiſſe putes. Alii contra corticem frangunt, de nucleo parum ſolliciti. Hi ſcrupuloſas formularum ſubtilitates ſectantur nimium, & omne jus civile, præter Romanum, inconditum clamitant, ac pæne ridiculum: Trebatium loquuntur, & Caſcellium, & Alfenum, & Auruncorum Sicanorumque jamdiu leges ignotas, quo altius callere videantur; ſi vero difficilis juris articulus enodandus eſt, obmutescunt Tertium genus eorum facio, qui rebus in primis ſtudent, verborum autem & antiquitatum ita curam habent, uti ex his optima quævis, ſive ad intellectum artis, ſive ad indicandam juris Romani & Patrii differentiam neceſſaria, colligant, legum & conſuetudinis ejus, qua Principes & privati in civitate utuntur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cavendum periti. Horum in claſſe, quisquis ex vero rem æſtimat, tibi merito principatum defert, Vir Excellentiſſime; qui non minus elegantioris jurisprudentiæ ſacra veneraris & facis, quam patriis legibus & inſtitu-

ſtitutis ſuum ſtrenue honorem vindicas: adeo ut ſperare fas ſit, te duce & auſpice, priſtinum his pondus, velut poſtliminio, reſtitutum iri. Subtili inveſtigatione, in pulcherrima etiam Jurisprudentiæ facie, aliquot nævos inveſtigaſti. Bicipitis arcana Papatus, ejusque damnati reliquias mirabili prorſus acumine in apricum profers: errores pragmaticorum inveteratos perſtringis: multa abſtruſa referis, omnigenaque eruditione ita te exultum oſtendis, ut hæc Plinii junioris de Ariſtone Jurisconſulto verba, de te uſurparim ſæpius, & nunc uſurpem: " Nihil eſt illo gravius, ſanctius, " doctius: ut mihi non unus homo, ſed litteræ ipſæ, omnesque bonæ artes, in uno homine ſummum adire periculum videantur: " Quam peritus ille & privati juris & " publici? quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet? nihil eſt, quod diſcere velis, quod ille docere " non poſſit: mihi certe quoties aliquid abditum quæro, ille theſaurus eſt. Jam " quanta ſermonibus ejus fides? quanta auctoritas? quam preſſa & decora cunctatio? quid eſt, quod non ſtatim ſciat? & " tamen plerumque hæſitat: dubitat, diverſitate rationum: quas acri magnoque judicio ab origine cauſſisque primis repetit, " diſcernit, expendit. Ornat hæc magni-

"tudo

" tudo animi, quæ nihil ad oſtentationem, " omnia ad conſcientiam refert: recteque facti, non ex populi ſermone mercedem, ſed " ex facto petit. In ſumma, non facile quisquenquam ex iſtis, qui ſapientiæ ſtudium " habitu corporis præ ſe ferunt, huic viro " compararit." Virorum maxume, pars ignominiæ foret, ſi, quod in hujusmodi ſcriptis fieri ſolet, laudum tuarum præconia inſtituerem: raras enim animi Tui dotes miratur, qua patet, eruditus orbis; ſuſpicit Aula; ſtupet ſtudioſa cohors; loquuntur ſcripta, quibus errorum quot domueris monſtra, haud ingrata poſteritas judicabit. Alii, in virtutum tuarum cenſu, æquitatem, moderationem &, in hac Muſarum arce ornanda atque fovenda, prudentiam prædicent: hoc unum de me affirmare liceat, neminem eſſe, quem aut eminus coluerim magis, aut nunc cominus, perceptis tot benevolentiæ notis, obſervem diligentius. Per te virtutum exempla peto; tua condo & compono, quæ aliquando firmatior factus depromere poſſim.

Dii majorum umbris tenuem, & ſine
pondere terram,
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco!

Quod

Quod ſi Pactolus mihi flueret, ac res ſanctiſſima, civilis ſapientia, pretio nummario ſatis digne æſtimari poſſet, de alia remuneratione cogitarem: at quum Muſarum opes magis tibi cordi ſint, ex illis hoc qualecunque grati animi hoſtimentum Celeberrimo nomini tuo, ex formula antiqua, do, dico, addico. Suſcipe illud eodem, quo me hærentem ſæpe excepiſti vultu, gravioribus licet curis impeditus. Qui inerunt errores corrige, mone, doce: ſi quid vero bonæ mentis deprehendes, id adverſus blennos & buccones, quorum hoc ſæculum nimis ferax eſt, qua polles, auctoritate defende. Sic operæ curæque pretium ponam, & ingenio ex his ſtudiorum amœnitatibus promtior redditus, utiliora fortaſſis, Deo juvante, audebo. Is vitæ fons det tibi eam ætatem, quam mereris; ut diu ſuperſtes ſis Regi, Academiæ & celeberrimi nominis tui cultoribus, quos inter me vel præcipuum cenſe. Dabam Halæ Magdeburgicæ, pridie Nonarum Septembris CIↃ IↃCCXIII.

VIRI

VIRI PLUR. REVERENDI ET CLARISSIMI,

WILH. NEUHUSII,

S. Theol. Doct. & tunc in inclyto Hammonenſium Athenæo Philoſoph. Eloq. & Hiſt. Prof. P. nunc in illuſtri Duisburgenſi Academia Prof. Theol. ord.

CARMEN.

Ottonis Liber erudite ſalve,
Salve, deliciæ politiorum,
Quos Orbis fovet & colit, Virorum;
O ſalve deciesque milliesque.

Audes judicii ſubire limam,
Auctoris clypeo beatus; audes
Livoris fatui fugare fulmen,
Nec quidquam metuis tenebricoſi,
Plenus luminis, editus tot inter
Halæ lumina gemmeoſque Soles.

Nam dilecte Liber, Liber probate,
Totus lacteola notande gemma,
Quavis parte tui placebis: ori
Lectoris mera mella, naribuſque
Pallentes violas roſaſque vernas,
Et cœli jubar ingeres ocellis,
Arrectæque melos parabis auri
Orphea fide dulcius, nec ipſo
Diceris rigidus feroxque tactu;
Verum blandior anſeris medulla, &
Caſtæ mitior oſculo puellæ.

Ergo,

Ergo, docte liber, trahes volentes
Invitoſque trahes; erit caterva
Lectorum tibi conſecrata: ſicut
Hyblæas thymus allicit volucres,
Et ſparſo procul has odore captat.

Quam ſuaveis epulas dabis palato!
Non informe chaos, malæve crambes
Bis coctæ ſaniem, ſed erudita
Et non cognita vilibus labellis,
Promes fercula maximi ſaporis;
Convivaſque tuos jubebis inter
Ædiles veteris ſedere Romæ.

Hic diſcrimina multa nos docebis,
Vrbis nempe alios, & Oppidorum
Ædiles alios fuiſſe dices,
Sed qui Legibus haud minus decore
Romanis regerent ſuos colonos,
Horum munera multa non ſilebis.

I nunc alitibus Liber ſecundis,
Qua late patet eruditus Orbis,
Applauſuſque merere Doctiorum.
I felix, liber, & tuo Parenti
Immortale decus parare perge,
Fortunæque beatioris auram.
Illi culte Liber faveto, & illum,
Vt Reſpublica Virgineſque Muſæ
Florentes vigeant & augeantur,
Ædilem facias brevi Curulem!

ELEN-

ELENCHUS
CAPITUM.

CAP. I. *De Coloniis & Municipiis pag* 1.
II. *De Magiſtratibus coloniarum & municipiorum.* 44
III *De Ædilium neceſſitate & frequentia.* 76
IV. *Grammaticalia quædam ad vocem Ædilis, ejusque Synonyma Græca.* 104
V. *De his, qui Ædiles creant, & ex quo ordine creati.* 135
VI. *De his, qui ab Ædilitate excuſantur.* 163
VII. *De Judæis & Chriſtianis, Ædilitatem fugientibus.* 216
VIII. *Varia Ædilium genera proponit.* 272
IX. *Ædiles curatores Civitatum.* 303
X. *Ædiles curatores Annonæ.* 339
XI. *Ædiles curatores Ludorum.* 367
XII. *De Dignitate Ædilium.* 400
XIII. *De Jurisdictione & Poteſtate Ædilium.* 434
XIV. *De Privilegiis Ædilium.* 493

DE
ÆDILIBUS
COLONIARUM
ET
MUNICIPIORUM.

CAPUT I.

De Coloniis et Municipiis.

I. *Coloniæ quid ſint, & quomodo deductæ. Quæ earum conſtituendarum utilitas. Velleji judicium improbatur. Paulus in l. XI. D. de evict. & Ulpianus in l. 15. D. de R. V. illuſtrantur. Varia coloniarum genera.* II. *Municipiorum alia origo, quam coloniarum, eorumque diverſitas in ſuffragio & honoribus Romæ obeundis. Paulo lux ad Philipp. cap. 3.* III. *Coloniæ à municipiis differunt ſacris. Dii*

 muni-

municipales & Genii coloniarum. Lucas in Actis & Seneca explicantur. Aliarum gentium coloniæ cum Romanis collatæ. Sigonius plus ſemel reprehenſus. IV. *Differunt etiam legibus. Dionyſius excuſſus. Lex Carſeolana, Tuſculana &c. Jura municipiorum varia. Gellius contra Dodwellum defenſus. Quid ſit populum fundum fieri, quid Lex municipalis, in rubrica D. ad municipalem; contra Cujacium.* V. *Coloniæ cur toties municipia vocentur, nominibus confuſis. Quando diſcrimen illud ſublatum ſit. Colonia pro habitatione. Varronis lex colonica. l. 4. D de rer. diviſ. emendata. Campanorum & Puteolanorum varia conditio. Mens Ulpiani in l. 1. D. ad municip. & Taciti aliter, quam vulgo explicata.*

Quod ſi prolixiores, tituli noſtri occaſione, de Coloniis & Municipiis commentarios adornare inſtituerem, ſtatim in limine aberrare a via, & ſoli faces addere merito videri poſſem: quandoquidem ea opera Viri omnium antiquitatum peritiſſimi, Carolus Sigonius, Onuphrius Panvinius, Marcus Velſerus & noviſſime Ezechiel Spanhemius, ſummo ſtudio ac tanta eruditione perfuncti ſunt, ut nobis, præter eorum diligentiæ ac

ac ſingularis judicii laudationem, nihil fere ſuperſit. Omnino tamen argumenti noſtri ratio poſtulat, ut quæ coloniarum & municipiorum fuerit conditio paucis attingamus; ſine eo enim nulla ratione aut via noſtra proficiſcetur oratio, nec omnibus quid ſit, de quo agatur, pateſcet. Sequemur autem hac in re præeuntem Aulum Gellium, qui ex celebri illa, & ab Ulpiano in *l.* 1. *D. de cenſibus* laudata oratione, quam Hadrianus Imperator in Senatu habuit, uti a municipiis coloniæ differrent, his verbis ſcriptum reliquit, lib XVI. Noct. Att. cap. 13. *Municipes*, inquit, *ſunt cives Romani ex municipiis, legibus ſuis & ſuo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla populi Romani lege adſtricti, ni in quam populus eorum fundus factus eſt.* Et ſtatim: *Sed Coloniarum alia neceſſitudo eſt: non enim veniunt extrinſecus in civitatem, nec ſuis radicibus nituntur: ſed ex civitate quaſi propagatæ ſunt, & jura inſtitutaque omnia populi Romani, non ſui arbitrii habent.* Sunt ergo Coloniæ cœtus hominum, publica auctoritate, ex Urbe in locum certum ædificiis munitum deducti: vel potius oppida propagata ex Urbe Romana, civibus

paganis vel militibus deductis ad condendam novam urbem, vel ad ſupplendam veterem. Nomen tulerunt a colonis, quos populus Romanus ex SCto, vel Princeps in ea loca mittebat: hi vero ab agro colendo, quod princeps eorum officium, dicti ſunt. Siculus Flaccus de condit. agr. pag. 2. *Coloniæ*, inquit, *dictæ ſunt, quod populi Romani in ea municipia miſerint colonos.* Hyginus de limit. pag. 159. *ab agrorum novæ dedicatione culturæ colonias appellaverunt.* Quapropter Veteres coloniam ducere, vel agros aſſignare, & IIIviros, Vviros, Xviros, XXviros coloniæ deducendæ, vel agro dividundo promiſcue dixerunt. Hinc etiam in nummis colonicis aratrum, aut bos, aut colonus boves aratro junctos agens, aut vir nudus ſaccum humeris geſtans, tanquam coloniæ ſymbolum conſpicitur. Inchoabantur, ut alia omnia domi militiæque, auſpicato, adhibitis ſacrificiis, & legitimis verbis. Tertullian. de pallio cap. 1. *Mœnia Statilius Taurus impoſuit: ſolennia Sentius Saturninus enarravit:* tum quidam, Gabino cinctu velatus, terminos aratro deſignabat, quo mœnia ducerentur, aut, ſi muri jam eſſent, territorium circulo circumſcribebat; unde omnes coloniæ ab orbe vel urbo Urbes dictæ ſunt. Præclara eam in rem exſtat inſcriptio Gru-

Gruteri pag. 199. n. 5. QUA ARATRUM DUCTUM EST. Pulchra etiam Catonis in Originibus verba producuntur a Servio ad V. Æneid. vſ. 755. *urbem deſignat aratro*, quæ adſcribere non piget: *Conditores civitatis taurum in dextram, vaccam intrinſecus jungebant, & incincti ritu Gabino, id eſt, togæ parte caput velati, parte ſuccincti, tenebant ſtivam incurvam, ut glebæ omnes intrinſecus caderent: & ita ſulco ducto loca murorum deſignabant, aratrum ſuſpendentes circa loca portarum.* Cicero quoque, ubi in Antonium invehitur, quod ducta colonia Campanum territorium nimis minuerit, ita infit Philipp. II. cap. 102. *Tu autem inſolentia elatus, omni auſpiciorum jure turbato, Caſilinum coloniam deduxiſti, quo erat paucis ante annis deducta, ut vexillum videres, & aratrum circumduceres: cujus quidem vomere portam Capuæ pæne perſtrinxiſti, ut florentis coloniæ territorium minueretur.* Cur autem tauro & vacca ad aratrum junctis mœnia ſint deſignata, ejus rei non aliam rationem invenio, quam quod idem Romuli in Roma condenda fuerat inſtitutum: hic autem ritum ſumſerat ab Etruſcis, quibus Ceres Dea urbibus condendis præfecta, & bos vel taurus terræ fertilis hieroglyphicum, juxta cum aliis gentibus, forte habebatur. Vide

Varon. lib. IV. de L. L. Ovidium lib. IV. Faſt. vſ. 819. & Fabrettum de col. Traj. c. 6. pag. 152. ubi ex nummo & marmore aratorem, ſed, quod mercem ſuſpectam reddit, cinctu Gabino non velatum, depingit, qui

premens ſtivam deſignat mœnia ſulco.

Auctor coloniarum deducendarum fuit Romulus, qui quarto ab Urbe condita anno hunc morem inchoavit; Reges, Conſules, Dictatores & Triumviri continuarunt, ac Imperatores, per omnes mundi tum cogniti partes perduxerunt; ut in ſola Italia quinquaginta & centum, in Africa circiter ſexaginta, in Hiſpaniis triginta, paulo minus in Galliis, & ſic porro in ceteris provinciis numeret Lipſius de magnit. Rom. lib. I. cap. 6. quocum Sigonius jungatur lib. II. de ant. jure Ital. cap. 5. & lib. III. cap. 4. utet ad Liv. lib XXVII. cap. 9. ubi vetuſtiores colonias ſat multas enumeravit; Spanhemius autem, ſe centum circiter & viginti extra Italiam nummis illuſtraſſe, ſcribit diſſ. XIII. de Præſt. & uſu pag. 598. Jam vero, mi Lector, de utilitate & juſtitia coloniarum ſi quæras, non idem omnibus videtur. Vellejus Paterculus inter pernicioſiſſima Gracchi habet, quod extra Italiam colonias poſuerit, lib. II cap. 15. nec deſunt alii, qui ſummæ ini-

qui-

quitatis damnent, quod victi, qui nullo ſæpe crimine ſeſe macularunt, avitis ſedibus pelluntur; quem gurgitem calamitatum Lipſius perſtringit, de conſtantia lib. II. cap. 23. E contrario Dionyſius Halicarnaſſeus lib. II. Antiq. cap. 16. nihil ea re ad libertatem firmandam, vel ad propagandum imperium accommodatius fuiſſe exiſtimavit, & Claudius Imperator apud Tacitum lib. XI. Ann. cap. 24. *Tunc ſolida domi quies*, inquit, *& adverſus externa floruimus, cum Tranſpadani in civitatem recepti, cum ſpecie deductarum per orbem terræ legionum, additis provincialium validiſſimis, feſſo imperio ſubventum eſt.* Inter Veteres quoque Ariſtoteles ſingularem de Coloniis librum ad Alexandrum ſcripſit, firmandæque ditioni, nuper armis partæ, nihil utilius eſſe monuit, quam ſi gentes, lingua & moribus diſcretæ, connubiis, commerciis, & amicitia inter ſe jungantur. Inter recentiores item Machiavellus Principi ſuo cap. 3. conſilium dat, ut in unum aut alterum locum regionis, ſub jugum redactæ, veluti claves, & vice præſidii militaris, colonias fideles mittat, minus impendii habituras. Idem Conringio in notis ibi ſedet, ſi deductio caute inſtituatur, & Lipſius lib. IV. Polit. cap. 7. victori colonias ſuggerit, veras *ſe-*

des ſervitutis, ut Tacitus vocat Agric. c. 16. Enimvero cum raro, aut nunquam, cum victoribus victi ſolida fide coaleſcant, nihil tuendo & amplificando imperio magis idoneum Romanis viſum fuit, quam ejusmodi coloniarum miſſiones: quæ, velut totidem arces ac perpetuæ ſervitutis compedes, rebelles provinciarum urbes in obſequio retinerent, rudes populos ad officia legum & artium traducerent, ac hoſtis vicini molitiones ſpecularentur. Cicero Philipp. V. cap. 11. de Mutina: *Quid intereſt, utrum hanc urbem oppugnet, an hujus Urbis propugnaculum, coloniam P. R. præſidii cauſſa collocatam?* Ad hæc nimia, qua Urbs laborabat, multitudo, turbulenta fæx & ſentina plebis, quæ cenſui ſolvendo non ſufficiebat, arcano hoc conſilio exhauſta, atque ad opus faciendum & augendam ſtirpem in urbes vacuas traducta eſt. Idem lib. I. ad Att. ep. 16. Livius lib. XXVII. cap. 11 *in colonias atque in agrum bello captum ſtirpis augendæ cauſſa miſſos.* Tertullianus de anima cap. 30. *Solennes etiam migrationes, quas* ἀποικίας *appellant, conſilio exonerandæ popularitatis, in alios fines examina gentis eructant.* Quid? quod & veterani, militiæ diuturnitate feſſi & vulneribus debiles, equites pediteſque, certa laborum præmia in agris divi-

diviſis haberent, ac milites legendi ad nomen propenſius dandum, lecti vero ad fortiter pugnandum hoc pacto incitarentur. Sic Paulus in *l. XI. de evict.* ait: *in Germania trans Rhenum, poſſeſſiones ex præcepto Principali, partim diſtractas, partim veteranis in præmia aſſignatas eſſe.* Præceptum autem intelligi poteſt vel Antonini Pii, qui ferociſſimos Germaniæ populos armis domuit, auctore Pauſania in Arcad. pag. 273. vel Antonini Caracallæ, qui ſubactis Germanis Germanicum ſe appellavit, apud Spartian. ej. vita cap. 5. & 10. Eodem imperante Ulpianus in *l.* 15. *§.* 2 *D. de R. V.* ſcribebat: *ſi forte ager, qui petitus eſt, & militibus adſignatus eſt, modico honoris gratia poſſeſſori dato.* Ecce! Paulus veteranos vocat, Ulpianus milites addit; nimirum ſtipendia adhuc merentes, ut Arretinus ager militibus aſſignatus dicitur, apud Frontin. de colon. & Siculus Flaccus pag. 17. *militi veteranoque cultura aſſignat.* Mox Alexander, conditionem appoſuit, de qua Lampridius cap. 58. *Sola, quæ de hoſtibus capta ſunt, limitaneis ducibus & militibus donavit, ita ut eorum ita eſſent, ſi heredes eorum militarent:* ubi Caſaubonus in notis, poſt Lælium Taurellum, de militiis ex caſu fin. incunabula feudorum reperiri obſervavit,

 quæ

quæ ex Vopiſci Probo c. 16. Libanii orat. in mortem Juliani aliiſque latius explicari poſſent, niſi Jacobus Gothofredus pleraque occupaſſet ad *l.* 1. *C. Th. de terr. limit.* & ad *l.* 3. *C. Th. de veteran. tom.* 11. *pag.* 394. *&* 426. Mos ſane vetus fuit, ut viris fortibus agri particula pro honore daretur; eoque κληροὶ ἱππικοὶ, prædia equeſtria, ſine onere penſitationum pertinent, in Marmor. Oxon pag. 16. & 46. Romæ ab antiquo, uti Paulus ait, agri capti vel aſſignati in præmium, vel diſtracti fuere, maxime ſi, ut in Germania transrhenana, dubiæ eſſent poſſeſſionis. Apte Appianus notavit lib. I. de Bell. civil. pag. 353. morem fuiſſe Romanis, populos ſubjugatos *parte agri mulctare*: (modicum enim honoris gratia poſſeſſoribus datum, uti tria millia paſſus agri Mantuani apud Servium ad Ecl. IX. vſ. 10.) *reliquum vero quod erat culti agri colonis dividebatur, aut vendebatur, aut elocabatur.* Servius ad XII. Æneid. vſ. 359. *Conſuetudo erat, ut victores Imperatores agros militibus ſuis darent, ut in hiſtoriis legimus.* Quamobrem Julius Cæſar, maximo ad Pharſalum prœlio inſtante, ita milites ſuos affatur apud Lucanum lib. I. Pharſ. vſ. 343.

Quæ ſedes erit emeritis? quæ rura dabuntur?

Quæ

Quæ noſter veteranus aret? quæ mœnia feſſis?

& lib. VII. vſ. 257.

Hæc eadem eſt hodie, quæ pignora, quæque Penates
Reddat, & emerito faciat vos Marte colonos.

Multas vero hujusmodi colonias Auguſtus, inprimis quum, victo Antonio, orbis Romani Imperium occupaſſet, in Italia & in Provinciis inſtituit, cognomento Auguſtas vel Julias, de quibus Hygin. pag. 160. Dio lib. 51. & Sueton. lib. 11. cap. 51. ſunt adeundi. Hinc Vellejus lib. 1. cap. 4. duo coloniarum genera facit, unum paganarum, quæ Senatus juſſu ductæ; alterum militarium, quæ a Sylla primum, deinde ab Imperatoribus miſſæ, dignitatis gradu præ illis eminebant. Sic Hiſpalim Romanorum coloniam & clarum emporium Strabo vocat lib. III. pag. 141. ſed cui Bætis, quamvis non ſplendide condita, *honore & recenti militum a Cæſare miſſorum inhabitatione* præcellebat. Obſervat etiam Fabrettus de col. Traj. c. 1. p. 11. plebejas illas bove & vacca cum aratore in nummis exprimi; militares autem aquilis & ſignis; cum quibus integræ legiones olim deduci ſolebant, auctore Tacito lib. XIV. c. 27. Rurſus aliæ coloniæ vere ducebantur, ſalvis

vis tributis capitis, vel iis remiſſis, aliæ vero urbes, nullis acceptis colonis, nihil præter jus & nomen coloniæ habebant *l*. 1. §. 3. *l*. 8. §. 5. 7. *D*. *de cenſ*. In aliis porro ſoli cives Romani habitabant: in aliis milites deducti ſimul & veteres poſſeſſores, diverſo jure utentes: in aliis coloni & indigenæ iiſdem legibus Romanis adſtricti fuerunt. vid. *l*. 16. *D*. *de acq*. *rer*. *dom*. Maximum autem diſcrimen eſt, quod coloniarum aliæ erant *Latinæ*, quæ quidem omnium, quæ propria ſunt civium Romanorum, participes non erant; in quibuſdam autem, ut in jure mancipii, cenſu & tributis, pæne ad civium jura accedebant, jus etiam commercii habebant cum Romanis, & ſuis legibus utebantur. vid. Ciceron. pro Cæcin. cap. 33. Ulpian. tit. XIX. §. 4. & Boëth. ad lib. II. Top. Eaque eſt *Latinitas antiqua*, *quam in colonis miſſam*, ait Juſtinian. in *l*. *un*. *pr*. *C*. *de Latin*. *lib*. *toll*. & de qua infra cap. XIV. §. 3. agemus. Aliæ coloniæ erant *civium Romanorum*, quæ libertatis, connubiorum, teſtamentorum, dominii, tutelarum & ſimilia privata civitatis jura uſurpabant, publicis vero Quiritium juribus, ſuffragii & magiſtratuum Romæ petendorum erant deſtitutæ, niſi optimum jus civitatis impetraſſent, quod vix ullis colonis ante legem Juliam

Juliam patuit, a Lucio Cæſare latam A. V. DCLXIII. His acceſſerunt *Italicæ*, quæ privilegiis quibuſdam, in traditionibus nexi, in uſucapionibus, itemque in jure capiendi munitæ, plenariam quoque immunitatem a tributis ſoli, capitis atque publicorum munerum habebant: id quod ex *l. ult.* *§. 7. D. de Cenſibus* contra Cujacium lib. X. Obſ. cap. 35. erudite oſtendit Jacobus Gothofredus ad l. 1. C. Th. de jure Italico urbis Conſtantinop. & Joh. Strauchius de Beryto cap. II, num. 7. Tantum de coloniis.

§. II. Municipia vero erant civitates, a populo Romano in munerum civilium ſocietatem receptæ, quæ ſeparatam a Romanis rempublicam habebant. *l.* 18. *D. de V. S.* Enimvero cum populus Romanus primum per Italiam, dein per univerſum terrarum orbem, victricia arma circumferret, multæ civitates ei ſponte ſeſe addixerunt, &, civitate accepta, munerum participes factæ ſunt. Ea quoque Senatus Populique victoris erat prudentia, uti urbes bello victas non continuo in ſervitutem abriperent; ſed ſuas iis leges & mores relinquerent, aliquando etiam bene merentes civitate donarent, præſidium & propugnacula adverſus hoſtiles impetus futuras. Sic in Ponto Amiſenorum civitas legibus ſuis

ſuis utebatur, Luculli beneficio, Appian. de Bell. Mithrid. pag. 228. & Apamæa civitas, in Bithynia proconſulari Provincia, ſuo arbitrio rempublicam adminiſtrabat, ut Plinius nos docet lib. X. epiſt. 56. & 93. Seneca lib. v. de benef. cap. 16. *Urbibus claris jus integrum libertatemque cum immunitate reddere ſolita.* Rutilius lib. 1. Itin. vſ. 63. eandem Romam alloquitur:

Feciſti patriam diverſis gentibus unam,
Profuit injuſtis, te dominante, capi:
Dumque offers victis proprii conſortia juris;
Urbem feciſti, quæ prius orbis erat.

Præivit rurſus in præſtantiſſimo hoc inſtituto Romulus Urbis parens, qui, quod non vincere tantum, ſed & regere ſciebat hoſtem, plus parcendo victis, quam vincendo civitatem auxit, atque hoc potiſſimum modo animos, novarum rerum exſpectatione ſuſpenſos, ad benevolentiam conciliavit. Unde Dionyſius dicto libro II. cap. 17. eum hoc in genere tum Lycurgo & Soloni, tum cæteris Græcarum urbium conditoribus anteponit; & Claudius, in laudata oratione apud Tacitum: *Quid aliud*, infit, *exitio Lacedæmoniis & Athenienſibus fuit, quanquam armis pollerent, niſi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noſter Romulus tantum ſapientia valuit, ut pleroſque populos eo-*

dem

dem die hoſtes, dein cives habuerit. Inprimis autem Cicero idipſum magnifice laudat, in ea pro Cornelio Balbo cap. XIII. ubi verba ejus ſunt ſequentia: *Illud vero ſine ulla dubitatione maxime noſtrum fundavit imperium & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille creator hujus Urbis Romulus, fœdere Sabino docuit, etiam hoſtibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere. Cujus auctoritate & exemplo, nunquam eſt intermiſſa a majoribus noſtris largitio & communicatio civitatis.* At qui more iſthoc a Romulo tradito in civitatem recepti, cives Romani erant & dicebantur: fluxit autem exinde municipiorum conſtituendorum conſuetudo. Nam cum, Urbe a Gallis capta, Cæretes ſacra populi Romani ac ſacerdotes recepiſſent, publice cum iis hoſpitio facto A. U. C. CCCLXIII. conceſſum eſt, ut civitatis quidem honorem caperent, negotiis tamen juxta atque oneribus vacarent. Unde primi municipes *ſine ſuffragii jure* dicuntur. v. Livius lib. V. cap. 50. & Gellius lib. XVI. cap. 13. Neque enim his licebat Magiſtratum capere aut gerere, ſed tantum muneris partem, ut v. c. in bello Romanis legionibus mixti, tanquam cives Romani, non in auxiliis, ut ſocii, militare, ibique honores accipere communi jure poſſent. Carpit hoc

hoc Strabo lib. V. pag. 220. *Ac videntur*, inquit, *mihi Romani propter eos, qui tum* (cum Cæretanis civitas dabatur) *urbem male adminiſtrabant, non ſatis memores accepti beneficii ſe exhibuiſſe. Cum enim eis jus civitatis darent, inter cives tamen nomina eorum non retulerunt. Quin & alios, qui æquali jure cum civibus reliquis non fruerentur, in Cæretum tabulas rejiciebant.* Verum aucta hoc tempore Urbis erat potentia, amplificati fines, & major exactis regibus civitatis dignitas eſſe credebatur, quam ut cum aliis tota communicaretur. Hinc Sabinis etiam ſine ſuffragio data eſt civitas, Vellejus lib. I. cap. 14. eodemque jure Lanuvini, Aricini, Nomentani, Anagnini, Privernates & alii in civitatem accepti fuere. Conf. Livius lib. VIII. cap. 14. & Feſtus in voce *municipium*. Poſtea vero etiam *cum ſuffragio* municipia facta ſunt, quæ optimum jus civitatis, cenſus, tributorum & præcipuum ſuffragii honorumque Romæ petendorum jus habebant, &, ſi jus domicilii excipias, iisdem cum civibus Romanis beneficiis fruebantur. In his fuit Tuſculum, *clariſſimum municipium*, ut vocat Tullius pro Fontejo cap. 14. ei vero Romani *civitatem dare decreverunt, omnia jura, quæcunque indigenis civibus competebant, impertientes*, ut ſcribit

bit Dionyſius in Excerptis Valeſianis pag. 503. particeps ergo ſimul fuit honorum munerumque civilium, a quibus municipia nomen tulerunt. Diſerte Cicero pro Plancio cap. VIII. *Tu es ex municipio antiquiſſimo Tuſculano, ex quo plurimæ familiæ ſunt conſulares: in quibus eſt etiam Juventia, tot ex reliquis municipiis non ſunt.* Ex eodem erat Porcia gens, de cujus principe M. Porcio Catone idem Tullius lib. II. de LL. cap. 2. *Ego mehercule & illi & omnibus municipiis duas eſſe cenſeo patrias, unam naturæ, alteram civitatis: ut ille Cato, cum eſſet Tuſculi natus, in populi Romani civitatem ſuſceptus eſt. Ita cum ortu Tuſculanus eſſet, civitate Romanus; habuit alteram loci patriam, alteram juris.* Sic etiam ex aliis Italiæ municipiis, quæ cum ſuffragio erant, orti Marii, Julii, Coruncanii, Tullii, Scatinii, & qui non alii? ampliſſimos honores Romæ conſecuti ſunt, ut veterum monumenta teſtantur. Adi Ciceron. pro Sylla cap. 7. Plin. lib. VII. Hiſt. cap. 43. et Tacit. lib. XI. Ann. cap. 24. Enimvero publica ſuadebat utilitas, uti municipiis ſuffragii jus daretur: hac enim eſca ditiſſimi & nobiliſſimi quique ex Italia & provinciis in Urbem alliciebantur, ut ibi prætextati opes ſuas profundere, quam in patria togati eas

B poſſi-

poſſidere mallent. Docemur hoc oratione Claudii, quæ Lugduni æri inciſa: *Et. patruus. Ti. Caeſar. omnem. florem. ubique. coloniarum. ac. municipiorum. bonorum. ſcilicet. virorum. et. locupletum. in. hac. Curia. eſſe. voluit.* Sic ex municipiis Italiæ, quicquid uſquam egregium fuit, in Urbem proceſſit, ut gentium Romanarum appellationes, a patria deſumtæ, haud obſcure oſtendunt. v. gr. Gabinia a Gabiis, Atinia ab Atina, Saturia a Satura, Aricinia ab Aricia, & aliæ apud Reineſium, in epiſtola ad Rupertum pag. 236. & Perizonium animadv. hiſt. cap. 1. memoratæ. Italorum quoque honeſtiſſimi, extra Urbem habitantes, urbanos honores ſperabant, & jure ſuffragii Romæ gaudebant, ſi jus civitatis optimum adepti eſſent. Cæſar lib. VIII. de B. G. c. 50. *Municipia & colonias appellaret, quibus M. Antonii, Quæſtoris ſui, commendaret ſacerdotii petitionem.* Cicero lib. 1. ad Att. ep. 1. *In ſuffragiis multum poſſe Gallia* Ciſalpina *videtur.* Illud autem non placet, quod ad honores, a colonis provincialibus in Urbe obtinendos, nonnulli referunt, vocem πολίτευμα, reip. adminiſtrationem ſæpe notantem, qua bis ſanctus Apoſtolus, de civitate cæleſti agens, ad Philippenſes utitur cap. III. vſ. 20. ἡμῶν, inquit, τὸ πολίτευμα *in cœlo eſt.* Tertullianus

nus eam per *municipatum* explicat lib. III. adv. Marcion. cap. 24. *Apoſtolus matrem noſtram ſurſum deſignat; & politeuma noſtrum, id eſt, municipatum in cœlis eſſe pronuntians, alicui utique cœleſti civitati eum deputat.* & rurſus de corona cap. 13. *Sed tu peregrinus mundi hujus, civis ſupernæ Ieruſalem, noſter, inquit, municipatus in cœlis eſt.* Similiter Hieronymus idem Apoſtoli vocabulum in epiſtolis plus ſemel vertit, ut idem utrique eſſe videatur, ac ſi dixiſſet, ſumus municipes cœleſtes, & ut tales nos gerimus. Verum CL. Clericus, in notis ad Hammondum ad h. l. vocem *municipatus* adſpernatur; quia Chriſtianorum jus municipale eſt in terris, ſed civitas in cœlo, magisque πολίτευμα idem hic eſſe putat, quod πόλις, urbs, patria. Ego addam, quod urbs Philipporum, inde ab Auguſti temporibus, juris Italici colonia fuerit, uti ex Act. *XVI. vſ.* 12. *l.* 32. *D. ad SCt. Treb. l. 6. D. de cenſib.* etiam ex nummis & lapidibus conſtat. Sicut ergo Philippenſes in colonia ſua quidem habitabant, ſed patriam communem Romam habebant, ejusque leges ſequebantur, ita quoque Paulus ait, ipſos non terrena ſapere, ſed cœleſtia meditari oportere, ut cives cœleſtes decet. Ceterum, ut ad priora revertamur, multos munera petitum

Romam ſe contuliſſe, Cicero lib. IX. epiſt. 15. indicat, ubi queritur, in Urbem infuſam eſſe peregrinitatem, & braccatas Cisalpinasque nationes in Senatum eſſe receptas. Hinc etiam illis apud Tacitum indignantibus: *An parum quod Veneti & Inſubres curiam irruperint, niſi cœtus alienigenarum velut captivitas inferatur?* reſpondet Claudius dicto cap. 24. *Majores mei hortantur, uti paribus conſiliis Remp. capeſſam, transferendo huc quod uſquam egregium fuit.* Et: *Jam moribus, artibus, affinitatibus noſtris mixti, aurum & opes ſuas inferant potius, quam ſeparati habeant.* Addo Claudianum Stilicon. lib. III. vſ. 150. de Roma:

Hæc eſt in gremium victos quæ ſola recepit,
Matris non dominæ ritu, civeiſque vocavit,
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.
Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hoſpes:
Quod cuncti gens una ſumus.

§. III. Ex his ſatis, opinor, manifeſtum eſt, quam longe a municipiis coloniæ fuerint diſcretæ: ſive enim originem, ſive ſtatum & munera conſideres, ubivis differentia elucet. Coloni ſiquidem ex familiis Romani procreati, & extra urbem propagati, agrum procul colendum acquirebant: Municipes vero ex ſubditis civitati-

bus

bus inter Romanos aſſumti, ſuis radicibus nitebantur, muneris tantum capiendi participes. Sed clarius apparebit diſcrimen, ſi in utriuſque ſacra & leges animum intendemus, in quibus maximus civitatum character ſitus eſt. Municipia ſua retinebant ſacra, cum in civitatem reciperentur: id enim ut ipſis gratum, ita Romanis innoxium fuit viſum, auctore Agrippa apud Philonem pag. 1032. Aperte Feſtus id docet: *Municipalia ſacra vocantur, quæ ab initio habuerunt ante civitatem Romanam acceptam: quæ obſervare eos voluerunt Pontifices, & eo more facere, quo adſueſſent antiquitus.* Pulchrum exemplum præbet Livius lib. VIII. cap. 14. *Lanuvinis*, inquit, *civitas data: ſacraque ſua reddita, cum eo, ut ædes lucusque Soſpitæ Junonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano eſſet.* Atque ea eſt Juno peculiari figura inſignis, quæ corrupta voce *Lanumvina*, vel *Lanumviana* in inſcriptionibus vocatur, ad cujus flaminem prodendum, Milo legitur iter ſolemne & neceſſarium inſtituiſſe apud Ciceronem pro Milone cap. X. Idem lib. 1. de nat. deor. cap. 29. *Alia ſpecies Junonis Argivis, alia Lanuvinis. Et quidem alia nobis Capitolini, alia Afris Ammonis Jovis.* Adhæc in marmoribus vetuſtis multa ſacrorum municipalium fit mentio: so-

DALI. SACROR. TVSCVLANOR. inſcriptus eſt lapis apud Gruterum pag. CCCCLXXIX num. 6. SILVAN. II. VIR. BIS. FLAM. SACR. PVBL. MVNICIPAL. habes apud eundem pag. LXVI. 3. Tertullianus lib. II. ad. nat. cap. 8. ridet *Deos decuriones cujusque municipii, quibus honor intra muros ſuos terminatur.* Minucius, initio Octavii, *deos municipes*, Servius *deos topicos* vocat, qui ad alias regiones nunquam tranſeunt, ad lib. VII. Æneid. vſ. 47. SURRENTINI DEI meminit lapis Sponii in miſcell. ſect. III. pag. 114. alius DEI NEMAUS. apud Poldum in antiq. Nemauſ. pag. 180 DEUS PATRIUS NEAPOLIT. celebratur in ſaxo apud Capac. lib. I. Hiſt. Neapol. quem Cuperus Hebeonem, Reineſius Herculem eſſe cenſuit, cui CL. Burmann. in Præf. ad tom. IX. Theſ. Ital. part. 8. calculum adjecit. Coloniæ vero eadem, quibus a teneris adſueverant, ſacra populi Romani ſervabant, & ex urbe migrantes ſacrorum curatores ſecum ducebant, ut Cicero auctor eſt in agraria ſecunda cap. 35. *Huc iſti Decemviri, cum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, ſex Pontifices conſtituent.* Itaque & ſacerdotium Lupercorum in coloniis pariter ac Romæ fuit, quod inſcriptiones Præneſtina & Nemauſenſis docent,

in

in æterno opere pag. 347. 6. & 470. 6. Et ſicut Tiberius Collegium Auguſtalium ſacerdotum Juliæ genti Romæ ſacravit, teſte Tacito lib. I. Ann. cap. 54. ita coloniæ certatim eadem corpora inſtituerunt, quas inter Orta fuit; uti Juſtus Fontaninus de antiq. Hortæ lib. I. cap. 2. n. 5. ex duobus lapidibus oſtendit. Pauſanias in Corinth. lib II. *Deleta a Romanis Corintho, priſtinum ſacrificandi ritum coloni non retinuerunt: neque amplius illis pueri aut crinem tondent, aut atram veſtem induunt.* Sic denique Philippenſes, cum Paulus & Silas ſacra ſua prædicarent, in jus eos vocarunt, dicentes: *Annunciant ritus, quos non licet nobis excipere, neque uſurpare, quum ſimus Romani*, teſte Luca in Actis c. XVI. vſ. 21. Suum tamen quælibet colonia habebat Genium, a genio Urbis diverſum; ſic GENIO. COL. PVT. dicatur lapis apud Reineſium cl. I. n. 161. GENIUS LUGDUNI eſt in nummo Albini, apud Vaillantium. *Coloniæ genium* Tertullian. de idolol. cap. 22. *Genios civitatum & coloniarum* Arnobius lib. I. memorarunt. Nec mirum! nam, ut alia mittam, quæ nuper de geniis & diis localibus dixi part. I. de tutel. viar. cap. XI. & XIV. recte Prudentius lib. II. contra Symm. vſ. 444. cecinit:

 - - *Cur*

- - - Cur Genium Romæ mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, ſtabulis ſoleatis
Adſignare ſuos Genios, perque omnia membra
Urbis, perque locos Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra.

Inſignis igitur error eſt Caroli Sigonii, cum lib. I. de antiquo jure civium Rom. cap. 8. ſcribit, colonos Romana ſacra deſeruiſſe, eis ſervatis, quæ in locis, in quos perrexerant, colebantur. Argumentum vero, quod ab Cicerone petit, ficulneum eſt, ſatisque ab Henrico Noriſio, Viro erudititiſſimo, diſſertat. I. ad Cenot. Piſana cap. 5. deſtructum. Forte autem ejus ſententiam tuetur Seneca ad Helviam cap. 7. cujus verba appono: *Hic deinde populus quot colonias in omnes provincias miſit? ubicunque vicit Romanus habitat. Ad hanc commutationem locorum libenter nomina dabat: & relictis* aris ſuis *trans maria ſequebatur colonus ſenex.* Verum aras *ſuas*, ſive ſacra colonus relinquebat privata, quæ familiæ & gentis erant propria; publica non item: hoc pietas vetabat & neceſſitudo, qua urbi parenti erat devinctus. Juvat hanc ſententiam communis

nis omnium populorum mos, qui colonos conditorum ſuorum ſacris addicebat; uti ex antiquis auctorum & nummorum monumentis Ill. Spanhemius de Præſt. & uſu numiſ. diſſ. IX. abunde monſtravit. Sic Dionyſius Tyrrhenos negat Lydorum eſſe colonos, quod eosdem deos non haberent, lib. I. cap. 30. Strabo refert de Phocæenſibus, quod in coloniis ſuis primo loco Dianam Epheſiam coluerint, & ad ejus imitationem, ritus & ſimulacrum, prout in metropoli, inſtituerint, lib. IV. pag. 179. Eodem pertinet, quod Corcyræis Corinthios infenſos fuiſſe, ſcribit Diodorus, quia, more reliquarum coloniarum, ſacra patria Corinthum mittere neglexerant, lib. XII. Biblioth. cap. 30. De Agrigentinis Polybius lib. IX. cap. 21. *In ſummo vertice Minervæ ædes viſitur, & Jovis Atabyrii, ſicut apud Rhodios: nam quum Rhodiorum colonia ſit Agrigentum, jure merito hic Deus eodem nomine colitur, atque apud Rhodios.* Curtius ſuffragatur, lib. IV. cap. 2. *Carthaginienſium legati ad celebrandum anniverſarium ſacrum more patrio tunc venerant, quippe Carthaginem Tyrii condiderunt.* Apprime autem huc facit illud divini Scriptoris teſtimonium lib. II. Reg. cap. 17. ubi de colonis Aſſyriis, in Judæam deductis: *Fa-*

ciebant quæque gens Deos ſuos: quos collocabant in æde excelſorum, quæ fecerant Schomronitæ, quæque gens in civitatibus ſuis, ubi habitabant. Nam homines Babelis fecerunt Succoth-Benoth, & homines Cuthi fecerunt Nergalem: homines vero Camathæ fecerunt Aſchimam: Havæi autem fecerunt Nibchanem & Tharthakum: & Sepharvæi comburebant filios ſuos Adrameleco, & Hanammerleco, Diis Sepharvajimorum, & Deos ſuos colebant ex ritu gentium, quas deportaverant inde. Usque in hunc diem iſti faciunt ex ritibus priſcis.

§. IV. Quantum ſatis eſt egimus de diſparitate Sacrorum: nunc ad Leges veniamus & jura, quibus coloniæ civium Romanorum, vi imperii, iiſdem cum metropoli ſua & majore patria uti jubebantur, indicante Vellejo lib. I. cap. 14. *Per colonias auctum Romanum nomen communione juris.* Nec aliam ob cauſam Hadrianus Imperator miratur: *quod municipia antiqua, quum ſuis moribus legibuſque uti poſſent, in jus coloniarum mutare geſtiverint;* ut refert Gellius lib. XVI. c. 13. Sigonius quidem lib. II. de ant. jure Ital. c. 4. leges ſuas quamque coloniam præcipuas habuiſſe, ſcribit, a Romanis ſeparatas, ſed tamen a Triumviris datas; quia Flaccus *leges colonis datas* inſpiciendas eſſe monuit: verum

rum hic de ſola conditione territorii, & forma agrorum colonis præſcripta loquitur; pariter ac *colonica lex* apud Frontinum eſt modus, quo colonia deducta. Neque Tullum Hoſtilium mihi quis objiciat apud Dionyſium lib. III. c. 15. ita loquentem: *Ut per omnia metropoles imperent coloniis, quaſi naturæ lege, nos neque verum neque æquum arbitramur.* Nam omnino videndum eſt, cujus auſpiciis, qua mente, lege & in quæ loca coloni deducti fuerint; ſæpe diſceſſio conſenſu initur, ut novus populus ſui juris fiat; aliquando pars longe emigrat ad victum quærendum, more antiquo, de quo Dionyſius lib. 1. cap. 16. Dictum ergo Tulli uti facile admiſerim, ubi locus in quem fit miſſio, civitati mittenti non paret; ita ſi & ipſe ſubjectus eſt, colonia leges illius civitatis, cujus auſpiciis eſt deducta vel condita, jure gentium ſequi tenetur. Metius Fufetius apud eundem Dionyſium dicto libro cap. 9. ait: *Quem honorem parentibus liberi, eundem & coloni debent ſuis conditoribus.* Et Curtius d. lib. IV. cap. 2. *Carthaginem Tyrii condiderunt, ſemper parentum loco culti.* Multum ſane hic refert ſcire nationem: nam apud Græcos ſatis erat reverentiam & quædam honoris ſigna urbi matrici exhibuiſſe, de quibus doctiſſimus Valeſius, in notis ad

Ex-

Excerpta Polybii pag. 6. & ſeq. videatur. Sic Corcyræi apud Thucydidem libro I. §. 34. colonos ajebant in colònias mitti, *ut cum iis, qui domi remanſerunt, æquali ſint jure civitatis.* Item Corinthii apud Libanium declam. 19. *Potidæam nos miſimus coloniam, æquis & paribus conditionibus, noſtris inſtitutis traditis: etenim etiamſi loco diſſiderent, unum tamen genus erant.* Roma mater utique colonis ſuis dabat leges, Romanis plerumque ſimiles, quandoque diſcrepantes, prout id in rem ſuam eſſe rebatur; qua de re infra cap. XIII. §. 3. iterum dicendi locus erit. Hic ſufficiat inſigne Cypriani teſtimonium, qui in libro de gratia Dei, in foro coloniæ Carthaginienſis, ait, *inciſæ ſunt leges duodecim tabulis*: prorſus ac Strabo lib. IV. pag. 179. Maſſilienſes ſcribit, *legibus uſos Ionicis, iiſque publice expoſitis.* De eadem Maſſilia, Phocæenſium colonia, Rhodii ajunt apud Livium lib. XXXVII. cap. 54. *Non ſonum modo linguæ, veſtitumque & habitum: ſed ante omnia mores & leges, & ingenium ſincerum integrumque a contagione accolarum ſervarunt.* Silius lib. XV. vſ. 171.

Antiquæ morem patriæ, cultumque habitumque
Phocais armiſonas inter tenet hoſpita gentes.

Illud

Illud vero non negaverim, colonias, non modo Latinas & Italici juris, ſed etiam civium Romanorum, leges quaſdam topicas, juri communi non contrarias condidiſſe, haud invito eo, quem penes ſumma poteſtas, eove confirmante aut ratihabente; id enim collegiis quoque & corporibus licuit; eoque retulerim legem ruſticam Carſeolanæ coloniæ, a Strabone & Livio memoratæ, apud Ovidium lib. IV. Faſt. vſ. 709.

- - monumenta manent, nam vivere captam
Nunc quoque lex vulpem Carſeolana vetat.

Quo autem jure utebantur municipia? Locus lubricus, & quem ſine lapſu vellem eſſe emenſum. Ipſum Gellium, quæ hac de re ſcripſit, non intellexiſſe exiſtimat Clariſſimus Dodwellus, Prælectione III. ad Spartiani Hadrianum. Sed quæ is ipſe adfert, rem magis implicant, quam extricant: me ſane incertiorem reliquerunt, quam fueram dudum. Tentandum, num forte temporum diſtinctione adhibita certi quicquam definire liceat. Ac primitus quidem municipia, quæ *ſine ſuffragio*, honoris cauſſa, jus legionis acceperant, ſui juris arbitrium retinuiſſe videntur: ea vero, quæ *cum ſuffragio* optimum jus Quiritium erant adepta, Romanis vivere legibus oportuit. Ita Livius lib. IX. cap. 43. *Hernicorum tribus popu-*

populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt, quam civitatem, ſuæ leges redditæ: connubiumque inter ipſos, quod aliquandiu Hernicorum ſoli habuerunt, permiſſum. Anagninis, quique arma Romanis intulerant, civitas ſine ſuffragii latione data, concilia connubiaque adempta. Dein vero cum, lata lege Julia, municipiorum jura per Latium, & ſub finem belli ſocialis, per Italiam exæquata eſſent, ſenſim mutata hæc conditio videtur; ut leges quaſdam antiquiores proprias conſervarent, alias repudiarent, & ni quæ ſcita populi Romani adoptaſſent, ſuarum legum arbitrio fruerentur. Ad leges & mores illos veteres refero jus ſponſaliorum, quod Servius ad id tempus, *quo civitas univerſo Latio lege Julia data eſt*, obſervatum ait, apud Gellium lib. IV. cap. 4. & legem illam, quam in Tuſculanis ſacris Varro memorat lib. V. de LL. *Vinum novum ne vehatur in Urbem, antequam vinalia kalentur.* De legibus adoptatis ita Gellius dicto cap. 13. *Nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla populi Romani lege adſtricti, ni in quam populus eorum fundus factus eſt.* hoc eſt, niſi quam legem, v. c. Furiam, Voconiam aut Juliam populi ſocii ac Latini adſciverunt & probaverunt, uti viri eruditi evicerunt, quos inter eminet

net Valeſius, in obſervationibus de populis fundis, tom. II. Theſ. antiq. Rom. pag. 1942. Manifeſte Cicero pro Balbo cap. 8. ſcribit, leges, quas juſſiſſet populus Romanus, tum demum apud Latinos pro lege fuiſſe, ſi ab ipſis eſſent probatæ: *innumerabiles leges de jure civili ſunt latæ, quas Latini voluerunt, adſciverunt.* In eo autem falli videtur Sigonius, lib. II. de antiq. jure Italiæ cap. 7. quod Gellii verba ad municipia, quæ ſine ſuffragio civitatem acceperant, pertinere voluit. Siquidem Gellius verbis Hadriani, in præſenti tempore, *ſunt*, & generaliter loquitur, nec aliter ſenſiſſe potuit, quia municipiorum diſtinctio jam dudum erat ſublata. Vide Ill. Spanhemii orb. Rom. Exerc. I. cap. 12. & Cl. Schwartz in diſſ. de jure Ital. Nobis, antequam hinc diſcedamus, videndum erit, quænam ſit illa *lex municipalis*, toties à JCtis, in *l.* 25. *D. ad munic. l.* 1. *D. de alb. ſcrib. l.* 11. §. 1. *D. de mun. & hon.* & ſæpius alibi laudata: incertum enim videtur, quem illa conditorem habeat, et num generalis, an ſpecialis ſingulorum municipiorum debeat intelligi. Foppius ab Æzema lib. 11. diſſert. cap. 24. generalem quandam legis formam fuiſſe exiſtimat, quá de omnium municipiorum jure in univerſum fuerit tractatum: ſed valde ipſi obſtat, quod

quod *leges cujuſque civitatis* memorantur, in *l.* 1. *D. de muner. l.* 5. *§.* 1. *D. de jur. immun.* quodque alicubi *lex ceſſare* dicitur, in *l.* 3. *D. quod cujuſque univ.* Veriſimilius alii mores, decreta et ſtatuta curiarum in ſingulis municipiis intelligunt, de variis, quæ ad reip. cujusvis adminiſtrationem, munera magiſtratuum, ordinem decurionum, liteſque inter eos vitandas pertinent, concepta: hujusmodi enim æneæ aut marmoreæ tabulæ ſuperſunt, eoque etiam referri poſſet, quod in *l.* 3. *§.* 5. *D. de ſep. viol.* lex municipalis alicubi permittit, in civitate ſepeliri: quodque Scævola legem municipii Græca lingua, ceu patria, ſcriptam profert, in *l. ult. D. de decret. ab ord. fac.* Maxime vero ad hanc claſſem pertinent leges, ab his, qui imperium in provinciis habebant, easque auctoritate Senatus vel Principis ordinabant, municipiis datæ aut confirmatæ; v. c. apud Fabrettum pag. 485. n. 160. M. Junius Sabinus e LEGE JULIA MUNICIPALI patronus collegii vocatur. In eodem genere ſunt leges Pompejæ, Claudiæ & Rupiliæ, quarum Cicero lib. VI. fam. ep. 19. et II. Verr. cap. 13. 49. et Plinius lib. X. epiſt. 83. 113. 115. meminere. Neque aliter accipienda eſt rubrica *D. ad municipalem*, ſcilicet legem, etſi aliter viſum fuerit Cujacio lib. IX. Obſ. cap. 37. cui reſpon-

reſpondi in præfat. ad tom. II. Theſ. jur. civ. Cum igitur ſatis probatum dedimus, non uno modo colonias & municipia inter ſe differre, recte conſectarium illud nobis ducere licebit, Municipii quidem jus utilius fuiſſe, propter ſuffragii honorem, legumque ſuarum libertatem: Coloniæ vero præſtantius, propter majeſtatem populi Romani, cujus illæ parva erant ſimulacra, ut capite ſequente oſtendam. Hinc diverſa urbium ſtudia: quæ libertatis erant amantes, municipia eſſe malebant, quemadmodum Sueſſani & Celſenſes ex colonis municipes facti ſunt, & Præneſtini maximo petierunt opere, uti ex colonia in municipii ſtatum redigerentur. Cicero Philipp. XIII. c. 8. Plinius lib. III. H. N. cap. 3. & Gellius dicto loco. Contra Italica, Hiſpaniæ urbs, Hadriani majorum & Silii Poëtæ natalibus clara, principio municipium fuit, poſtea vero jus coloniæ impetravit, & colonia Italicenſis in lapidibus appellatur. Similiter Utica, Catonis morte nobilis, ab Auguſto jus plenum civitatis impetravit, poſtea vero in coloniam tranſiit; quo magis dignationi urbis parentis exæquata videretur, quod ex Gellio omnibus jam notum eſt.

§. V. Verum enimvero ex quo potiores Italiæ urbes, belli Marſici tempore arma ponentes, in civitatem receptæ, ac

provincialium ſtatus, prout de populo Romano militiæ meruerant, aut domi ſeditione deliquerant, varie mutatus fuit, mirum in modum diverſa iſtæc oppidorum appellatio, una cum eorum juribus, obſcurata eſt; adeo ut, oblitterato tandem colonorum nomine, plerique ſe & ſuos cujusque urbis πολίτας *municipes* appellare maluerint. Nec longe hujus confuſionis exempla ſunt quærenda: cum in nummis, inſcriptionibus & Hiſtoricorum libris ſatis ſint obvia, & paſſim a viris eruditis obſervata. Neque vero ea ab audaci Poëtarum natione infimive ſubſellii ſcriptoribus petam, qui ejusdem loci cultores & cives municipes vocant (videſis Martialem lib. X. epigr. 66.) ſed non paullo caſtiores & ſummates auctores dabo. Ipſe enim Tullius, in obſervando vocum earum diſcrimine cetera conſtantiſſimus, in fragmento initii orationis in L. Piſonem & cap. 23. Placentiam municipium vocat, quæ tamen, quod magnopere, & plusquam oportebat, hæſitans Aſconius ibi notat, ſub Hannibalis adventum in Italiam, colonia deducta fuit, & hoc nomine apud Tacitum lib. II. Hiſtor. cap. 19. inſignitur. Idem Tullius lib. XIII ep. 13. Lucam, Tacitus vero lib. III. Hiſt. cap. 33. Cremonam municipium appellat, quæ colo-

niæ

niæ fuerunt. Et Verrius Flaccus, apud epitomatorem Sextum Pompejum, Præneſtinos, Piſanos, Nolanos, Bononienſes, Placentinos & Sutrinos ejusdem cum Tiburtibus et Arpinatibus juris facit, ac nominatim in municipibus numerat; cum ſatis notum ſit eos colonos fuiſſe. Id vero recte ſeſe habet. Ita enim in has urbes deductæ erant coloniæ, ut veteres cives ſuis legibus, ſacris et omni municipum jure fruerentur, atque in eadem urbe ſimul municipes eſſent et coloni: pariter ac Antium miſſa eſt colonia, cum eo, ut Antiatibus permitteretur, ſi et ipſi adſcribi vellent, Liv. lib. VIII. cap. 14. et Cæſar veteranis legionibus agros adſignavit, ſed non continuos, ne quis poſſeſſorum expelleretur, auctore Suetonio cap. 38. Præterea tempora ſunt diſtinguenda: nam et Cicero Philipp. XIII. cap. 8. commendat laudatiſſimum oppidum, *nunc municipium honeſtiſſimorum quondam colonorum Sueſſam.* et Frontinus de limit. agror. *Sunt loca publica coloniarum, ubi prius fuere conciliabula, & poſtea ſunt in municipii jus relata.* Sic Præneſte, una cum Tibure et Tuſculo, inter civitates fœderatas Latinas initio fuit, Syllæ autem tempore coloniam accepit, et a Tiberio tandem, uti ex Gellio vidimus, in municipii ſtatum redacta eſt:

unde Frontinus, Nervæ tempore, eam ſimpliciter oppidum appellavit. vid. Joſeph. Maria Suares Præneſtes antiq. lib. I. cap. 21. Necdum vero omnia tranquilla ſunt, multosque vehementer turbat, quod Livius Setiam & Coram municipiis, quæ propter Appiam fuerunt, annumerat lib. XXVI cap. 8. quod Clunia, in nummo cimeliarchii regii, apud Harduinum MVN. CLVN. item colonia Apulenſis in inſcriptione Gruteriana pag. 57. n. 5. ſecundum Urſini ſchedas MVN. APVL. & Auguſta colonia, in marmoribus a Velſero pag. 372. productis, MVNICIP. AEL. AVG. dicitur. Denique Victor Schotti Eboracum Btitanniæ municipium vocat, quam tamen Cambdenus, Ptolemæi & Antonini auctoritate, tum ex vetuſta inſcriptione & nummo Severi coloniam fuiſſe demonſtravit, in cujus parte averſa COL. EBORACUM. LEG. VI. VICTRIX legitur: certo indicio, diſcrimen illud in nummis mage, quam a ſcriptoribus ad amuſſim obſervatum eſſe. Plane Trogus Pompejus municipes pro civibus quibuſcunque poſuit, lib. II. cap. 12. *Patriam municipes eſſe, non mœnia; civitatemque non in ædificiis, ſed in civibus poſitam.* Immo quam varius hujus vocis jam olim fuerit ſignificatus, & quam parum ſibi conſtiterint Veteres in

ea

ea explicanda, ex Feſto conſtat, qui tria hominum genera *municipium* dici ait, & tertium quidem, *qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipes eſſent ſuæ cujusque civitatis & coloniæ*, ſive qui una munus fungi deberent, ut Varro ait lib. V. Gellii autem explicatio hujus vocis Jurisconſultorum temporibus magis convenit; licet ipſe queratur, ſua ætate eam prorſus ignoratam fuiſſe: *quotus enim*, inquit, *fere noſtrum eſt, qui quum ex colonia ex populo Romano ſit, non & ſe municipem eſſe, & populares ſuos municipes eſſe dicat? quod eſt a ratione & a veritate longe averſum. Sic adeo & municipia quid & quo jure ſint, quantumque a colonia differant ignoramus.* Ita namque communi uſu, quem penes loquendi arbitrium eſt, invaluerat apud imperitos: abſit vero de viris eruditis credamus. Æmilius enim Papinianus in *l.* 17. §. 10. *D. ad municip.* municipem a colono: Paulus *IV ſent. tit.* 6. §. 2. coloniam a municipio, & Ulpianus utriusque commoda, velut inter ſe diverſa diſtinxit, in *l.* 27. §. 1. *D. ad municipal.* Niſi in hac magis placeat, cum Cl. Velſero, Briſſonio & Voetio, coloniam prædium ruſticum interpretari, aut villam, in qua quis colendi cauſa diverſatur; quo in ſignificatu idem Ulpianus ea voce uſus eſt, in *l.*

 2.

2. §. 23. *D. ne quid in loco pub.* & Scævola in *l.* 20. §. 3. *D. de inſtructo.* idque verba poſtrema ſuadent : *quam ubi colendi cauſa deverſatur*: pro quibus cum Viro illuſtri *incolendi* legere nihil attinet. Alciatus quidem coloniæ nomen pro habitatione, tanquam minus Latinum, excuſare maluit; ſed Scipio Gentilis lib I. parerg. cap. 36. ex Plauto & Auſonio illud defendit. Addi poſſet Seneca in præfat. declam. *intra coloniam meam me continui*, niſi quidam ad Cordubam referrent: Columella vero lib. XI. cap. 1. de villico: *coloniæ ſuæ terminos egredi non debet.* Similiter *colonica lex* apud Varronem lib. I. de R. R. cap 2. ſumitur pro pactione & modo conductionis, quo colonus villam acceperat, ut in *l.* 30 *§. f. D. locat.* Conſtat itaque ex ſuperioribus, non omnino Gellii & ſequutis temporibus illud diſcriminis latuiſſe: quamvis in Paulo & Ulpiano minus foret mirandum, ſi vocum earum proprietate abuſi eſſent. Enimvero poſtquam, famoſiſſima conſtitutione Antonini Caracallæ, omnes in orbe Romano degentes cives Romani, & proin munerum in Urbe capeſſendorum participes facti ſunt, omnis illa differentia ſublata eſt, ac cujusque civitatis cives municipes, & civitates quæcunque minores municipia ſunt appellata.

Aucto-

Auctores hujus rei ſat locupletes adduxit Ezechiel Spanhemius, Vir noſtro elogio major, &, ut Jani Broukhuſii verba mea faciam, ita ſine exemplo eruditus, ut ejus nec virtutes nec ingenium capere poſſet iners ſuperioris ſæculi livor, in Exercit. poſteriore ad l. XVII. de ſtatu hominum. Nos unico Ulpiano contenti ſimus, eique, pro inſtituti ratione, lucem affundamus. Ita autem in *l.* 1. *D. ad municipal.* ſcriptum reliquit: *Et proprie quidem municipes appellantur muneris participes, recepti in civitate, ut munera nobiſcum facerent: ſed nunc*, id eſt, poſt datam omnibus civitatem, *abuſive municipes dicemus, ſuæ cujusque civitatis cives: ut puta Campanos, Puteolanos.* Campanos hoc loco Domitius non intelligit totius Campaniæ regionis oppidorum cives, quod Briſſonius ſenſiſſe videtur lib. III. de V. S. ita enim gratis ſubjeciſſet Puteolanos, qui etiam Campaniæ cultores erant; ſed unius Capuæ novæ cives, quæ poſt excidium veteris renata, eodemque nomine appellata eſt. Quo ſenſu idem Ulpianus hac voce uſus eſt in *l.* 9. *§.* 3. *D. quod metus cauſ. l.* 50. *D. de contrah. emt.* & Cicero I. Agrar. cap. 7. Vetus autem Capua, non a capite, neque a Capy Trojano, Æneæ ſocio, quod Strabo, Dionyſius & Latinus vates opinantur, ſed

a *campeſtri* plaga & camporum planitie nomen accepit, auctore Livio lib. IV. cap. 37. & Plinio l. III. cap 5. Unde et Campas, pro Campano molli, apud Plautum legitur, Trinummo Act. II. ſc. 4. Nec multum abit, quod Plutarchus in Annib. Capuam a κῆπ@, hortus derivat: id enim Dorica dialecto eſt κᾶπ@, inde *campus* et Campania, uti Vir eruditus, Alexander Dukerus, in animadverſ. ad Camilli Peregrini Campaniam felicem diſſ. II. cap. 12. et diſſ. IV. cap. 10. diſputavit. Inde etiam conſuetudo repetenda eſt, ut Capuæ cives, non Capuani, ſed Campani dicerentur; licet a Capua, ſecundum analogiam, ſit Capuanus, ut a Roma Romanus, auctore Varrone lib. IX. de LL. Neque tolerari poteſt quod Vulgati Codices in *l.* 4. *D. de rer. div.* pro piſcatoribus *Capenatis*, habent *Capuanis*; etſi Florentina lectio id habeat incommodi, quod non ſatis congruit ſitui Capenatium mediterraneo, atque ideo Lucas Holſtenius piſcatoribus *Formianis & Capreatis* legendum conjecerit, qui in inſula Caprearum piſcabantur, applaudente Peregrino dicta diſſ. II. cap. 29. Quicquid hujus eſt, ſi originem populi ſpectes, Campani non municipes, ſed coloni erant: quia nova Capua primum a Bruto, Syllanis temporibus, dein a Cæſare, et denuo

ab

ab Auguſto colonia conſtituta eſt. vid. Cicero II. agrar. cap. 34. Cæſar lib. I. de bello civ. cap. 14. Vellejus lib II. cap. 44. et Plinius lib. XVIII. cap. 11. At ſub Caracalla, vocis quadam abuſione et ἀκυρολογίᾳ, cives Campani municipes dicebantur. De Puteolanis major eſt dubitatio, uti Capacius de ant. Camp. c. 24. jam vidit; quia eorum civitas, & præfectura, & colonia, & municipium, & rurſus colonia vocatur. Hæc ergo ut probe intelligantur, tempora ſunt diſtinguenda. Initio Puteoli Græcorum fuerunt colonia, Tarquinio ſuperbo regnante, per Samios condita, ut Euſebius ſcribit. Poſtea, quum Annibalis partes eſſent ſecuti, una cum Capua A. V. DXLII. eam fortunæ conditionem ſubiere, ut libertate ſpoliati Præfectum juris dicundi Roma acceperint, atque ideo a Sexto Pompejo in præfecturis numerentur. Lege Acilia deinde colonia illuc deducta eſt A. V. DLIX. ut Livius ſcribit lib. XXXIV. cap. 45. vel A. DLVIII. ut Pighius in Herc. Prod. pag. 336. ex tabula marmorea, cum Faſtis Capitolinis collata, contendit. Rurſus eadem hæc urbs Ciceronis ætate, ſuo jure & libertate, ob merita erga populum Romanum, vel Sullam fortaſſe, donata, municipali jure fruebatur: id quod ille binis locis oſtendit; pro

Cœlio cap. 11. *municipium illuſtre* vocat, et II Agrar. cap. 31. *Puteolos*, inquit, *qui nunc in ſua poteſtate ſunt*, *ſuo jure libertateque utuntur*, *totos novo populo atque adventitiis copiis occupabunt.* At vero quod Cicero tantopere diſſuadebat, id haud diu poſt contigit: Auguſtus enim inter duodetriginta colonias, quibus poſt victum Antonium Italiam frequentavit, Puteolos etiam deduxit: ſiquidem Frontinus *de coloniis*, vel quisquis ſciolus ille, qui eum in compendium redegit, ſcribit: *Puteolis colonia Auguſta. Auguſtus deduxit.* Unde Valerius Maximus, illuſtris ſub Tiberio ſcriptor, Puteolos coloniam appellat lib. IX. cap. 3. num. 8. Rurſus vero ſub Nerone, Tacitus ait, lib. XIV. Annal. cap. 27. *In Italia vetus oppidum*, *Puteoli jus Coloniæ*, *& cognomentum a Nerone adipiſcuntur.* Mox denuo, ſub Veſpaſianorum imperio, coloniam accepit, ac colonia Flavia Auguſta dicta eſt. Quod vero Pighius d. l. pag. 337. Tacito voculam adjecit, legendo *novum jus coloniæ*, id nec Lipſio ſatis arriſit, nec Camillo Peregrino de Camp. ſel. diſſ. II. cap. 18. tom. IX. Theſ. Ital. part. 2 pag. 187. neque mihi neceſſarium eſſe videtur: quidni enim dici poteſt, jus *coloniæ* toti oppido, quod commune emporium variarum gentium & portus totius orbis

bis erat, datum fuiſſe? aliud quippe eſt partem urbis coloniam eſſe, aliud totam eam jus & cognomentum coloniæ accipere; id quod etiam Lipſio & Ferretto ſuboluit, quorum ſententias conjungimus. Juvabit autem addidiſſe Joann. Vignolium inſcript. ſel. pag. 192. qui ex lapidibus literatis monſtrat, Puteolos a Neronis ævo maxime *coloniam* dici, cum antea *civitas* vocarentur. Ex his item ſimul duplex apparet Clariſſimi Cellarii lapſus, Geogr. antiq. lib. II. cap. 9. tum quod Puteolos in priſtino coloniarum jure ad Neronis tempora ſtetiſſe exiſtimavit, tum quod in Frontini fragmento, cum Alciato, *Nero Auguſtus* legendum cenſuit. Illud vero Ciceronis, hoc Valerii auctoritas & optimorum Codicum fides refellit. Ad Ulpianum ut redeamus, nullus non videt, rectiſſime Puteolanos colonis annumeratos eſſe, qui tamen illius ævo, & ſequutis temporibus, abuſive *municipes* dicebantur. Symmachus lib. I. epiſt. 39. *Puteolanis municipibus Conſtantinus CL. M. modiorum in alimoniam civitatis indulſit.*

CA-

CAPUT II.

De Magistratibus Coloniarum et Municipiorum.

I. *Coloniæ & municipia ſimiæ & effigies urbis dominantis, cui dignatione pro parte aliqua adæquatæ, abuſive Reſpublicæ dicuntur.* II. *Capua, Carthago & Corinthus, una cum acceptis coloniis, Magiſtratus nactæ Romanorum ſimiles, pro Medixtuticis, Suffetibus & Prytanibus; quæ vocabula explicantur. Hannibal quare Dictator & Conſul Carthanienſis dictus. Vaillantius notatur.* III. *Aliarum urbium ſummi magiſtratus nomina, ut Timuchi, Anactes,* Ἄρχοντες, *Demarchi, Proagori, Hypomnematographi, Vergobreti, ubivis non ſunt mutata. l. 48. D. de judic. exponitur. Alciatus & Scipio Gentilis reprehenſi.* IV. *Senatus, Senatores & Senatusconſulta municipalia, invito Dodwello & Taciti interpretibus aſſerta. Ordo municipii ampliſſimus; Senatus Urbis maximus, municipalis minor dictus. Senatores quidam Romani ſimul & municipales.* V. *Duumviros conſulare nomen affectaſſe, ex lapidibus & nummis, contra Velſerum, Reineſium, Rupertum, Gudium & Bulengerum probatur. l. 3. D.* de

de minor & l. 30 D. de acq. vel om. her. illuſtrantur. VI. *Idem Ciceronis, Plinii, Flori, Auſonii, Philoſtrati & recentiorum teſtimoniis late firmatum.* VII. *Dictatores, Cenſores, Prætores,* Στρατηγοὶ *in municipiis: unde Stradigo Meſſinenſis.*

SAtis hac explicatione defuncti ſumus, cum in tanta rerum ubertate conditionem coloniarum atque municipiorum delineavimus magis, quam expreſſimus: neque enim in re multoties pertractata ſupervacanea libuit opera ſuſtineri; neque etiam illotis, quod ajunt, pedibus in rem præſentem deſcendendum eſſe videbatur; quia quædam non pertrita ceteris addenda occurrebant. Sequitur, de utriusque generis magiſtratibus paucula dicamus, antequam ad ipſos Ædiles gradus fiat, quorum cauſa omnis hæc oratio inſtituta eſt. Quemadmodum vero occulta naturæ vi liberi impelluntur ad parentum virtutes, facta & mores imitanda: ſic etiam coloniæ modis omnibus nitebantur, uti cunctarum rerum, maxime vero magiſtratuum ſimilitudine, ſpeciem urbis relictæ apud ſe effingerent, ac in ejus ſplendore dum vitam degere non licebat, hoc ſaltem ſchemate velut ſolatio ſeſe ſuſtentarent. Optime etiam intelligebant Romani, rerum

rum domini, ea quæ ſibi ſimilia ſunt facile ſimul coire, ac juris morumque convenientiam maximum devictæ gentis vinculum eſſe: quamobrem in ambitione colonorum non ſolum connivebant, ſed ritus etiam, linguam, ſacra, ſacerdotes, feſta, magiſtratus, veſtitum, ſymbola, inſignia, mores, leges, & integram fere metropolis ſuæ formam jugiter eos referre jubebant; quo hac majeſtatis particula velut in ſpeculo oſtenſa, provinciis longe a ſe diſſitis reverentia incuteretur, & γένος ὁμόφωνον καὶ ὁμόνομον, *gens ſimilis ſermonis & ſimilium legum* fieret, ut Plato ea de re dixit lib. IV. de LL. Auctor hujus rei locupletiſſimus eſt Aulus Gellius, qui dicto lib. XVI. c. 13. potiorem coloniarum conditionem eſſe exiſtimat; *propter amplitudinem Majeſtatemque populi Romani, cujus iſtæ coloniæ quaſi effigies parvæ, ſimulacraque eſſe quædam videntur.* Adſtipulatur Suetonius in Auguſto cap. 46. *Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab ſe frequentavit, operibusque ac vectigalibus plurifariam inſtruxit: etiam jure ac dignatione urbi quodammodo pro parte aliqua adæquavit.* Ante hunc Cicero Philipp. XII. cap. 3. *Capua, quæ temporibus his Roma altera eſt.* Auſonius carmine ſingulari, quo laudes coloniæ Arelate proſequitur, eam

eam quaſi parvam in Gallia Romam ſignificare vult, cum ait: *Gallula Roma Arelas.* Nec aliam forte ob cauſſam Hiſpalis colonia ROMULA vocatur, in lapide apud Reineſium cl. III. num. 26. vel, ut Plinius tradit, Romulenſis: *Hiſpalis colonia, cognomine Romulenſis*, lib. III. c. 1. quam quod ea Romæ quodammodo ſimilis. Aquileja quoque, nobiliſſima colonia, & princeps Fori Julii civitas, ob divitias celebrata, a quibusdam *Romania*, ab aliis *Roma ſecunda* fuit dicta: nam omnium illa ſub Occidentem urbium maxima, cum ipſis etiam regiis, Roma & Conſtantinopoli, aliquoties certamen ſuſcipere auſa eſt, auctore Juſtiniano, in præf. nov. 29. Huc etiam maturius, niſi fallor, reſpexit doctiſſimus Romanorum Virgilius lib. V. Æneid. vſ. 755. ubi inter alia abſtruſa antiquitatis arcana, coloniam ab Ænea conditam deſcribit. Verba ejus ita ſeſe habent:

Interea Æneas urbem deſignat aratro,
Sortituſque domos: hoc Ilium, & hæc loca Trojam
Eſſe jubet. Gaudet regno Trojanus Aceſtes,
Indicitque forum, & patribus dat jura vocatis.

Neque alia municipiorum erat facies. Quanquam enim his in civitatem receptis pri-

priſtini ritus, ſui magiſtratus ac avita reipublicæ forma relinquebatur, ſua ſponte tamen leges & mores Romanos adoptabant, eademque aut ſimilia magiſtratuum nomina, quibus Urbs urbium ſplendebat, partim adulandi calliditate, partim ambitionis ſenſu, magiſtratibus ſuis imponebant; ut ita ſenſim totus Romanus orbis, & maximi ſecundum Deorum opes imperii moles, uno adminiſtrationis genere regeretur. Teſtes requiris? Dabo. Et quem meliorem Aſinio Pollione? Is Ciceroni lib. X. ep. 32. de Cornelio Balbo, municipii Gaditani Quatuorviro, ita ſcribit: *Hæc quoque fecit, ut ipſe gloriari ſolet, eadem, quæ Cæſar.* (Romæ) *Ludis, quos Gadibus ſecit, Herennium Gallum, hiſtrionem, ſummo ludorum die, annulo aureo donatum, in quartum decimum ſeſſum deduxit; tot enim fecerat ordines equeſtris loci. Quatuorviratum ſibi prorogavit: comitia biennii biduo habuit, hoc eſt, renuntiavit, quos ei viſum eſt.* &c. Plinius etiam, Ponti Proprætor, in variis ad Trajanum epiſtolis indicat, Bithynorum diſciplinam, quod ad Senatum et Magiſtratus, Romanis moribus adſtrictam fuiſſe. Denique Juſtinianus in Novella conſt. 38. generaliter ait, curias in unaquaque civitate, κατὰ τὴν τῆς βασιλευούσης πόλεως μίμησιν, *ad imitationem urbis dominantis* a majo-

majoribus inſtitutas. Unde *decuriones municipiorum* laudat Suetonius in Auguſto cap. 100. et apud Gruter. 2. pag. 36. DECVRION. MVNICIPII. CAERETANI. alibi pag. 422. n. 3. *Aletrini*, et alii plures apud Fabrettum pag. 422. n. 3. Quamvis etiam Civitates privatorum loco haberentur, publicique appellatio, in compluribus cauſis, ad populum Romanum reſpiceret, *l.* 15. *l.* 16. *D. de V. S.* ſæpius tamen civitates *Reſpublicæ* vocantur; ut Arelatenſium, Sebaſtenorum, Sardianorum & Tuſculanorum, in *l.* 34. *D. de uſu & uſufr. l.* 21. *§.* 3. *l.* 24. *D. de ann. leg. l.* 38. *§.* 5. *D. de leg.* 3. Rempublicam Byzantinorum habes apud Plin. lib. X. epiſt. 52. alias Fabrettus ex lapidibus monſtravit Inſcript. pag. 277. Dici autem de plerisque poteſt, quod Virgilius, ſimplicitate ruſtica, de Mantua cecinit. Ecl. 1. vſ. 20.

Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic noſtræ ſimilem, quo ſæpe ſolemus
Paſtores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos
Noram: ſic parvis componere magna ſolebam.

D Ve-

Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

§. II. Juvabit nomina Magiſtratuum in civitatibus, quæ in ditionem Romanam venerant, aut quæ ex liberis & fœderatis Romanæ coloniæ erant factæ, priora cum poſterioribus contuliſſe: ita enim voces barbaras, ex lingua cujusque patria natas, commutatas eſſe deprehendemus, & pro Senatu Romano fuiſſe *ordinem Decurionum*, coloniæ cuſtodem & propugnatorem: pro Conſulibus duobus *Duumviros*, jus dicentes; pro Ædilibus *Ædiles*, annonæ ludorumque curatores: pro Cenſoribus *Quinquennales*, cenſum agentes: pro Tribunis plebis *Defenſores civitatum*, qui plebis libertatem & commoda contra Optimates gravitate ſua tuerentur. Tres vero urbes Capuam, Carthaginem & Corinthum præ ceteris intueri placet; quia ipſi Romani ſolas has pertinaces æmulas, in terris omnibus, potuiſſe imperii gravitatem & nomen ſuſtinere crediderunt, auctore Cicerone II. Agrar. cap. 32. Apud Campanos veteres ſummi magiſtratus nomen erat *Medixtuticus.* Livius lib. XXIII. cap. 35. *Marius Alſius Medixtuticus* (*ſummus magiſtratus erat Campanis*) *cum quatuor-*

tuordecim millibus armatorum habebat caſtra; et lib. XXVI. cap. 6. *Medixtuticus, qui Summus Magiſtratus apud Campanos eſt.* Ita enim hoc nomen in antiquis editionibus mire corruptum Livio reddidit Juſtus Lipſius lib. I. Epiſtol. quæſt. cap. 19. & plenius Titi ſoſpitator Joh. Frid. Gronovius, in eruditiſſimis notis. Compoſita autem hæc Oſcæ linguæ vox mihi videtur a Græco μέδων regnator, & *tuticus* magnus, ut fuerit magnus populi rex & ſummus magiſter: nam Hieroſolymitani itinerarii auctor oppidum *Equumtuticum*, in Antonini itinerario memoratum, *manſionem ad equum magnum* interpretatur: aperte etiam, ſciſſa voce Ennius, apud Sextum Pompejum: *Meddix*, inquit, *apud Oſcos nomen Magiſtratus eſt. Ennius:*

Summus ibi capitur Medix, occiditur alter.

Hoc Conſulibus Campanis nomen, Capua ſtante: quam primum vero coloniam civium Romanorum accepit, nomen quidem priſtinum urbis, more conſueto, ut Strabo animadvertit lib. V. p. 216. conſervari placuit, omnis vero reipublicæ forma ad Romanam eſt inflexa. Gabinium *Capuæ Duumvirum* habes apud Tullium in Piſon. cap. 11. Piſonis *Duumviratum Campanum* in Seſtiana cap. 8. Decretum *decurionum* in eadem cap. 4. et Gruteri inſcriptio 3. pag.

 374.

374. DECVRIO. CAPVÆ. Ex his igitur de Capua, & per conſequentiam de reliquis in Italia coloniis ſatis conſtat. Inter provinciales principem hic ſibi merito locum vindicat Carthago, omnium coloniarum extra Italiam prima, Africæ quondam caput, &, una cum Capua & Roma, inter tres maximas numerata; hæc vero, cum ſui juris eſſet, Magiſtratus Romanis ſimiles jam habuiſſe videtur: Cato enim in originibus apud Gellium lib. X. cap. 24. Hannibalem Carthaginienſium *Dictatorem*, & Juſtinus illorum *Conſulem* appellavit lib. XXXI. cap. 2. At quis non videt nomina hæc propter aliquam ſimilitudinem tantum ei tributa fuiſſe, ut vis poteſtatis voce Romana exprimeretur? neque tantæ auctoritatis Dictatorem Pœnum fuiſſe, Cl. Clericus oſtendit Art. crit. p. II. ſect. I. cap. 13. Alios ergo vetus Carthago, & quidem *Suffetes*, ſummos Magiſtratus habuit. Livius lib. XXX. cap. 7. *Senatum itaque Suffetes* (*quod Conſulare imperium apud eos erat*) *vocaverunt*. Feſtus: *Sufes dictus Pœnorum Magiſtratus, ut Oſcorum Mediaſtuticus*. Neque Carthago ſola Conſules ſuos ita vocavit, ſed & ſingulæ Africanæ civitates; id quod ex inſcriptionibus antiquis Bochartus, in Chanaan, & Seldenus de Synedriis docuerunt. Suffes autem eſt judex,

dex, ab Hebræorum *Schophet*, *Schophetim* judicavit, unde in Phœnicum annalibus δικαςαὶ dicuntur. Vide Reineſii diſſert. de lingua Punica cap. 8. Alii, cum Scaligero & Druſio, aliam vocis originem tradunt; ſed undecunque ea deſcendat, hoc certum eſt, binos Magiſtratus cum regio imperio Carthagine ſic dictos eſſe, quos Polybius etiam, Ariſtoteles, Nepos atque Solinus Reges appellarunt; ſed qui magis cum auctoritate ſuadendi, quam cum jubendi poteſtate valuerunt, ut Grotius docuit lib. I. de J. B. & P. cap. 3. §. 10. Quid vero? Idemne nomen manſit, poſtquam Carthago victa, ſolo æquata, ac in ejus veſtigiis Romana colonia deducta eſt? minime gentium. Duumviros, Quæſtores, Ædiles, & quidem Latine dictos habuit, ut nummi pariter ac lapides teſtantur. Vide Vaillantii numiſmata ærea Imp. in colon. pag. 2. 38. ſeq. et Gruter. I. pag. 349. quibus adjicio Geſta purgationis Cæciliani et Felicis, quæ Optati Milevitani operibus annexa ſunt, in quibus pagina 275. ita ſcriptum invenio: *In jure apud Aurelium Didymum Sperecium, ſacerdotem Jovis Optimi Maximi, Duovirum ſplendidæ coloniæ Carthaginis.* Et ſtatim: *adſtanti Cæciliano Sperecius Duumvir dixit.* Carthaginem non incommode excipiet Corin-

 thus,

thus, quippe quæ cum illa uno tempore tectis mœnibusque nudata eſt, et inſtaurari cœpit. Vetus autem illa, ante bellum Achaicum, cum pluribus aliis Græciæ urbibus, πρυτάνεις primos Magiſtratus agnovit, ſingulis annis electos ex genere Bacchaidarum, donec Periander Corinthum invaſit. vid. Scalig. in canon. Iſag. ad Chron. Euſebii lib. III. ubi Hieronymus: *Poſt hos reges in Corintho non fuerunt, ſed annui Prytani conſtituti.* Eoque, non vero ad quinquaginta Prytanes Athenienſium, ut Lipſius voluit, digitum intendit Seneca de tranq. animi cap. 3. *Non vis enim niſi Conſul, aut Prytanis, aut Cerix*, (Scaliger *Terix*) *aut Suſes adminiſtrare rempublicam.* Ex quo vero a Cæſare Julio reſtituta, priſtinum ſplendorem recepit, Romanum in morem Magiſtratus et ſummos et imos vidit, quod notius eſt, quam ut longa probatione indigeat. Vide Apulej. lib. X. Metam. et Vaillant. pag. m. 44. ubi: L. POMP. C. JVLI. IIVIR. COR. Sed nullus per ſingulas ſingularum provinciarum colonias euntibus exemplorum foret modus; quapropter illud tantum addemus, non omnino perpetuum videri fuiſſe, uti antiqua Magiſtratuum nomina abjicerentur; ſed eadem, vel honoris cauſa, vel ad ſervandum vetuſtatis morem, novis Magiſtratibus

tibus quandoque adſcripta eſſe. Ita *Suffetes* Carthaginienſis coloniæ, in nummis, ſub Auguſto et Tiberio cuſis, ſæpe laudatus Vaillantius in num. col. pag. 72. et 131. ſe reperiſſe putat, in quibus ſigla P. S. S. C. *poſuere Suffetes Carthaginienſes* interpretatur. Verum Jacobus Perizonius, in elegante illa ad Andream Morellium de nummis conſularibus epiſtola, negat ullum in his ejus coloniæ veſtigium aut Suffetum memoriam ſupereſſe: quum potius litteræ illæ ſic exponendæ ſint: *pecunia ſignata Senatus conſulto*; quemadmodum et ipſe Vaillantius, in alio numiſmate eaſdem, ſed mutato paullulum ordine explicavit.

§. III. Illud facilius evicero, Græcas civitates, quæ vel Athenienſium olim fuerant coloniæ, vel quæ ex his rurſus deductæ, tunc etiam cum Romanos agnoſcebant faſces, Duumviros ſuos ἄρχοντας appellaſſe; quia in nummis multarum civitatum APX. Archon legitur, & Hadrianus ad Archontas reſcripſit, ne convenirent neve convenirentur, dum ſunt in Magiſtratu, *l.* 48. *D. de judic.* Ἄρχοντες vero laxa ſignificatione ibi ſunt Duumviri municipiorum; non vero Prætores, uti Haloander & Ampl. Zach. Huberus in diſſ. juridico-philol. ad d. l. pag. 228. nec illi Athenienſium ſingulares, quemadmodum Alciatus expo-

 ſuit

ſuit lib. IV. Diſpunct. cap. 6. neque majores populi Romani Magiſtratus in provinciis, ut Scipioni Gentili videbatur lib. II. de jurisd. cap. 5. nam & Modeſtinus magiſtratum municipalem ſæpius ἄρχοντα appellat, in *l.* 13. *&* *l.* 15. *§.* 9. *D. de excuſat.* ubi bonus interpres nunc *Præſidem*, nunc *Principem* vertit, ab Antonio Auguſtino idcirco ad Modeſtinum reprehenſus. Tertullianus adv. Hermog. cap. 19. Ἄρχοντας *dicunt Principes & Magiſtratus.* Ipſæ Athenæ, quamvis a Veſpaſiano libertate exutæ, & ab Septimio Severo omnibus privilegiis ſpoliatæ Proconſuli parerent, ſuos tamen habuerunt Archontas, a Romanis impoſitos; nam Hadrianus, nec dum Imperator factus, illo magiſtratu functus eſt, Trajano Auguſto VI. & T. Sextio Africano Coſſ. ut Phlegon tradit, & *Gallienus apud Athenas* Ἄρχων *erat, id eſt ſummus Magiſtratus*, auctore Trebellio Pollione cap. 11. Similiter Neapolitani Ἄρχοντας dixere Duumviros a Romanis conſtitutos, in lapide Gruteri 5. pag. 1027. Iidem habebant *Demarchum* populi magiſtrum, tribuno plebis ſimilem, teſte Spartiano in Hadriano cap. 19 de quo Reineſ. lib. III. var. lect. cap. 16. Catinenſes, coloni Romani, parebant Proagoro. Cicero IV. Verr. cap. 23. *Catinam cum veniſſet, oppidum*

pidum locuples, honeſtum, copioſum Dionyſiarchum ad ſe proagorum, hoc eſt ſummum magiſtratum, vocari jubet. Alexandrini ab antiquo habebant Hypomnematographos *l. 59. C. de decurion.* Strabo lib. XVII. pag. 797. *Ex indigenis magiſtratibus in urbe eſt Exegetes, ſive interpres, qui purpuram geſtat, & patrios honores habet, & ea curat, quæ urbi ſunt neceſſaria. Item* ὑπομνηματογράφος, *commentariorum ſcriba & judicum præfectus. Quartus eſt Prætor nocturnus. Hi magiſtratus etiam tempore regum erant.* Denique ut Achæorum Diarigios, Thebanorum Archinos & Cypriorum Anactas mittam, Maſſilienſes & Naucratitæ Optimates ſuos ab honore, quem per totam vitam gerebant, τιμούχους vocabant, ut ex Strabonis lib. IV. pag. 179. & ex Athenæi lib. IV. cap. 13. diſcimus. Ædui vero, ſive Hedui, populus inter Gallos clariſſimus, ſummum magiſtratum appellabant Vergobretum, ut Cæſar auctor eſt lib. I. de bello Gall. cap. 16. *Convocatis principibus, in his Divitiaco & Liſco, qui ſummo magiſtratui præerat, quem Vergobretum appellant Ædui, qui creatur annuus, & vitæ necisque in ſuos habet poteſtatem.* Quem morem caput gentis, & civitas Æduorum primaria, Auguſtodunum conſtantiſſime retinuit, & ad hæc

usque tempora magiſtratum principem eadem voce, ſed media parte truncata, *Vierg* inſignire amat, teſte Joh. Goduino in notis ad hunc locum. *Virgobretus* habent etiam Gloſſæ Iſidori & notæ Tyronis: ejus etymologiam aliter Hotmannus ad Cæſarem, aliter Iſaacius Pontanus in Gloſſario, aliter Bochartus Geograph. ſacræ lib. I. cap. 42. expoſuerunt.

§. IV. Habemus Magiſtratus coloniarum & municipiorum Romanis ſimiles: nunc etiam eo honore an contenti fuerint videamus. Raro enim ibi conſiſtunt exempla, unde cœperunt; ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latiſſime evagandi ſibi licentiam ſumunt; & ubi ſemel via data eſt, in præceps pervenitur; in re alia ait Vellejus. Atque ita eſt. Aſſidua honorum contentio eo etiam dementiæ municipum pectora cogebat, uti auguſtiſſima Magiſtratuum nomina, quæ velut peculium ſibi adſciverat Roma, affectarent, eaque, connivente populo, aut indulgente Principe ſumerent, ſibique adſcribi paterentur: illi præſertim, qui poſteriori ætate, divitiis agrique bonitate abundantes, ſortis ſuæ obliviſcebantur. Exemplis res fiet illuſtrior. Publicum municipiorum concilium & conſultantium colonorum conſeſſus communiter *curia*, *ordo*, βουλευτήριον τῆς πόλεως; ejus membra *curiales*, *de-*

decuriones, *municipes*, *buleutæ*, πολιτευταὶ; vel πολιτευόμενοι; eorumque ſancita *decreta* & *pſephismata bules* dicebantur. Pleræque vero civitates, his inſcriptionibus non ſatiatæ, principes principis urbis titulos adoptarunt, & ab aliis *Senatus*, *Senatorum* & *Senatusconſultorum* nominibus honoratæ ſunt. *Senatum* Rhemorum dixit Cæſar lib. II. de Bello Gall. cap. 5. Haleſinorum & Agrigentinorum Cicero II. Verr. cap. 49. coloniarum Livius lib. XXVII. cap. 11. *Carthaginis ſplendiſſimæ Senatus* eſt in *l.* 27. *C. Th. de decur.* Atque, ut Auſonium, Caſſiodorum, Majorianum alioſque minorum gentium ſcriptores prætercam, ipſe Trajanus ad Plinium ſcribit, *Senatum cujuſque civitatis* lib. X. epiſt. 84. *Senatum populumque Syracuſanum* dixit Cicero IV. Verr. cap. 62. SENATVS. POPVLVSQVE. TIBVRT. legitur in marmore apud Gruter. pag. 254. num. 2. SENATVS. POPVLVSQVE. TIMILIGENSIS apud Reineſ. in tabula ænea, claſſe VII. 17. SENATVS. POPVLVSQVE. LAVRENS. apud Fabrett. cap. X. n. 67. S. P. Q. CERIALIS apud Sponium miſcell. pag. 163. SENATVS. POPVLVSQVE. VBIOR. apud Gelenium lib. III. Syntagm. 136. Eundem in modum *centum tredecim Treverorum Senatores* habes apud Tacitum lib. V. Hiſtor. cap. 19. SENATOR CO-

COLoniæ Lugdunenſis, eſt in lapide Gruteri pag. 464. num. 9 PATRES ET POP. IN URBE MUNDA pag. 168. num. 4. CONSCRIPTI pag. 456. 1. & junctim Campani *decuriones* PATRES CONSCRIPTI *vocabantur*, ait Cicero II. Agrar. cap. 34. Conſpicuos veſte nivea *Senatores* urbis Hæmonæ, laudat Pacatus Latinus in paneg. cap. 37. Senatores civitatis Alexandrinæ in *l.* 19. *C. Th. de petit.* & cum reſtrictione quadam *decurionem, & ſuæ curiæ (ſi ſic dici oportet) Senatorem*, in *l.* 33. *C. de decurion.* Neque rarior deinceps Senatusconſultorum municipalium in lapidibus fit mentio. Vide & percurre indicem Scaligeri hiſtoricum rerum memorabilium, ſi rem dubiam eſſe putas: mihi enim non vacat rei ſatis notæ longius immorari. Obtundendum autem ſemel erat eruditorum genus, qui ad vocem *Senatoris* apud Tacitum lib. XIII. Ann. c. 48. tam vehementer æſtuant, vel neſcio quid ex Africa novi cornicantur, ſicubi operibus publicis portisve civitatum municipalium S. P. Q. notam inciſam vident. Notandus etiam videbatur Cl. Dodwellus, qui in prælect. 3. ad Spartiani Hadrianum n. 3. nomen Senatoris decurionibus attributum negat: cum tamen adeo id frequens fuerit, ut Senatores Romani diſcriminis cauſa *Senatores Urbis*, & *Populi Romani*, eorum-

rumque Senatus *maximus*, municipiorum autem *minor* debuerit in ipſis legibus appellari *l. 27. C. Th. de decurion.* Quinimo ſicut Senatus Romanus *ampliſſimus ordo*, et Senatusconſulta *ampliſſimi ordinis decreta*, in Pandectis appellantur; ita *ampliſſimum* ordinem Puteolanorum laudat Cicero pro Cælio cap. 11. & ORDO MVNICIP. AMPL. LICITANORVM eſt apud Gruter. pag. 421. n. 7. Attamen fateor, minus id ferendum fuiſſe in coloniis, Roma florente: quippe cujus Senatus populorum, regum et gentium omnium commune erat conſilium. *Omnium terrarum arcem* vocat Cicero; et Cyneas Pyrrhi legatus de Senatu Romano interrogatus, *in uno iſto conſeſſu tot Reges ſimul adeſſe viſos*, reſpondit. Poſt multa ſæcula etiam Probus, in epiſtola ad Senatum ſcripſit: *Vos eſtis mundi Principes, & ſemper fuiſtis, & in veſtris poſteris eritis*, auctore Vopiſco cap. 11. Claudianus in VI. Conſ. Honorii Deos vocavit:

En quales memini turba verenda Deos.

§. V. Levia adhuc loquor, & facile fidem inventura: quid ſi autem ſummum *Conſulis* nomen ab Duumviris municipalibus uſurpatum dicam? quo, ut cecinit Ovidius, lib. IV. Ponto el. 9.

--- *nul-*

- - - nullum Martia ſummo
Altius imperium Conſule Roma vidit.

Vereor equidem, ne id plerisque ſuſpectum videatur, quibus Conſulatus ſplendor, magnitudo imperii, & formidata orbi Romano inſignia ante oculos verſantur: qui ex Pomponio & Zonara didicerunt, maluiſſe olim patres cum plebe conſularem communicare poteſtatem, quam Conſulum nomen: & vix, objicient, tantum auſos eſſe colonos, qui Romanis, omnium gentium ſuisque dominis, eandem reverentiam, quam parentibus liberi, debebant; ſi ulla pietas & memoria antiquæ patriæ ſupereſſet. Quid? quod ipſi Imperatores hoc legitimo poteſtatis ſimulacro uſi ſunt, cum nulla dignitas, etiam poſt imminutum & enervatum conſulare robur, iſthac major haberetur; qua ſi caruiſſet Princeps, privatus in republica primas tenere viſus fuiſſet. Hinc Themiſtius in orat. conſ. Ioviano conſulatum imperii præmium, filio initium vocavit; & Sidonius in Paneg. ad Majorian.

- - - decora omnia regni
Accumulant faſces, & Princeps Conſule creſcit.

Nullo itaque modo Duumviros Conſulum nomen affectaſſe admittunt Velſerus lib. V. rer. Auguſt. Vindel. pag. 272. Reineſius lib.

lib. III. Var. lect. cap. 16. & epiſt. 23. pag. 81. quique ejus ſententiæ ſubſcribit, Rupertus epiſt. 28. pag. 139. & append. pag. 674. At quanta etiam horum his in ſtudiis eſt auctoritas, metuo tamen, ne ſic cum iis qui ſentiunt, pro vero nebulas amplectantur. Magna, fateor, ſtante republica Conſulum fuit majeſtas, magnum Conſulare nomen: at quis neſcit quantopere liberrimum illud imperium ſub Cæſaribus fractum, atque adeo per alios magiſtratus deminutum fuerit, ut Præſides tantum Senatus manerent, eum rogarent, conſulerent, actusque voluntariæ maxime jurisdictionis expedirent? quæ ſingula, ſi cum amplis, quæ olim fungebantur, muneribus conferas, inane nomen, hebetes ſecures & oſtentationem dignitatis deprehendes; ut ne dicam homines flagitioſos, & pueros, in cunis vagientes, inclinante imperio, Conſules eſſe proclamatos, & Cajum equo ſuo e rarioribus Conſulatum deſtinaſſe. Eccur ergo rigidi Cenſores & Ariſtarchi eo nomine prohibebunt Duumviros, qui eandem navim in ſuo gubernabant ſimpuvio, quam Conſules Romæ, id eſt in mari Ægeo? annuam jurisdictionem exercebant, ordinem cogebant, decuriones conſulebant, plebi patriæque providebant, & ſicuti Conſules bini Duumviri

ri Romæ, ſic hi tanquam Conſules in municipiis. Eleganter ad rem Cicero lib. II. ad Att. epiſt. 6. *Dubitem, an hic an Antii conſidam, & hoc tempus conſumam: ubi quidem ego mallem Duumvirum, quam Romæ fuiſſe.* Simili prorſus figura vel joco, quo Macrobius lib. II. Sat. cap. 3. eundem facetiarum patrem uſum refert: quum enim ab hoſpite ſuo P. Mallio rogatus, ut decurionatum privigno ejus in municipio expediret, aſſiſtente frequentia, dixit: *Romæ ſi vis habebit, Pompejis difficile eſt.* Dicis, abhorruit tamen hoc a Romana loquendi conſuetudine? Audio. Sed Actius in Bruto, apud Varronem lib. IV. de LL. definivit. QUI RECTE CONSULAT, CONSUL FUAT. Et fides habenda eſt ſponſoribus certiſſimis, qui hanc notionem, ſaltem domi cujusque, regnaſſe promittunt. Non equidem ad partes vocabo Ulpianum in *l.* 3. *pr. D. de minor.* ubi Severus & Antoninus *Conſulum* decreta, quaſi ambitioſa eſſe, interpretati ſunt: nam Forner. lib. I. Select. cap. 17. & Jac. Gothofredus animadverſ. cap. 4. recte docuerunt, Conſulum in urbe decreta, per gratiam & ambitionem interpoſita, ibi intelligi debere, nihilque cauſæ eſſe, cur *Proconſulum* legamus. Neque ab eodem Domitio teſtimonium petam, qui Divum

Pium

Pium refert *Conſulibus* reſcripſiſſe in *l.* 30. *de adq. vel om. hered.* reſcripſerunt enim Divi fratres Proculo etiam et Munatio, Conſulibus Romanis ſuffectis, in *l.* 27. *de liber. cauſa.* ut adeo minus recte Scipio Gentilis lib. II. de juriſd. cap. 5. magiſtratus municipales intelligi poſſe exiſtimarit; pejus Hotmanus lib. VII. Obſ. cap. 8. *conſulentibus* legi juſſerit. Non etiam lapides teſtes ciebo, in quibus eruditiſſimus Cangius, poſt Scaligerum, conſules municipales reperiri exiſtimat: ſunt enim vel mutili, vel conſulatus urbanos exprimunt, quod vir ampliſſimus, & multis in rempublicam litterariam meritis inſignis, Gisbertus Cuperus in monum. antiq. pag. 224. erudite, ut ſolet, oſtendit. Idem quoque vir ſummus Scaliger non immerito a Reineſio & Gudio reprehenſus eſt, quod capite 5 Indicis Grut. hæc inſcriptionis Comenſis verba pag. 438. n. 5. COS. PONTI, *Conſul, Pontifex* interpretatur; & quamvis ab illius partibus ſtent Maſſonius & Holthenus in corrigendis; vix tamen Comenſes, Latii jure donati, ad eum ſuperbiæ gradum, Veſpaſiani tempore, graſſati eſſe videntur. Aperto ſane errore Claudium Pacatum V. C. COS. CAP. in 1. pag. 390. Conſulem Capuæ ſignari credidit; quum titulus *Viri Cl.* & *faſces depoſiti* ſatis cla-

ment, eum Conſularem fuiſſe in Campaniam miſſum. Non denique titulis immorabor, in quibus Jul. Cæſar Capacius Antiq. & Hiſt. Neap. cap. 10. Conſules Neapolitanos ſe reperiſſe exiſtimavit: quæ enim profert nomina in Faſtis Conſularibus occurrunt; unde lolio eum tunc victitaſſe Reineſius ait, lib. III. var. lect. cap. 16. Quid igitur? Fortiſſimum argumentum præbet inſcriptio lapidis Piſani, quam exhibet Noriſius ad Cenotaph. diſſ. I. cap. 3. in qua Felix Herculeo fuiſſe legitur AED. II. COS. I. PONT. PERP. REIP. PIS. Apud Gruterum quoque pag. 351. Ilienſes ſtatuam dedicarunt SEXTO. AELIO. MAMERCO. COLONIAE. ASTIGITANAE. CONSULI. Apud Fabrettum Duumvir Aufidenæ, Samniticæ urbis, Conſul vocatur: L. TVRCI. FAESASI. APRONIANI. COS. AVFIDENATES. DD. cap. X. Inſcript. n. 439. & pag. 745. n. 537. in lapide Florentino: Q. PETRONI. MELIORIS. COS. M V. Non minus Aquileja, nobiliſſima colonia, Quatuorviros ſuos CONSVLES appellavit; ut ex quatuor inſcriptionibus ibi repertis docuit Philippus a Turre, de colonia Forojul. pag. 360. Neque omittendus eſt nummus Remorum, ab Harduino in numiſmat. ſæculi Conſtantinei laudatus, in quo M. Aurelius

relius Romulus urbis Remenſis iterum Conſul laudatur: DIVO ROMVLO. N. V. BIS CONS. Denique in lapide Auguſtoriti-Pictonum effoſſo, apud Mabillon. addit. ſupplem. de re diplom. pag. 114. Pictonum civitas nobili cuidam heroinæ Gallæ, Cluarenillæ, CLVARENI CONS. filiæ, funus, locum & ſtatuam dediſſe meroratur.

§ VI. Nunc, age, ex libris quoque teſtimonia non minus clara petamus. Niſi enim omnia me fallunt, Plinius Conſulem Tuſculanum prodidit lib. VII. Hiſt. nat. cap. 43. his verbis: *Eſt & L. Fulvius Tuſculanorum rebellantium Conſul, eodemque honore, quum tranſiiſſet, exornatus confeſtim a Pop. Romano: qui ſolus eodem anno, quo fuerat hoſtis, Romæ triumphavit ex iis, quorum Conſul fuerat.* Tranſiit autem hic Fulvius Curvus A. V. C. CCCCXXXI. cum Tuſculum jam dudum ab Anno V. C. CCCLXXV. municipium fuiſſet, ut ex Livio conſtat. Atque ad hunc Plinii locum reſpexiſſe videtur Bulengerus lib. VII. de imp Rom. cap. 15. ubi Conſulis Tuſculani meminit; quamvis memoriæ vitio Cæſarem lib. I. de Bello civ. ſententiæ ſuæ auctorem laudet, ubi nullus Conſul apparet. Ad hæc Ciceronis ætate coloniarum ſummos Magiſtratus Conſulis nomen affectaſſe, ex oratione ejus in L. Piſonem, Ca-

puæ Duumvirum liquet: ait namque, cap. XI. *Seplaſia mehercule, ut dici audiebam, te ut primum adſpexit Campanum Conſulem, repudiavit.* & poſt redit. in Senat. cap. 7. *Capuæne te putabas, in qua urbe domicilium quondam ſuperbiæ fuit, Conſulem eſſe, ſicut eras eo tempore?* Rurſus idem, Capuæ ſuperbiam perſtringens, II. agrar. cap. 34. *Quibus primus annus hanc cupiditatem attuliſſet, nonne arbitramini paucis annis fuiſſe Conſulum nomen appetituros.* Hæc plana ſunt. Minus autem præſidii noſtra ſententia habet ex Strabone lib. V. pag. 241. & Floro lib. III. cap. 18. qui *Senatum, Conſules & Prætores* Corfinii creatos commemorarunt: urbs enim illa Italis, contra Romanos tumultuantibus, loco Romæ, ad breve tempus caput fuit deſignata, & ſimulac jus civitatis impetratum, Conſules vitio creati ceſſarunt. vid. Reineſ. epiſt. 31. Magis vexatus eſt Auſonii locus in claris urb. 13.

Diligo Burdigalam; Romam colo: civis in hac ſum,
Conſul in ambabus. Cunæ hic, ibi ſella curulis.

Velſerus enim Rer. Aug. Vind. lib. V. vocibus præter codicum vetuſtorum fidem trajectis, legit: *Conſul in hac ſum, civis in ambabus*, cui Scipio Gentilis lib. II. de juriſd.

cap.

cap. 5. & ad Apuleji apolog. n. 930. adſtipulatur: ſed Petrus Pithœus lib. II. Adverſ. cap. 18. non dubitat, Auſonium Burdigalæ Conſulem fuiſſe: idque Scaliger lib. II. Auſon. lect. cap. 23. ex vetere ſaxo confirmat: DEC. AVSON. COS. OLYMPIADE. Idem lib. II. Epiſt. 145. ad Velſerum ſcribit: *apud noſtratem Auſonium*, Conſul in ambabus, *recte habet*, *quod municipales Magiſtratus per totam Aquitaniam & Provinciam ita vocarentur*, *& ita ad hanc uſque diem vocentur*. Græcis etiam recentioribus uſitatum fuiſſe videtur, ut Duumviros ὑπάτους appellarent: quemadmodum Caſaubonus, in notis ad Apuleji Apologiam, ex Philoſtrato de vitis Sophiſtarum monuit. Hoc amplius Olearius ad Philoſtrati vitam Herodis pag. 546. eoſdem διυπάτους appellari oſtendit. Quin & ipſi ἀνθύπατοι *Proconſules* dicuntur Socrati lib. II. Hiſt. Eccleſ. cap. 41. ubi a Conſtantio Præfectum urbis Conſtantinopolitanæ conſtitutum ait, τὴν ἀνθυπάτων παύσας ἀρχήν, *extincto Proconſulatus officio*. id quod Johannes Harduinus, in nummis populorum & urbium, in *Halcyone*, nummi Græci auctoritate apprime confirmat. Nec prorſus inepta erat ea appellatio: Proconſul enim procul in provincias miſſus erat Conſul, quotidianus rector et judex, quantum ad nomen

quidem Proconſul, quantum ad potentiam Conſul, ut ait Salvianus. Senſu etiam contrario Prætorem pro Proprætore, Conſulem et ὕπατον pro Proconſule dixerunt Cicero, Strabo aliique. Vid. Perizon. animadv. Hiſtor. cap. VII. pag. 309. Denique ipſe Reineſius, epiſt. 31. ad Rupertum, ambitione municipalium contigiſſe largitur, ut quos IIViros ſuis locis eſſe juſſiſſet Senatus, ii Conſulum nomen ſibi adſciverint, vel ab adulantibus obnoxiiſque acceperint. Rurſus epiſtola 33. ad Daumium agnoſcit, conſuetudine ſæculorum inferiorum, Conſulis nomen pro quolibet magiſtratu poſitum; proindeque *fictos & factioſos Conſules* vitio creatos & regi ſuo rebelles magiſtratus interpretatur. Huc pertinet illud Freculphi Epiſcopi Lexovienſis, ſæculo poſt natum Chriſtum nono, tomo I. Chron. lib. II. c. 16. *Quicquid Diceneus eorum Conſularius præcepiſſet, hoc modis omnibus expetendum, hoc utile dijudicarent fore.* Heſychius: Κονσουλάριος, ὑπατικός. Multa alia loca, in quibus Reges, Duces, Comites aliique venerando Conſulum nomine honorantur, collegi in diſſertatione de Conſulibus, qui extra Romam, cap. II. §. 7. quibus accedat Guntherus lib. 8. Ligur. vſ. 218. ubi magiſtratus municipales Conſules appellat:

Si

Si tamen Italicis fuerit legatus in oris
Regius, hoc ipſum Regis vice juris habebit,
Et de Conſulibus diſponere cuncta valebit.

§. VII. Hæc abunde ſatis, ad conficiendum id quod propoſitum erat, diſputata ſunt hactenus. Sed ut viris ſummis omni ex parte ſatisfiat, paritasque magiſtratuum municipalium cum metropolitanis latius oſtendatur, unicum addam argumentum, de quo non minus, quam de ipſa veritate, dubitaſſe conveniet. Dictator in republica Romana ſummus populi erat magiſter, cujus dicto audientes eſſe omnes oportebat, quique imperio ac dignitate ipſos etiam Conſules ſuperabat; ut Cæſaris exemplo conſtat, ac ex tabula ænea apud Gruter. pag. 502. manifeſto probatur. Verba ibi leguntur iſta: *Quid. nunc. commemorem. Dictaturæ. hoc. ipſo. Conſulari. imperium. valentius. repertum. apud. majores. noſtros.* Eodem autem nomine Tuſculum, Cære ac Lanuvium, antiquiſſima municipia, ſummum rectorem ſuum nominabant, auctore Livio lib. III. cap. 18. & lib. VI. cap. 26. Ciceron. pro Milone cap. 10. 17. & Gruteri inſcript. pag. 214. Plane Cato Dictatorem ordinarium Latii magiſtratum fuiſſe oſtendit, Orig. lib. 2. *Lucium Dianium, in nemore A-*

ricinio, Ægerium Lesbium Tuſculanum dedicaviſſe Dictatorem Latinum. Et recentior Spartianus in Hadriano cap. 19. *Per Latina*, inquit, *oppida Dictator & Duumvir fuit.* Per Africanas quoque provincias Dictator laudatur, in Conſtantini reſcripto *l.* 1. *C. Th. de Legatis: Nullus igitur obſiſtat cœtibus Dictator, nemo conſiliis obloquatur.* Deinde Cenſoris munere quid Romæ fuit præſtantius? cui Plutarchus in Catone, ſummum culmen & faſtigium honorum tribuit. Et tamen plerisque civitatibus ſui fuerunt Cenſores, ad exemplum urbanorum Quinquennales dicti, apud Tullium II. Verr cap. 53. Liv. lib. XXIX. cap. 15. Plin. lib. X. epiſt. 113. Gruter. pag. 366 n. 2. & Sponium Miſc. pag. 169. BALBIO. CENSORI. REIP. NEAP. Tandem quid ceſſamus plenariam, urbanos inter & municipales magiſtratus, nominum convenientiam agnoſcere? cum hi etiam Prætores vocati ſint, quod nominis primitus ipſis Conſulibus, poſtea eorum collegis Romæ fuit uſurpatum, & proprium Imperii Romani nomen vocavit Juſtinianus *Nov. conſt.* 24. 25. At Cato, in fragmentis lib I. Orig. apud Feſtum: *Clœlius*, ait, *Prætor Albanus, Oratores miſit Romam.* Livius epit. lib 73. Herium Aſinium *Prætorem Marucinorum* habet;

habet; etiam *Prætoris Puteolani* meminit lapis Sponii Miſc. pag. 182. De urbibus Etruſcis Spartianus dicto loco: *In Hetruria Præturam Imperator egit.* De Campaniæ colonia luxurioſiſſima Cicero II. Agrar. cap. 34. *Nam primum id quod dixi, cum in ceteris coloniis Duumviri appellentur, hi ſe Prætores appellari volebant.* Ejusque arrogantiæ memor Petronius Campanum Prætorem fingit cap. 65. *Ego*, inquit Encolpius, *Majeſtate conterritus, Prætorem putabam veniſſe.* De Dorylenſibus Cicero pro Flacco: *Nummus commoveri nullus poteſt, ſine quinque Prætoribus, qui apud illos a populo creantur.* De Præneſtinis, Latii incolis, Livius lib. XXIII. cap. 19. *Ceteri incolumes Præneſte cum Prætore ſuo Manicio redierunt.* Plinius lib. XVII cap. 11. *Excide*, inquit, *radicem iſtam Papyrius Curſor Imp. ad terrorem Præneſtinorum Prætoris.* Aurelius Victor de viris illuſtr. cap. 31. *Papyrius cum Præneſtinum Prætorem graviſſime increpuiſſet, Expedi, inquit, lictor ſecures.* Neque abludunt Græci, Duumvirum Στρατηγὸν interpretantes; quæ vox cum coloniis Athenienſium in alias civitates tranſiit, etiam in urbibus Romanæ ditioni ſubjectis uſurpata eſt, & magis de urbano magiſtratu, quam de armorum præfecto. Hoc ſenſu

eadem in Smyrnæorum, Pergamenorum, Cumæorum, ac plurium Aſiæ civitatum nummis ac marmoribus accipi debet, in quibus στρατηγοὶ ἐπὶ τοὺς πολίτας, & ἐπὶ στρατηγοῦ τοῦ δεῖνος toties occurrit. Apud Rhodios quoque, Corinthios & Epheſios ſummum magiſtratum ſic dictum eſſe ex Dione, Arriano & Luciano conſtat. Dioni Caſſio autem, Appiano & aliis Prætorem: Auctori II. Machab. cap. X. vſ. 19. principem Magiſtratum & αὐτοκράτορα notat. Ipſe etiam Conſul στρατηγὸς, vel conjunctim στρατηγὸς ὕπατος apud Polybium et Plutarchum vocatur; uti Valeſius ad Excerpta Conſtantini cap. 122. et Perizonius animadv. Hiſtor. c. I. pag. 35. obſervarunt. Recentiore autem ætate Magiſtratus etiam municipales ita appellati ſunt. Gloſſæ veteres Græco Latinæ: Στρατηγὸς, *Magiſtratus*, *Duumvir*. Στρατηγία, *Magiſtratus*, *Duumviratus*: et Latino Græcæ: *Prætor* Στρατηγός. *Prætura* στρατηγία Lucas in Actis cap. XVI. vſ. 35. ἀπέστειλαν οἱ στρατηγοί, *miſerunt Magiſtratus*, coloniæ nempe Philipporum. Modeſtinus in *l.* 6. §. 16. *D. de excuſat.* στρατηγοὶ τῶν πόλεων, et expreſſiſſime in *l.* 15. §. 9. *eod.* Ἐὰν ὁ τῆς πόλεως ἄρχων, τοῦτ' ἔστιν ὁ στρατηγός. *Si Magiſtratus municipalis, hoc eſt* στρατηγός. Eaque notione Juſtinianus Novella 89. *cap.* 15. Theophilus, Inſtitutionum paraphraſtes, in

in §. *fin. de Attil. tut.* Harmenopulus promt. *tit.* 2. *§.* 19. Leo *Nov.* 46. Baſilica lib. VII. tit. 6. cap. 16. lib. VIII. tit 2. cap. 106. et Thalelæus, Græcus ſcholiaſtes, ad lib. 24. Baſilicῶn hac voce utuntur. Hinc quoque *ſtrategeo, ubi ſenatus haberi ſolet*, apud Julium Obſequentem cap. 116. & ϛρατήγιον pro prætorio uſurpant Græci veteres & recentiores; ſicut his ϛρατηγὶς, ϛρατηγίλον, pro præfectura civitatis. Manſit ejus nominis veſtigium in urbe Sicula Meſſinenſi, quæ Prætorem ſuum *Stradigo, Stratego* appellat, teſte Spanhemio de Præſt. diſſ. IX. pag. 700. Aliarum quoque civitatum ſupremos rectores *Strategos, Straticos, Stratigos* vel *Stratigotos* eſſe dictos, diligentiſſimus du Frene in Gloſſario monſtravit. Plura ſi cupis, adi ad Viros Cl. quos honoris cauſſa nomino, Leopard. lib. IX. Emendat. cap. 25. Caſaub. ad Athen. pag. 234. Valeſ. ad Ammian. lib. XXXI. cap. 6. ad Euſeb. lib. VII. cap. 12. & Spanhem. ad Juliani orat. I. pag. 76.

C A-

CAPUT III.

De Ædilium Necessitate et Frequentia.

I. *Ædilium in bene conſtituta Republica neceſſitas oſtenditur rationibus.* II. *Inductione exemplorum, ab Indis, Lacedæmoniis, Cretenſibus, Ætolis, & Corinthiis ſumtorum.* III. *Maxime vero ab Athenienſibus, qui viginti habuerunt Agoranomos, totidemque Aſtynomos. Budæus, Rhodiginus, Sigonius, Mauſacus, Petitus notantur.* IV. *Ædiles in Coloniis & Municipiis Romanis per Campaniam, Etruriam, Latium.* V. *Per omnem Italiam. Perſii locus a Noriſii emendatione vindicatus. Eretum & Arretium confuſa.* VI. *Ædiles in Sicilia. Cicero explicatus. Alciatus, Boſius & Lazius erroris inſimulantur.* VII. *Ædiles in Galliæ & Hiſpaniæ coloniis. Nummus Ædilium expoſitus.* VIII. *In Aſia & Africa. Ammianus illuſtratur. A Gothofredo & Baronio diſceſſum.*

HÆc diſtinctius paullo præmittenda erant, ne in argumento impedito ab antiquo tramite aberraremus. Nunc recta via ad Ædiles progredimur, eorum & neceſſi-

ceſſitatem in coloniis & frequentiam viſuri: Atque illud quidem nemo eſt qui neſciat, nullam civitatem, populum aut reipublicæ corpus ſine Ædilitiis curis inchoari, nec diu conſiſtere poſſe. Quemadmodum enim in re domeſtica prima omnium annonæ habenda eſt cura, ut juſta præbeantur familiæ, ne algeat, ne eſuriat, ne parte cibi diurni fraudetur: ſic etiam civitas, quæ ab illa ſocietate originem ducit, id operam dare debet, ut annona comparetur, dardanarii coërceantur, atque in commerciis ut conſervetur ordo, modus & fides. Tum quoque, ut omnia decenter & ornate habeantur, ut domus omnes unius referant figuram, utque viæ ſternantur, muniantur, purgentur; ne cives per ſcrupos gaſtrorumque eminentium fragmenta pedes trahant cruentos. Illud pulchra comparatione Dinocratem architectum docuit Alexander M. perhibente Vitruvio in præf. lib. 2. de archit. *Ut enim natus infans ſine nutricis lacte non poteſt ali, neque ad vitæ creſcentis gradus perduci: ſic civitas, ſine abundantia cibi, frequentiam habere, populumque ſine copia tueri nequit.* Hinc præ ceteris magiſtratibus viri cati, prudentes & optimi ſunt conſtituendi, qui primum ea, quæ ad vitæ neceſſaria pertinent, tum etiam, quæ ad urbis ſymmetriam

triam populique voluptatem tendunt, quam largiſſime inſtruant ac procurent. Tales certe magiſtratus, ante omnes alios, in republica ſua requirit Plato lib. VI. de LL.. & tanto præceptore dignus diſcipulus Ariſtoteles lib. VI. Polit. cap. 8. quorum ſententiam omni ævo omnes, quotquot ſapientiæ laude claruerunt, reſpublicæ calculo ſuo approbarunt. Nubem ejusmodi magiſtratuum, ex bene conſtitutis Germaniæ, Belgicæ & Italiæ civitatibus, proferre poſſem, qui hodie Romæ *Conſervatores cameræ;* Neapoli *Catapani*; Arimini, & in aliis quibusdam Italiæ locis, *Abbondanzieri*; alibi *maeſtros di graſſa*; alibi *Deputados alle biade*; alibi *judices vectigalium*, in Hiſpania *Muſtazaſii* appellantur, ſed neſcio qui fiat, ut recentia quævis ſordeant, & majus pondus inſit vetuſtioribus; quemadmodum Plauto, qui vino utuntur vetere, ſapientiores videntur.

§. II. Ab Indis igitur exordiri placet, de quorum Ædilibus luculentum teſtimonium perhibet Strabo lib. XV. Geogr. pag. 707. cujus integrum locum, compendii gratia, ex verſione Xylandri, ſemel ponam: *De præfectis*, ait, *alii annonæ, alii urbi, alii militibus præſunt. Horum primi* ἀγορανόμοι *curant flumina, alii agrum metiuntur, ut in Ægypto, & clauſis aquæ-*

du-

ductibus præſunt, ut ex æquo omnibus aquarum uſus ſuppeditet. Iidem venatorum curam gerunt, & præmii & ſupplicii pro meritis poteſtatem habent, & tributa legunt, & artes inſpiciunt, quæ terra exercentur; ut eorum qui ligna, vel domos, vel æs, vel metalla operantur. Conficiunt etiam vias, & per dena ſtadia lapidem locant, diverticula diſtantiaſque indicantem. Urbani Ædiles, ἀϛυνόμοι, *in ſex quinterniones ſunt diviſi. Nam alii opificia inſpiciunt, alii hoſpitum procurationem gerunt, hi hoſpitia diſtribuunt, & hominum victus vitam obſervant, & illis aſſeclas dant, & vel eos deducunt, vel defunctorum bona. Ægrotantium quoque curam habent, & mortuos ſepeliunt. Tertii ortus hominum obitusque perſcrutantur, & quando & quomodo evenerit: idque tributorum gratia, & ne boni malive nativitas, & mors lateant. Quarti circa cauponas & commercia verſantur. Hi menſurarum frugumque curam habent, ut conſignata vendantur, neque ſinant eundem plura commutare, niſi duplex vectigal perſolvat. Quinti operibus locandis præſunt, ea obſignata locantes, ſeorſum nova a veteribus: quæ qui miſcuerit mulctam perſolvit. Sexti & ultimi venditarum rerum decimas exigunt: & qui vectigali rempublicam defraudaverit, capite ple-*

plectitur. Ac privatim quidem ſinguli hæc curant; publice vero & propria, & civilia, & publicam ſupellectilem, & pretia, & forum, & portus, & ſacra. Hactenus Strabo. Apud Lacedæmonios ſimiliter certi magiſtratus fori & rerum venalium curam habuerunt, quorum parca tamen in veterum monimentis mentio occurrit. Unicus, quod ſciam, Heſychius eos *Empeloros* eſſe dictos oſtendit, & Ædiles interpretatur. Sic enim ſcribit: ἐμπέλωρος, ἀγορανόμος, Λάκωνες. Recte exponit ἀγορανόμος: nam Laconum in Cretam inſulam deducta quondam colonia Lyttus, inſtitutorum urbis matris, ut Strabo laudat, tenaciſſima, eoſdem habuit annonæ curatores. Indicat id inſcriptio, pridem e ruinis urbis Lytti effoſſa, apud Gruter. pag. 1094. num. 5. in qua T. Flavius vocatur ΑΓΟΡΑΝΟΜΟΣ. Β. hoc eſt, uti Fabius Pacius reddit, *Ædilis iterum.* Rurſus pag. 1099. num. 7. in eadem inſula Gortynæ Antonius Parebatus, & Tettius Macrinus, Timageneſque fuiſſe dicuntur. ΑΓΟΡΑΝΟΜΟΙ id eſt *Ædiles:* quemadmodum Furlanus convertit. De Ædilibus Ætolorum teſtis mihi eſt, inſtar omnium, Hegio Plautinus in Capt. Actus IV. ſc. 2. vſ. 44.

Eugepe! edictiones Ædilicias hic habet quidem:

Mi-

Mirumque adeo eſt, ni hunc fecere ſibi
Ætoli agoranomum.

Corinthi ducentos ferme ante annos, quam a Romanis deleretur, Ædiles memorat Trogus Pompejus, in epitome Juſtini libro XXI. cap. 5. ubi de Dionyſio, e Sicilia Corinthum in exilium profecto, hunc in modum ſcribit: *cum perditiſſimo quoque de minimis rebus diſceptare, pannoſusque & ſqualidus incedere: riſum libentius præbere quam captare: in macello perſtare; quod emere non poterat, oculis devorare: apud* ÆDILES *adverſus lenones jurgari.*

§. III. Sed Muſas & præſidem Minervam iratas mihi metuo, ſi hoc loco tacitus prætercam Athenas, urbem inclitam, virtutis cultricem, optimorumque inſtitutorum inventricem; unde, ut ajebat Cicero, doctrina, humanitas, religio, jura, leges, addo & magiſtratus orti, atque in omnes terras diſtributi ſunt; unde etiam Ædilium, qua Romanorum, qua municipalium, natales merito repetuntur. Neque vero Theſeus urbem exiguam reddidiſſet ampliſſimam, niſi conſtitutis *Aſtynomis*, qui pro ſpecubus domos, pro luto Hymettium marmor eligi curaſſent: neque, in tanta civium, hoſpitum, ſervorumque multitudine, frumenti medimnum quinque drachmis, aut tres vini cotylas uno

 obo-

obolo emere licuiſſet; niſi Sitonæ, Sitophylaces, Opſonomi, Emporii curatores, & cum maxime *Agoranomi* annonæ rebusque venalibus præpoſiti fuiſſent. Utrique vero hi in Gloſſis, veterum linguarum theſauris & repertoriis, *Ædiles*, eorumque magiſtratus *Ædilitas*, vel *Ædilatus* exponuntur. Optimæ Gloſſæ: Ἀςυνομία, *Ædilatus.* Gloſſarium Latino Græcum Stephani: *Ædilis* ὁμήλιξ, Ἀγορανόμἱ: et Græco Latinum Ἀγορανόμἱ *Edilicius*, *Edilis.* ἀγορανομία *Edilitas.* Operæ igitur erit pretium, de his Athenienſium Ædilibus diligentius paullo diſpiciamus. Ac primum quidem ad numerum eorum quod attinet, notandus eſt error Guilielmi Budæi in theſ. ling. Græc. Cœlii Rhodigini lib. XXIV. antiq. lect. cap. 5. Sigonii lib. III. de rep. Athen. cap. 3. Mauſſaci in notis ad Harpocrat. voce ἀςυνόμἱ & aliorum, qui mendoſis Suidæ & Harpocrationis codicibus decepti, decem Aſtynomos, totidemque Agoranomos, quinos in Pyræeo, quinosque in urbe ſorte lectos eſſe, tradunt. Suſpectum hoc videbatur Samueli Petito, quia Piræeus portus & adjuncta ei Munychia tertiam tantum Athenarum partem conſtituebat: non autem veriſimile ſit, tot in eo magiſtratus fuiſſe, quot in urbe. Ideo in commentario ad leg. Att. lib. III.

tit.

tit. 2. pag. 253. mutata lectione utriusque generis quindecim facit, quinque in Piræeo, in reliqua urbe decem. Sed nil cauſæ erat, cur abiret ab doctiſſimi Meurſii ſententia, qui jam acu rem tetigerat, lib. I. Att. lect. cap. 19. Equidem in deſcriptione Piræei cap. 10. veterem lectionem ſervarat, non auſus in re incerta conjecturæ indulgere; ſed hoc loco fidentior apud utrumque, & Suidam & Harpocrationem, mendum ex confuſione numerorum έ & ιέ natum exiſtimat, ac legi jubet πέντε μὲν ἐις Πειραῖα, δεκαπέντε ἢ εἰς ἄςυ; *Quinque in Piræeo, quindecim in urbe.* Ut non decem, non quindecim, ſed viginti Agoranomi & totidem Aſtynomi fuerint. Fundum emendationis in eo ponit, quod apud eundem Harpocrationem viginti Σιτοφύλακες traduntur, quodque Lyſander, in diſtribuendis Athenarum muneribus, ea ratione uſus eſt, Urbi ut imponeret Præfectos triginta, Piræeo decem, auctore Plutarcho in ejus vita. Huic adſtipulantur noviſſimæ Harpocrationis & Suidæ editiones, a Nicolao Blancardo & Ludolpho Kuſtero adornatæ, in quibus, non addito utrum de ingenio Meurſii, an ex Codicibus MStis, viginti exhibentur. Ἀςυνόμος, *Ædilis. Demoſthenes contra Timocratem. Ariſtoteles in rep. Athenienſium* ἀςυνόμους *vi-*

ginti fuiſſe ait; quinque in Piræeo, & quindecim in urbe. Iidem de Agoranomis: Ἀγορανόμοι *Magiſtratus, qui res in foro venales adminiſtrant. Demoſthenes oratione adverſus Timocratem. Ariſtoteles vero, in republ. Athenienſium, ſorte eligi dicit, quinque in Piræeo & quindecim in urbe.* Hæc de numero. Munera *Aſtynomorum* multis perſequitur Plato lib. VI. de Rep. Pertinebant enim ad eorum curam ædificia, qua publica, qua privata, inprimis autem viæ, e quibus ſordes & feras beſtias removeri jubebant. Hinc Gloſſæ antiquæ: Viocurus ἀστυνόμος. Et Heſychius generaliter ait: ἀστυνόμος ὁ διοικῶν κατὰ τὸ ἄστυ. *Agoranomi* vero inſpectores erant rerum venalium, modeſtiam exigebant in foro, pretia rebus imponebant, ſycophantas expellebant, & puniebant denique, qui in leges fori peccaſſent. Heſychius: ἀγορανόμος. δικαστὴς, ὁ ἐν τῇ ἀγορᾷ νέμων τὸ δίκαιον. Harpocration: ἀγορανόμοι. οἱ κατὰ τὴν ἀγορὰν ὤνια διοικοῦντες Ἄρχοντες. Suidas: ἀγορανομίας. λογιστίας. εἴρηται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἐπισκοπούντων τὰ τῆς πόλεως ὤνια. Plura & graviora Ariſtophanis, Lyſiæ, Artemidori aliorumque teſtimonia mihi ſunt in promtu, quæ commodius in Hiſtoria Ædilium Curulium proferentur.

§. IV. Hiſce Athenienſium Agoranomis & Aſtynomis ſimiles cum maxime fuerunt Ædi-

Ædiles Romani, ad quorum exemplum Ædiles noſtri in Coloniis & Municipiis conſtituti ſunt. Nam quia omnis omnium oppidorum forma ad Romanam erat compoſita, ideo ante alios omnes, quibus curatio, officium, miniſteriumve publicum injungebatur, Ædiles erant creandi; in quibus, velut in imagine, Ædilium Curulium ſplendor & Plebejorum diligentia cerneretur. Magiſtratus Conſularis aut Prætorii tanta non erat neceſſitas: ſiquidem in populi provinciis Proconſules, in provinciis Imperatorum Proprætores, Præſides ceterique Roma miſſi magiſtratus cum imperio verſabantur, cauſasque graviores in juridicis conventibus decidebant. Unde nil mage ſupererat, quam quæque civitas uti domeſticos ſibi conſtitueret magiſtratus, qui popellum paſcerent, mœnia, templa, curiam, vias dirigerent, &, ut paucis me expediam, qui Ædilium officia explerent. Multa horum in veterum libris eſt memoria, Græcis pariter ac Latinis, ſoluta & devincta oratione ſcriptis; Juriſconſultorum fragmenta & Imperatorum reſcripta eorundem plus vice ſimplici meminere; nummaria ſupellex teſtimonia offert præſtantiſſima; & marmora denique, e ruderibus urbium collecta, millies & amplius eos loquuntur: ut adeo in litteris peregrinus

 ſit,

ſit, cui Ædiles noſtri ſunt ignoti. At quia nuda & ſimplex oratio nullam per ſe fidem habet, niſi obſignatis quaſi tabulis agatur, ideo hoc capite teſtes ſupernumerarios adducam; in reliquis apes imitabor, quæ quicquid congeſſere diſponunt, per favos digerunt, atque, ut Virgilius canit:

- - - - - liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.

Primum vero per Italiam proficiſci lubet, mundi parentem alteram, clariſſimiſque coloniis & municipiis refertam, cui etiam dulces hos ludos & ingenii blanditias maximam partem debemus. Hic omnis urbis, in omni regione, Ædiles in lapidibus cernuntur; quos ſciens prætermitto, ne ſine utilitate faſtidium lectori creem: tot enim pœne ſunt teſtimonia, quot lapides ad colonias & municipia pertinentes: binos tamen ternoſvè, eoſque ob antiquitatem breviſſimos adſcribam. In Campaniæ oppido Puteolis inſcriptio, e Scipionis Mazzellæ Antiquit. Puteol. tom. IX. Theſ. Ital. part. 4. pag. 8. exhibita apud Gruterum pag. 195. num. 9. hæc eſt: ÆDIL. COLON. PVTEOLANORVM. Etruſcæ urbis & coloniæ Ædilem Q. Largenium Severum præfert marmor elegantiſſimum, a Valerio Chimentellio ſingulari commentario illuſtratum, his verbis: AE-

DILI.

DILI. PISAS Item illud Capenæ ejuſdem regionis municipii, apud Fabrett. cap. III. inſcript. n. 533.

T. FLAVIO. T. F. QVIR. FLAVIANO
AEDILI. QVAESTORI. DESIGNATO
MVNICIPIO. CAPENAE. FOEDERATO

In Italia Transpadana Brixiæ coloniæ Ædilem prodit epigramma, apud Octavium Roſſium & Cluverium, in quo eſt AEDILIS BRIX. Non minus in municipio Teate, quod Silius nunc *magnum*, nunc *clarum* vocavit, Lucius Camarra ex ſaxo AEdilem obſervavit Q. NINNIVM. OPPIANICVM. AED. IIIIVIR. I. D. in deſcript. Teat. tom. IX. Theſ. Ital. p. 5. pag. 78. In Arpino etiam municipio, Latio adjecto, triumviros AEdiles nobis prodidit Cicero lib. XIII. epiſt. 11. ita de patria ſua ſcribens: *Conſtituendi municipii cauſa, hoc anno Ædilem filium meum fieri volo, & fratris filium, & M. Cæſium, hominem mihi maxime neceſſarium: is enim magiſtratus in noſtro municipio, nec ullus alius, creari ſolet.* In oppido Formiarum Sextus Firmius AED. FORM. III. laudatur è ſaxo, apud Capacium lib. I. cap. 21. qui perperam curatorem formarum interpretatur; cum Formiarum urbs ipſi ex Cicerone & Plinio ignota eſſe non debuerit. De ceteris Latii oppidis teſtem locupletiſ-

ſimum habeo Spartianum in Hadriano cap. XIX. ubi enim honores, quibus ille nominetenus tantum abſenſque functus enarrat, AEdilium diſerte meminit. Verba ejus ſunt ſequentia: *In Hetruria Præturam Imperator egit. Per Latina oppida Dictator, & Ædilis, & Duumvir fuit: apud Neapolim Demarchus, in patria Quinquennalis.* Denique id confirmat lapis apud Sigon. lib. III. de antiq. jure Italiæ cap. 3. & Gruter. pag. 424. num. 7.

C. IVLIO. C. F. PVB. RVFO
PRAETORI. AED. IIIIVIRO. I. D.
MVNICIPI. ALETRI

§. V. Quid ceteras peragrare regiones juvat? Tot tamque frequentes in Italiæ non tantum nobiliſſimis municipiis, ſed et vilioribus, AEdiles Perſio viſi ſunt, ut AEdilitatem *Italum honorem* appellaverit. Ita enim ſat. 1. vſ. 129. canit:

Seſe aliquem credens, Italo quod honore ſupinus
Fregerit heminas Arreti Ædilis iniquas.

Honorem ponit pro magiſtratu; quemadmodum Ovidius *honoratum* Conſulem & Prætorem; Propertius equos *honoratos* dixit, & in inſcriptionibus HONORE USI, pro magiſtratu functi legitur; eaque de locutione plena ſunt trivia Philologorum. Mage videndum, quam Italiæ

urbem

urbem Poëta exempli loco ſubjiciat: corruptum enim ejus nomen cenſuerunt eruditi, varie medicinam tentantes; aliis *Areti*, aliis *Eretis*, aliis *Ereti* legendum poſtulantibus; quos inter poſtremos eſt Noriſius ad Cenotaph. Piſana diſſert. I. pag. 39. Adoptavit autem fortaſſis hanc lectionem ab Adriano Turnebo, qui eundem in modum *Eretum* pro *Arretium* ſubſtituit apud Plinium lib. XXXV. cap. 12. ubi ait: *Retinet hanc nobilitatem* (vaſorum fictilium) *Arretium in Italia.* Apud Tibullum quoque lib. IV. carm. 8. vſ. 4. Cyllenius, Scaliger & Broekhouſius *Eretino*; Salmaſius & Heinſius vero *Aretino* ex libris legendum contenderunt. Verum uti Turnebo Harduinus in notis & emendationibus ad Plinium ſatisfecit: ſic & nos inquiremus, an tanti ſint Viri Eminentiſſimi argumenta, ut vadimonium nobis deſerendum videatur. Ait, Poëtam irridere faſtum cujuspiam, qui ob infimum Ædilitatis munus, in vili oppido geſtum, vultu elato procedebat, & tale fuiſſe Eretum, vicum Sabinorum in via Salaria, haud procul Tiberis ripa, in edito colle, hodie *monte ritondo*; Arretium vero accepiſſe coloniam nobiliſſimam, quæ vario Marte cum Romanis diu conflixerit. Docet hoc etiam Livius lib. IX. cap. 37. *a*

Peruſia & Cortona, & Arretio, quæ ferme capita Etruriæ populorum ea tempeſtate erant. Contra de Ereto ſcribit Strabo lib. V. *Trebula & Eretum, aliæque id genus habitationes, vicis rectius, quam urbibus accenſueris.* & Valerius Maximus lib. II. cap. 4. *Habitabat in villa ſua propter vicum Sabinæ regionis Eretum.* Verum primo nimis confidenter affirmat Noriſius, Ædiles in oppidis vacuis poſtremum locum tenuiſſe; cum magis veriſimile ſit, eos in minimis oppidis inter primos fuiſſe, quod ſoli his ſatis præeſſe poſſent; inde Juvenalis: *vacuis ÆEdilis Vlubris.* Deinde nil cauſæ eſt, cur Aulum de oppido exili loquentem interpretemur: ſatyrico namque aceto perfundit eos, qui ob honores buccas inſolentiores inflabant, petitque exemplum dignitatis non urbanæ, ſed colonicæ; quæ licet nobiliſſima fuerit, aptam ſatis Satyrico ridendi materiam præbere potuit. Omni ſiquidem cultu coloniæ, præſertim nobiliores, imitabantur dignitatem urbis parentis; quam idcirco levem putabant Romani, niſi cum injuria in municipales eſſet conjuncta. Sed minuta hæc ſunt, nec amplius conſector. Illud vero nollem adjeciſſet Noriſius, at quantus Vir! modum carminis vocem Arreti non ferre, quia primam ſyllabam longam habet,

habet, ob geminatam conſonantem. Bonum factum! id enim niſi eſſet, verſus rueret; quia numeri longam omnino poſtulant, niſi vocalem non elidi nullum adferre incommodum putemus. Hoc amplius ſcire debuiſſet τὸ *Ereti*, caninam licet non duplicet, primam tamen pariter longam efferre. Virgilius lib. VII. AEneid. vſ. 711.

Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ.

Lunam igitur hanc in ſe detrahit, &, quod Latini ajunt, aſciam duplici vulnere ſuis ipſe cruribus allidit. Servandum eſt *Arreti*, quia verſus non reſpuit, & ſenſum ſat commodum habet. Luto namque Arretino vaſa fingebantur, etiam quæ heminam caperent; hæc vero frangebat AEdilis, ſi menſuræ promiſſæ non reſponderent. Martialis lib. XIV. Epigr. 98.

Arretina nimis ne ſpernas vaſa, monemus:
Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus.

Quid vero dicemus, ſi Ereti etiam teſtæ e luto fictæ ſunt? Vetus namque Grammaticus, qui Fulgentii nomine circumfertur, de priſco ſermone, *Eretinas hominum mentes*, apud veterem ſcriptorem, teſteas et argillaceas interpretatur: Sed opportune monuit Barthius, pro *Eretinas* in exemplari Manuſcripto legi *Arietinas*. Turnebus lib. XXVI. Adverſ. cap. 10. ſcriptum invenit *Eritinas*, et ſi quis religioſior priori

ri inhæreat, ad *Ertham* potius, quæ Germanica terræ appellatio eſt, quam ad *Eretum* reſpexiſſe ſcriptorem, dicam cum Reineſio lib. III. var. lect. cap. 1. Tacitus de M. G. cap. 40. *In commune Herthum, id eſt Terram matrem colunt.*

§. VI. De AEdilibus Italiæ oppidorum jam ſatis. Non eſt autem dubium, quin in provinciis coloniæ & urbes municipales eoſdem ſibi adſciverint annonæ ludorumque curatores. Primas dabo Siciliæ, quam, ſubacta Italia, primam omnium aggreſſi ſunt Romani, & ſub imperium redactam, bello Punico ſecundo, provinciam fecerunt. Ipſa etiam pars Italiæ cenſebatur, quæ modico freto diviſa, *l.* 99. §. 1. *D. de V. S.* Deductæ huc quoque ſunt coloniæ, & municipia facta, in quibus utique AEdiles Romanis ſimiles fuerunt. Cicero fidem facit Verr. II. cap. 55. ubi Verrem reprehendit, quod Cenſores magis, quam AEdiles in Siculis civitatibus nominarit; cum utrique a populo nominandi eſſent. Rurſus IV. Verr. cap. 43 præceptum refert AEdilibus Agrigentinis, ut noctu vigilias agerent ad ædes ſacras. Accedit inſcriptio lapidis fracti, Catanæ reperta, apud Petrum Carrera lib. III. Mon. Hiſt. urbis Catanæ cap. 12. tom. X. Theſ. Sicil. Q. LVTATI. Q. D. D. AEDIL. PRO.
HO-

HONO. etiam pulcherrima apud Fabrett. cap. 2. num. 91.

L. PINARIVS. RVFVS. OB. HONOREM.
AEDILITATIS. IMAGINEM. GEN...
MVNICIPI. LILYBITANORVM. EX
ARG. R. V. P. S. P.

His præmiſſis, ſub incudem vocandus eſt locus Ciceronis ſalebroſus, in quo explicando mire æſtuant interpretes; ſed aut ego mihi ſuffenus ſum, aut eadem facilitate, qua modo Perſii, ſententiam ejus oſtendam. Recitentur ipſa verba Ciceronis e lib. II. ad Att. ep. 1. *Fregi*, inquit, *hominem* (Clodium) *& inconſtantiam ejus reprehendi, qui Romæ Tribunatum pleb. peteret, cum in Sicilia Heræ AEdilitatem ſe petere dictitaſſet.* Ita in fideliſſimo exemplari ſe legiſſe in notis docet Boſius, atque ex Stephano Heram Siciliæ urbem, quæ alias Hybla minor audit, interpretatur, in qua Clodius fuerit AEdilis. Alciatus vero lib. X. Parerg. cap. 1. *Cum in Sicilia hereditate ſeſe ditaſſet*, dubius corrigit. Alii neſcio quæ lectionis portenta effingunt; ſed illa ſervanda videtur; niſi cum Celeb. Grævio pro *Heræ* mavelis *Himeræ*, cujus idem Cicero meminit II. Verr. cap. 35. *Oppidum Himeram Carthaginienſes quondam ceperant, quod fuerat in primis Siciliæ clarum & ornatum.* Itane vero Clodius

dius in Siciliæ oppido AEdilitatem petiit? Petiit, ſi audimus Boſium d. l. & Lazium de Rep. Rom. lib. II. cap. ult. At non adhæreo tam infirmæ conjecturæ, cum aliam plane Ciceronis mentem videam. Ait, Clodium Himeræ, in Siciliæ oppido, ex quo ſeptima die Romam venerat, ſæpius dixiſſe, Romæ AEdilitatem ſe petiturum, quo Siculos, per cauſam fori ornandi, ſignis rebuſque pretioſioribus emungeret; cum tamen Tribunatum plebis ambiret. Nemo refragabitur, niſi cui ſcelerata Clodii in Ciceronem conſilia, lapidationes, incendia & trucidationes ſunt ignota: quibus exſequendis nulla municipalis vel colonica, ſed magis Ædilitas urbana, maxime vero ſacroſanctus plebis Tribunatus ei erat neceſſarius: fuit enim homo audax, qui faciendi nullum, niſi quem vellet, noſſet modum, malorumque propoſitorum exſecutor acerrimus, auctore Vellejo lib. II. cap. 45. Et Quæſturam jam geſſerat, ut proximus ad honores ampliores gradus per AEdilitatem ei eſſet capeſſendus. Eum enim honorum ordinem varia docent exempla, & Aſconius Pedianus in divinat. oſtendit. *Primis*, ait, *experimentis Quæſturæ initiati, qui nullis ante honoribus uſi erant, inculpatæ vitæ teſtimonio ad AEdilitatem, mox Præturam, & demum Conſulatum eve-*

he-

bebantur. At vero, quia plebejis hominibus Quæſturam inter & AEdilitatem tribunatus plebis patebat, ideo Clodius a Cæſare ad plebem traductus, quo Ciceroni diem diceret, prius tribunatum plebis, poſt vero AEdilitatem Curulem ambivit, & obtinuit provinciam utramque. Cicero pro Sextio cap. 44. de eo loquens: *Qui in tribunatu carcerem totum in forum effudit, volitat AEdilis.* & cap. 55. *In eo homine, cui tum petenti AEdilitatem ne hiſtriones quidem pepercerunt.* Dio Caſſius lib. 39. *Clodius, ut primum Philippo & Marcellino Conſulibus AEdilitatem adeptus eſt; Miloni diem dixit.* hoc eſt A. V. DCXCVII. Scripta eſt autem epiſtola noſtra, ut Leonardus Malheſpina tradit, Q. Metello Celere & L. Afranio Conſulibus, hoc eſt, A. V. C. DCXCIII. Tunc ergo in Sicilia dictitavit, ſe AEdilitatem Romæ petiturum, quam autem, in Protei modum ſui diſſimilis et inconſtans, poſt triennium demum, geſto tribunatu, captavit. Non eſt hoc fortaſſe ſatis ad hunc locum? Nondum. Vereor enim, ne quis ex me quærat, quid vitii habeat, ſi Clodium in Sicilia quoque AEdilitatem petiiſſe dicamus, cum Viri majores et nobiliſſimi honores municipales non fuerint adſpernati? Lucius namque Piſo, et Cn. Pompejus, jam poſt Orientem

tem debellatum triumphales, Capuæ Duumviratum geſſere; Milo Lanuvii Dictator fuit, tunc cum Romæ Conſulatum petebat; et Balbus Gaditanus Quæſtor erat populi Romani, et eodem tempore Quatuorvir in patria ſua, auctore Cicerone pro Seſtio cap. 8. pro Milon. cap. 10. et lib. X. epiſt. 32. Quid? quod Tiberius, imperante Auguſto, Duumvir Corinthi renunciatus eſt, teſte nummo apud Vaillantium; idemque cum Sejano in nummis Bilbilitanis IIVir laudatur, apud Harduinum. Hadriani quoque catalogum honorum municipalium vidimus ex Spartiano, cui accedat inſcriptio Grut. pag. 421. n. 1.

EO. ANNO. QVO. ET. OPTIMVS
IMP. HADRIANVS. ETIAM
DVVMVIRATVS. HONOREM
SVSCEPIT

Verum non ſatis hæc cohærent. Nullus horum magiſtratum petiit, quod de Clodio dicitur, ſed ſponte oblatum accepit: neque in ignobili oppido, qualis erat Himera, belli calamitate deleta; ſed in coloniis ſplendidiſſimis, qualis illa ſub Auguſto demum facta eſt. Grut. pag. 433. n. 6. ORDO. ET. POPVLVS. SPLENDIDISSIMAE. COL. AVG. HIMERAEORVM. Adde, quod Piſo Conſulatus Romani, quem ſpe jam certa conceperat, imaginem Capuæ

puæ formabat, ſive ad illam ſeveritatem, quam in Urbe præ ſe laturus erat, ſeſe componebat. Pompejus vero, dum Campaniæ hortos frequentabat, perſona ſua coloniæ, recens a ſocero Cæſare deductæ, Magiſtratum honoravit. Principes juventutis honoris cauſa nominetenus tantum Duumviri fuerunt; neque ipſi, ſed per præfectos eum honorem geſſerunt. Pariter ac Cœlio Ædili & Prætori Romano ſumma omnia, ſed abſenti, a Puteolanis collata ſunt, Cicero pro Cœlio cap. 2. & Hadrianus in patria Italica Quinquennalis fuit, quam tamen nunquam inviſit. Dio lib. 59.

§. VII. A Sicilia ad remotiores provincias pedem promovemus; quas inter primum locum ſibi vindicat Gallia Narbonenſis, unica trans Alpes ante Auguſti tempora provincia, totque coloniis & oppidis Latini juris exculta, ut Plinius Italiam verius, quam provinciam appellandam eſſe putarit. In his vero, patrio more, Ædiles ſunt creati. Siquidem Nemauſi, quæ coloniam Auguſti tempore recepit, & antiquitatis Romanæ majeſtatem, pretioſis ruinarum fragmentis, adhuc oſtendit, effecti ſunt cives Romani, qui Ædilitatis aut Quæſturæ honorem eſſent conſecuti,

auctore Strabone lib. IV. pag. 186. Ipſa ejus verba capite ultimo proferentur; in præſens contenti erimus duabus eum inſcriptionibus, tanquam clavis in purpura aureis, exornaſſe. Altera, ex cippo Nemauſenſi, exſtat apud Gruterum pag. 323. n. 5.

D. M.
T. INDESII. TERTII.
ÆD. COL. AVG. NEM.
DOMITIA. EORTE. SIBI.
ET. VIRO. DE. SE. BENE.
MERITO. V. F.

Altera apud Reineſium cl. VI. num. 2.

D. M.
Q. ÆMILII. FIRMI.
AED. COL.

Hinc in Hiſpaniam divertamus, provinciam municipiis honoratam, multisque coloniis a Cæſare & Auguſto frequentatam, in quibus AEdilium memoria nobis ſervata eſt. Unica pars citerior, ſive Tarraconenſis, fidem pro me faciet, cujus eximia urbs & municipium Romanum Calaguris, a Cornelio Scipione Hiſpaniæ Prætore *Naſſica* cognominata, C. Valerium & C. Sextium habuit AEdiles; id quod nummus in frontiſpicio hujus libri poſitus oſtendit, ex Vaillantii num colon. ſumtus pag. 37. Eundem, jam olim a Seguino prolatum,

latum, inter Pembrockiana cimelia obſervavit Spanhemius Diſſ. X. pag. 157. & P. Cornelii Scipionis Naſicæ vultum interpretatus eſt. Joh. Faber autem, ad illuſtr. imag. Urſini, curam ludorum Megalenſium bovino capite deſignari putat, quorum edendorum Naſica auctor fuerit C. Valerio & C. Sextio Ædilibus Urbis plebejis. Verum cum omnia illa haud idonea fide nitantur, & contra Plinius lib. III. cap. 3. Calaguritanos *Naſcicos* cognominatos prodat, Ambroſius etiam Morales ex vetere inſcriptione MVN. CALAGVRIS. JVL. NASCICA id firmaverit, malim nummum iſtum ab Ædilibus illius municipii, vel coloniæ, in quam deinceps converſum eſt, cuſum eſſe: præclaris enim urbibus illa ſignandæ monetæ facultas, *indulgentia* vel *permiſſu* Auguſtorum, uti earum nummi apud Spanhem. tom. II. pag. 169. indicant, conceſſa aut relicta fuit. Atque idem placet Cl. Weſſelingio lib. I. Obſ. cap. 25. qui & alium Calaguris nummum ad AEdiles ejus refert. Ego addam, quod in eadem provincia Celtiberiæ oppidum & municipium Turiaſo, Quintum Varum & Quintum Plancium, tum etiam Rectum & Macrinum AEdiles habuit, qui nummos hoſce minimæ formæ, ad Principis favorem ca-

ptandum, & immunitates ſervandas, obtulerunt, apud Vaillant pag. 123. & 124.



His lapidea monumenta ſubjiciamus. Inter Tarraconenſes inſcriptiones, quæ Hiſpaniæ illuſtratæ tom. I. pag. 1158 repeririuntur, habes unam, in qua L. Numiſius Montanus AED. Q. II. VIR. dicitur. Aliam dedit Reſendius Antiq. Luſitan. lib. I. & rurſus de Antiq. Eboræ cap. 8. in qua L. Voconius L. F. Quir. Paullus Eboræ AED. Q. II. VIR. VI. & ROMAE. FLAM. DIVORVM. ET. AVGG. laudatur. Tertiam è Carthagine Spartiaria petam; quæ fuit urbs in Conteſtanis, opibus ſuis opulenta, & colonia Romana, conventuque juridico, in quo quinque & ſexaginta populi diſceptabant, illuſtris. In hac autem viſa eſt inſcriptio ſequens, apud Gruter. pag. 349. & plenius pag. 174. num. 3.

L. AEMILIVS. M. F. M. N. QVIR.
RESTITVT. DOMO. ROM. QVI. ET
CARTHAGINENS. ET. SICELITANVS

LA-

LACEDAEMON. ET. ARGIVVS. ET BASTETANVS. SCRIBA. QVAESTORIVS SCRIBA. AEDILITIVS. CIVIS. ADLECTVS OB. H. AEDILITATIS. HOC. OPVS TEST. SVO. F. I.

§. VIII. Ne quis vero putet intra Europæ tantum fines ſtetiſſe AEdilitatem, age, ad reliquas, quæ olim notæ fuerunt, Orbis terrarum partes contendamus: mirum enim ſi nulli in his fuerint AEdiles, quos evidens utilitas, & urbis dominantis exemplum commendabat. Aſiæ vero civitates dum pererro, nullos adhucdum reperi, qui ad noſtros pertineant. Forte quod initio, poſt mortem Attali regis Pergameni, liberæ fuerant; & quamvis, victo Ariſtonico, Proconſuli parerent, tam parca tamen earum politiæ & magiſtratuum ad nos venit memoria, ut æquus hic judex mihi poſtulandus ſit, qui in id tantum quod facere poſſum, non quod res poſtulat, me condemnet. Unicum metropolis Smyrnæ, a multis civibus Romanis frequentatæ, Agoranomum ſive AEdilem dedit marmor Arundellianum, nunc Oxonienſe 116. quem in latiſſimo ſignificatu tantiſper ad municipales referre liceat, donec magis idoneus inveniatur. Verba lapidis hunc in modum Latine converſa vulgavit Humphridus Prideaux pag. 149.

Erexit Fl. Paternianio patri T. Fl. Oneſimi Paterniani viri ſui & T. Fl. Oneſimo Paterniano, Præfecto armorum & ædituo magnarum Dearum Nemeſium, magiſtro equitum, cuſtodi rotularum, Prutani primo, AGORANOMO, Quæſtori civitatis, & alios magiſtratus honoris ſtudio executo. In Africa provinciarum arce planiora AEdilium veſtigia invenio. Ammianus namque lib. XXVIII cap. 6. circa annum natalis Dominici trecenteſimum & ſeptuageſimum, Valentiniani tempore, Nicaſium AEdilem Leptitanum vel OEenſem occiſum memorat. Non quidem ſignate definit, utra in urbe geſſerit AEdilitatem, nec noſtra id ſcire intereſt; cum utrique & Leptitani & OEenſes in Tripoli Africana Romanorum coloni fuerint. Ut alios mittam, Julianus noſter in *l.* 30. *D. de vulg. ſubſtit.* ex parte quarta *coloniam Leptitanorum* a quodam ſubſtitutam proponit; & Paulus Leptim magnam a Divis Severo & Antonino juris Italici factam eſſe prodit in *l. fin. D. de cenſib.* Item nummus apud Holſtenium in annotat. ad Ortelium pag. 134. duos boves præfert, terram arantes, cum hac inſcriptione: COLONIA AELIA ANTONINA OEA AUGUSTA. Ambas quoque, ut Marcellinus, conjungit Silius lib. III. vſ. 256.

Sa-

Sabathra, tum Tyrium vulgus, Sarranaque Leptis,
OEaque Trinacrios Afris permiſta colonos.

Præter has colonias Aptungis etiam, ſive Authumnis, Africæ municipium, AEdiles inter alios magiſtratus habuit Augentium & Cæcilianum. Acta purgationis Felicis, Epiſcopi Aptungenſis pag 276. *Nam cum poſteriori tempore adveniret Ingentius ſcriba Augenti, cum quo Ædilatem* (forſan AEdilatum) *adminiſtravi, dictavi epiſtolam eidem collegæ.* & pag. 278. *Venit illo iterato cum collega meo, cum quo fui Ædilis.* Rurſus pag. ſeq. *AElianus proconſul dixit, quis eſt ille, quem venire deſideras? Cæcilianus dixit, Augentium, cum quo fui AEdilis.* At quo anno fuerit non liquet. Sine dubio ſub initium ſæculi quarti, quia purgatio facta eſt, ut inſcriptio docet, Conſtantino Maximo Auguſto et Conſtantino juniore nobiliſſimo Cæſare Conſulibus, qui annus Chriſti eſt CCCXX. Unde perperam ea Geſta a Jacobo Gothofredo, in Chronologia Codicis Theodoſiani, ad annum CCCXV, pejus a Baronio ad annum CCCVI. referuntur, qui poſterior eo nomine notatus eſt ab Henrico Valeſio in Euſebium de Schiſmat. Donatiſt. Illud ſaltem unusquisque ex his et proxime

me adducto Ammiani teſtimonio perſpicit, diutius in municipiis et coloniis AEdiles perſeveraſſe, quam in Urbe matre, ubi cum aliis magiſtratibus, tranſlata Conſtantinopolim imperii ſede, ſublati fuerunt.

CAPUT IV.

GRAMMATICALIA QUÆDAM AD VOCEM AEDILIS, EJUSQUE SYNONYMA GRÆCA.

§. I. *Ædilis in Italiæ civitatibus, Romæ vetuſtioribus,* ἀπὸ τοῦ *ædis dictus; differt ab æditua. Ennius a Gentilis emendatione vindicatus. Aidilis pro Ædilis, more Græcorum.* II. *Ædiles magiſtratus ab ædibus potiſſimum ſacris nomen acceperunt. Lipſius, Theophilus, Perottus refutantur. Cur interdum Edilis ſcriptum vel ſcalptum diſquiritur.* III. *Coloniæ bilingues, maxime Neapolis, de qua plura. Ædiles in civitatibus Græcanicis dicti* ἀγορανόμοι. IV. *parcius* ἀστυνόμοι, *ſed tamen ita vocati, contra Cujacium.* V. *Alii fuerunt Oeconomi. Pancirollus notatus. Paulus ad Romanos illuſtratur. Arcarius arcæ publicæ præfectus.* VI. *Patres civitatum, Logiſtæ & Curatores differunt ab Ædilibus. Cujacii & Scipionis Gentilis lapſus.*

§. I.

§. I. HOc capite Grammaticorum penula nobis induenda erit, atque de etymologia vocis AEdilis ejuſque ſynonymis ſtatuendum paullo diligentius, ne ante fractam nucem nucleum petiiſſe videamur. Hæc enim minuta niſi probe cognoſcantur, ad majora nunquam gradus fieri poteſt; neque magis indignum juris ſtudioſo erit, ad vocum origines deſcendere, quam doctrina præſtantes olim viri, Cæſar, Varro, Tullius & Plinius circa verborum poteſtates fuerunt occupati, ac priſci juris conditores maximæ ſibi laudi duxerunt, juris laqueos non alia re magis, quam diligenti verborum inveſtigatione ſolviſſe. *Audiebam*, ait Suetonius, *memoria patrum, quoſdam e Grammaticis ſtatim e ludo tranſiiſſe in forum, atque in numerum præſtantiſſimorum patronorum receptos.* Simpliciſſima autem, ut opinor, ad veram originem procedemus via, ſi primo in propriam & nativam τȣ̃ AEdilis ſignificationem inquiſiverimus: notum enim jam ante AEdilitium magiſtratum in Latio fertur AEdilium nomen, nec iſto invento recenti novitate fuit effictum: nam et urbes quædam Italiæ majorem longe ætatem jactant, quam ipſa Roma, ſive a Romulo condita, ſive, ut alii volunt, inſtaurata. Sic Tuſculi et Bononiæ initia Dominicus Barnabas

Matthæus, in mem. antiq. Tuſcul. tom. VIII. Theſ. Ital. part. 4. pag. 3. et Joh. Baptiſta Agocchus, in epiſt. ad Dulcinum tom. VII. ejuſdem Theſ. quingentis ante Romam conditam annis numerarunt. Sed horum fides ſit penes ipſos. Nos audiamus quid Sextus Pompejus ſcribat: *Ædilis*, inquit, *initio dictus eſt, qui ædium non tantum ſacrarum, ſed etiam privatarum curam gerebat: poſtea hoc nomen & ad Magiſtratus tranſlatum eſt.* Ita hunc locum, communi Eruditorum ſuffragio, conſtituerunt Criticorum anteſignani, Fulvius Vrſinus et Joſephus Scaliger: nam quod commate primo, poſt verba *initio dictus*, vulgo vox *Magiſtratus* legitur, abundat, illucque e linea ſequente librariorum incuria irrepſit. AEdilis ergo proprie dictus, eſt vir ædium curator, nomenque ab ipſa re tulit, ab *ædis*, *ædilis*, ut ab heri herilis, ab ovi ovilis, a viri virilis, ſyllaba poſtrema παραγωγὴν adjecta: ut *timus* in legitimus, finitimus; *tullium* in meditullium; *umus* in poſtumus; et ex ſententia Servii Juriſconſulti *liminium*, in poſtliminium, apud Ciceronem in Topicis. AEdis autem, pro ædes, in primo caſu dixerunt veteres, auctore Varrone libro I. de vita pop. Rom. apud Nonium: *Hæc ædis, quæ nunc eſt, multis annis poſt facta ſit*, eaque non ſacra

tan-

tantum Deorum domicilia, ſed et profana, publica et privata ædificia ſignificarunt. Nam quod Chariſius et Diomedes ſcribunt: *ſi ædis dixeris, templum ſignificas*, id non eſt perpetuum, ut recte animadvertit Voſſius de arte Gramm. lib. 1. de analog. cap 43. Gloſſæ veteres: *Ædes* αὐλαὶ ναοὶ. Plautus Aſin. Act. I. ſc. 3. v. 67. *Ædis nobis area eſt, auceps ſum ego.* Sane profanis mage convenit, ſi originem ſequimur: dicta enim eſt ædis, non ab *ædito*, aut *adeundo*, ut Verrius & Varro ſcripſerunt; neque ab ἕδος, ut Nunneſius contendit; neque ab ἀειδής a ſacro, quem captabat, obſcuritatis horrore; ſed ab antiquo αἶτος; quod ea notione pro domicilio & habitatione uſurpavit Pindarus, interprete Euſtathio, apud Voſſium in Etymol. & Menag. in amœnis amœnitatibus cap. 39. Inde *aides* pro ædes, & AIDILIS pro Ædilis in ſaxis vetuſtis legitur, apud Gruterum pag. 69. n. 11. 129. n. 3. & 464. n. 2. fuit enim pene eadem vetus Latina, quæ antiqua Græca, ut etiam eædem utriuſque literæ, quod Halicarnaſſeus & Plinius ſcribunt, ipſeque Fabius agnoſcit lib. I. cap. 5. *maxima ex parte Romanus ſermo ex Græco converſus eſt.* Idem cap 7. *AE ſyllabam, cujus ſecundam nunc E literam ponimus, varie per A & I efferebant. Quidam ſemper,*

per, ut Græci, quidam ſingulariter tantum, cum in dativum vel genitivum incidiſſent: unde pictai veſtis, aquai. Sic in antiquiſſimis monumentis & libris ſæpe *Aimilius*, *Caiſar*, *Paitus* & *Mainius* legitur, & in antiqua inſcriptione, qua L. Scipionis Barbati filii elogium expreſſum eſt:

CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC FUET

Recte igitur Pompejus Ædiles, ait, initio dictos, qui ædibus non ſacris tantum, ſed etiam privatis præeſſent. Vetus Gloſſarium Latino Græcum eum etiam, qui iisdem in ædibus adolevit, Ædilem interpretatur: *Ædilis*, ὁμήλιξ, ἀγορανόμος. Scipio Gentilis, libro ſingulari Originum, in *æditui*, huc pertinere putat illud Ennii, Medea exule apud Nonium:

Antiqua herilis, fida cuſtos corporis,
Quid ſic extra ædeis exanimata eliminas?

Pro *herilis* legit *Ædilis.* Sed vereor ut recte! nam Ennii verſus, eodem modo bis a Feſto laudati, translati ſunt ex hoc Euripidis loco in Medea, qui *herilis* retinendum ſuadet: ita pædagogus nutricem, fidam cuſtodem herilem alloquitur:

Παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς,
Τί πρὸς πύλαισι τὴν δ' ἄγουσ' ἐρημίαν
Ἕστηκας, αὐτὴ θρεομένη σαυτῇ κακά.

Ad ædium ſacrarum procurationem quod attinet, ea ſemper ædilibus adeo propria fuit,

fuit, ut Marcus Terentius Varro, ille qui vivus & videns Romanorum doctiſſimus dictus, Ædilem pro æditimo poſuerit, quod recte docuit Salmaſius in exercit. ad Solinum pag. 1087. ex his ejus verbis apud Nonium: *Quum illo venio, video Gallorum frequentiam in templo, qui, dum eſſet cœnæ hora, jamque allatam apponeret ÆDILIS ſigno eſui, Deam Gallantes vario detinebant ſtudio*: eoque ſine dubio reſpexit Gloſſarum auctor, ubi ſcribit: *Æditilis*, νεωκόρος. Neocorus autem apud Græcos, quin etiam Latinos, primitus erat, qui templum verrebat & ornabat; deinde qui illius curam habuit; poſtea qui ſacra alicui Deo ludis ſolemnibus faciebat. Cave tamen AEdilem eundem putes, cum ædituo: utrumque enim ædis ſacræ tutorem & muneris cura & honos diſcernit, licet uterque ab ædibus dictus ſit: nam Voſſius & Perizonius, cum Gellio lib. XII. cap. 10. æditüum ab ædibus derivant; at Gronovius ad Gellium lib. VII. cap. 1. Pauli etymologiam in *l.* 1. *D. de tutel.* ab *ædibus tuendis*, Lucretii auctoritate, qui *ædituentes* dixit lib. VI. vſ. 1273. magis probat. Quicquid hujus eſt, æditimus, velut perpetuus cuſtos, in æde ſacra noctu diuque præſto erat, eam aperiebat & claudebat, auctore Plauto Curc. Act. I.

ſc. 3.

ſc. 3. & Livio lib. XXX. cap. 70. ſupplicantes ad ſimulacra adducebat, Seneca epiſt. 41. & vaſa ſacra, res litigioſas opesque, more frequenti in fanis depoſitas, a ſacrilegis furibus vindicabat, Cicero lib. II. de LL. cap. 16. Plin. lib. 33. cap. 1. *l.* 7. *§.* 2. *D. de minor. l.* 5. *fin. D. depoſ. l.* 31. *§.* 3. *D. de donat. l.* 77. *§.* 36. *D. de leg.* 2. *l.* 9. *§.* 2. *l.* 10. *§.* 1. *D. ad l. Jul. pecul.* juncto Rævardo 1. Var. cap. 15. Sacerdotibus denique miniſtrabat, & omnia, quæ ad munditiem tutelamve templorum facerent, procurabat, unde a Græcis νεωκόρος, et *hierophylacus* a Scævola vocatur in *l.* 20. *§.* 1. *D. de ann. legat.* Ædilis vero non habitabat in æde ſacra, ſed, ut omnia ſarta tecta eſſent, ſedulo operam dabat, ejuſque dicto audientem eſſe æditumm oportebat. Idem Varro hoc ipſum docet, lib. I. de R. R. cap. 2. cujus verba recitabo: *Sementinis*, ait, *feriis in ædem Telluris veneram, rogatus ab AEditimo, ut dicere didicimus a patribus noſtris, ut corrigimur a recentibus urbanis, ab AEdituo. Offendi ibi C. Fundanium, ſocerum meum, & C. Agrium Equitem Socraticum, & P. Agraſium publicanum, ſpectantes in pariete pictam Italiam. Quid vos hic, inquam, num feriæ Sementinæ otioſos huc adduxerunt, ut patres & avos ſolebant noſtros? Nos vero* (*in-*

(inquit Agrius, ut arbitror) eadem cauſa, quæ te, rogatio æditimi. Itaque ſi ita eſt, ut annuis, morere oportet nobiſcum, dum ille revertatur, nam accerſitus ab ÆDILE, cujus procuratio hujus templi eſt, nondum rediit, & nos, ut exſpectaremus ſe, reliquit, qui rogaret. Ejuſdem ſignificatus veſtigia recentioribus etiam temporibus permanſerunt, quibus Curatoris Eccleſiæ munus ac dignitas, in collegiis Canonicorum, Ædilitas appellata eſt. Oſtendit hoc eruditus Cangius in Gloſſ. L. L. ex charta Folcuini, Epiſcopi Tervanenſis, apud Folcardum lib. 1. de mirac. S. Bertini cap. 7. *Ædilitatem ſeu cuſtodiam iſtius baſilicæ*, & alia Lietberti Epiſcopi Cameracenſis: *Ædilitatem, vero & Præpoſituram, quæ mei juris erant, huic eccleſiæ contuli.* Hæc hactenus de origine & proprietate vocis Ædilis.

§. II. Ordo nunc poſtulat, graviſſimis uti auctoribus confirmemus, eadem hac ſignificatione, id vocabuli tributum fuiſſe magiſtratibus, qua Urbanis, qua Municipalibus, qui junctim nobis in hac quæſtione conſiderandi ſunt. Illos vero Plebejos & Curules Ædiles a cura ædium ſacrarum, ceu potiſſima munerum parte, nomen accepiſſe, auctor eſt Dionyſius Halicarnaſſeus, ſcriptor graviſſimus lib. VI.

Antiq.

Antiq. cap. 90. νῦν μέντοι, inquit, κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν ἀφ᾽ ἑνὸς ὧν πράττουσιν ἔργων, ἱερῶν τόπων ἐπιμεληταὶ καλοῦνται. *Nunc tamen patrio Romanorum ſermone, ab uno officio, quo funguntur, vocantur ſacrarum ædium curatores.* Accedit Feſtus, in epitome Pauli Diaconi: *Plebei Ædiles non minus populique plebei ſcito, quæ de eo magiſtratu creando ſuffragium tulit, ut ſacris ædibus præeſſent, ſunt conſtituti.* Pomponius etiam in l. 2. §. 21. de origine juris: *Itemque ut eſſent, qui ædibus præeſſent, in quibus omnia ſcita plebs deferebat: duos ex plebe conſtituerunt, qui etiam Ædiles appellati ſunt.* Ecce Triumviri hi non ajunt, ſed clamant, ab ædibus ſacris tantum AEdiles Romanos nomen tuliſſe. Principio enim in veterum ſimplicitate et paupertate ædium profanarum non tanta cura, luxus typhuſve, ut Cenſores eis præpoſiti in muneris partem ſumere debuiſſent AEdiles, qui jam, ſub ſpecie ſervandorum Plebiſcitorum, Cereris aliarumque ædium ſacrarum curationem ſibi arrogarant. Ad Cenſuram enim quarumcunque ædium inſpectio pertinebat, auctore Livio lib. IV. cap. 8. ubi de origine ejus differens, ait: *Sub ditione ejus Magiſtratus publicorum jus privatorumque locorum.* Verum poſtquam Cenſores, creſcente poſtea Romanorum cenſu et potentia, tot aliis oneribus eſſent gravati,

vati, ædium quoque privatarum cura AEdilibus ceſſit, & tandem, Cenſura ſub Principibus mortua, ea plane ad AEdiles translata eſt. Inde Varro lib. 4. de L. L. *AEdilis, qui ædes ſacras & privatas procuraret*, & Priſcianus lib. 8. *Apud Latinos autem dignitatum nomina pleraque ex verbis vel nominibus naſcuntur, quæ faciunt verba; ut Conſul a conſulendo, Dictator a dictando, Quæſtor a quærendo, & AEdilis ab ædibus.* Hæc de ædilibus urbanis: Quis vero neget in coloniis & municipiis idem AEdilium etymon fuiſſe? ubi in primariis muneribus ædium & ſacrarum & privatarum curam habebant, ut infra oſtendemus. Nec ſpernenda videtur Lipſii ſententia cap. 12. de Magiſtrat. Rom. exiſtimantis, antiquæ originis eſſe AEdilis nomen, nec primum Romæ A. V. C. CCLX natum, ſed cum Prætoris, Dictatoris aliiſque honorum vocabulis ab Italiæ civitatibus adſcitum; quarum magna pars, ipſa Roma antiquior, vix ſine AEdilitio Magiſtratu conſiſtere potuit. In eo tamen Lipſius jure vapulat a Ruperto ad *l.* 2. *§.* 21. *d. O. J.* quod Pomponium de etymo AEdilium taxat: nam licet quam maxime apud Latinos vetuſtior hic magiſtratus & nomen ejus, nil tamen errant Dionyſius, Feſtus & Pomponius, quod Romanorum AEdiles ab ædibus ſa-

cris, plebiſcitorum receptaculis, nomen ſortitos ajunt: ita enim in coloniis, quæ ab exemplo urbis matris hunc magiſtratum ſumſerunt, negandum foret, AEdiles ab ædibus eſſe dictos: quod nemo dixerit. Tenendum igitur eſt, AEdiles ab ædibus tuendis nomen ſortitos eſſe; quia hoc princeps eorum fuit munus, cui tamen acceſſerunt alia etiam graviora. Suboluit hoc ipſum Theophilo, ad §. 7. *de jure nat. & gent.* quod autem ſubjicit, omnium maxime ad verum accedere, AEdiles nomen ſumſiſſe ad *adeundo*, quaſi *adiles*, quod facilis plebi ad eos aditus eſſet, ægri ſunt ſomnia et nugæ meræ. Conſentientem tamen habet Perottum, in *cornu copiæ*, quique huic præivit Feſtum, ſibi ipſi contrarium, in voce AEdilis: *Dictus eſt autem AEdilis, quod facilis ad eum plebi aditus eſſet.* Erroris caput et fons iſte, quia ædes, quaſi quæ plano pede adirentur, dictas putarunt; id quod quam erroneum ſit ſupra vidimus. Denique illud leve eſt, ſed tamen moneo, nil ſententiam noſtram turbare, quod in librorum membranis quibuſdam *edilis*, et ED.POTEST in lapidibus, et in Gloſſario ἀγοϱανόμος *edilis*, ſcriptum invenitur: nam qui marmora et antiquiſſimos codices manu ſcriptos triverunt, ſatis ſciunt, quam multis in nominibus diphthongi

in

in ſimplices ſint mutatæ, et contra. Sic Pedagogus, Nevius, Emilius, et ſexcenta alia. Apud Spartianum, in Peſcennio Nigro, ſic incipit epigramma:

Terror Egyptiaci Niger adſtat limitis ingens.

Vide Scaligeri indicem corporis Gruteriani eorum, quæ ad Grammaticam pertinent; Salmaſium ad Capitolini Macrin. cap. XII. Briſſonium παρέργων libro ſing. n. 48. & Dausquejum vol. II. Orthograph. pag. 12. Cauſa confuſionis ab inſcitia librariorum et lapicidarum repetenda videtur, qui ſine Grammatica ulla lege, aurium veſtigia ſecuti ſunt. Quamvis enim veteres, Græcorum more, non AE ſed AI ſcriptitarint, raro tamen poſteriores ἀρχαιότητα illam ſecutos invenies, ſed à Tiberii et Caligulæ temporibus, ſuavitatis gratia, perinde ac noſtri temporis litterati, dipthongum AE non multo aliter, quam ſimplex E extulerunt. Id quod ex Trimalchionis joco apud Petronium, et Caligulæ in Juriſconſultos jactantia apud Suetonium, oſtendere conatur Janus Rutgerſius lib. III. var. lect. cap. 5. Sed vid. Lipſius de recta pron. cap. 11. et Cl. Burmann. ad Petron. cap. 34.

§. III. Quæ vero de Ædilium nomine dicta ſunt hactenus, ad magnam tantum Italiæ partem, eaſque colonias provincia-

les pertinent, quæ in loca vacua et deſerta deducebantur: in his enim, ſpreta loci vernacula, ſola Romanorum dialectus invaleſcebat, ac Magiſtratus Romanis nominibus deſignabantur. Alia vero earum erat ratio, quæ cum indigenis commixtæ, aut in agri partem receptæ, linguam priorum incolarum, ad quos inductæ, non abolebant; ſed vel utraque publico uſu recipiebatur, aut etiam, quadam utriuſque permixtione, in unum eundemque ſermonem coaleſcebat. Id quidem Urbs imperioſa intendit, ut ubicunque ſuum diffunderetur imperium, ibi et Latinæ vocis honos vigeret; quo iſthoc præſidio obſequentiores eſſent nationes, et commercia magis vigerent; quum inter diſſimilis ſermonis homines amicitia vix coaleſcat. Scio etiam quid de Hiſpanis et Gallis Strabo; de Britannis Tacitus; de Afris Apulejus memoraverint; nec tamen omnino victos et debellatos linguam ſuam abjeciſſe vel ex eo patet, quod Siculos trilingues vocat Apulejus lib. XI. Metam. quia Græce, Punice, Italice loquebantur; & vel ſoli bilingues nummi in uno ſolo cuſi, ejusdemque loci inſcriptiones Græcæ et Latinæ hoc ipſum teſtantur. Ipſius Italiæ pars, quæ in Græciam Siciliamque vergit, multis civitatibus ex Græcia profectis oppleta fuit;

qua-

quarum pleræque jam Varronis ævo civitate erant donatæ. Plinius lib. XXXVI. cap. 5. *Natus* Paſiteles *in Græcia Italiæ ora, & civitate Romana donatus, cum iis oppidis.* Magiſtratus tamen ſuos, ut quaevis alia, Graeco nomine deſignabant, auctore Ovidio lib. IV. Faſt. vſ. 63.

Nec tibi ſit mirum, Grajo rem nomine dici;
Itala nam tellus Græcia magna fuit.

Verum non eſt, cur de Graeco AEdilium nomine ſolliciti ſimus, cum ex ſupra dictis jam pateat, Athenienſium AEdiles Agoranomos et Aſtynomos appellatos eſſe, a quibus haec vocabula ad Graecanicas quaſvis civitates ſunt translata, et ipſis etiam AEdilibus Romanis, ob munerum ſimilitudinem apud ſcriptores Graecos tribuuntur. Actum agerem, ſi multis hoc probare conarer, quod ii etiam norunt, qui nondum aere lavantur. Adjiciam tamen verba Hieronymi ad Ruſticum monachum, de vivendi forma: *Et prius quidem*, ait, *ab AEdilibus, quos* ἀγορανόμους *Græci appellant, vendentium coercebatur rabies.* Cui comitem dabo Theophilum §. 7. Inſtit. de J. N. et G. *Qui Latine AEdiles dicuntur, a Græcis* ἀγορανόμοι *vocantur.* Ecce! loquuntur hi generaliter, tam de municipalibus, quam de urbanis; ſi quis autem ſpecialiora

 teſti-

teſtimonia requirat, non aegre inveniam. Neque enim Herennius Modeſtinus auctoritatem defugiet, qui in ſuis, quos Graece ſcripſit, excuſationum libris, Philoſophos immunes facit ἀγορανομιῶν, hoc eſt AEdilitate municipali, in *l. 6.* §. 8. *D. de excuſat.* Hunc excipient Baſιλικῶν libri, nobiles illae Orientis exuviae, in quibus lib. 20. tit. 1. Ulpiani verba ex *l.* 13. §. 8. *D. locati* hunc in modum convertuntur: Ἐὰν μισθώσομαι σάθμια, καὶ κλάσῃ αὐτὰ ἀγορανόμος. *Si menſuras conduxero, & eas AEdilis fregerit.* Iidem lib. 38. tit. 1. textum Calliſtrati in *l.* 17. §. 4. *D. de excuſat.* reddunt: Οἱ ἀγορανόμοι ἰδιωτικῶν λειτουργιῶν, οὐ μὴν ἐπιτροπῆς ἀπολύονται. *AEdiles privatis muneribus, non tutela excuſantur.* Strabonis quoque locus iſte ad AEdiles colonicos pertinet lib. IV. pag. 186. ὥστε, inquit, τοὺς ἀξιωθέντας ἀγορανομίας καὶ ταμείας ἐν Νεμαύσῳ Ῥωμαίους ὑπάρχειν. *Ita ut Nemauſi invenias Romanos, qui AEdilitatis & Quæſturæ honorem ſint conſecuti.* Denique lapides etiam teſtes cieo dolabra litteratos; quod genus quemadmodum librorum uſu prius eſt, ſic etiam longe præſtantius. Apud Gruterum pag. 1094. num. 5. Lyttiorum civitatis Flavius laudatur ΑΓΟΡΑΝΟΜΟΣ Ædilis. ΑΓΟΡΑΝΟΜΙΑΝ Tænarienſium præfert lapis apud Reineſium cl. VI. num. 121, & ΑΓΟΡΑΝΟΜΙΚΟΥ *AEdili-*

tii,

tii, *qui AEdilitate abierunt*, ut Onomaſticum exponit, leguntur in inſcriptione Neapoli viſa, apud Julium Cæſarem Capacium Antiq. & Hiſt. Neapol. cap. 15. Nec mirum! Neapolis Græcæ erat originis, Livius lib. IX. c. 10. Græca urbs, Cicero pro Archia cap. 5. Tacitus XV. Annal. cap. 33. totaque vitæ rationem Græcanicam ſectabatur. Strabo lib. V. pag. 246. *Plurima*, vertit Xylander, *ibi etiam nunc Græcorum inſtitutorum ſuperſunt veſtigia, ut gymnaſia epheborum, cœtus, fratriæ, & Græca nomina, Romanis rebus impoſita.* Diu fuit inter federatas, unde exules in eâ eſſe potuerunt, auctore Polybio lib. VI. cap. 12. Italici juris municipium vocat Tullius pro Archia cap. 3. & lib. XIII. epiſt. 30. recepit etiam forte coloniam Romanam, quia GENIVS & PATRONVS COL. in lapidibus a Capacio cap. 8. Antiq. allatis leguntur, at quo tempore, quibuſve IIIviris ea ſit deducta, non ſatis liquet: neque Capacius novit, quid decernat, & Camillus Peregrinus de Camp. fel. diſſert. II. cap. 21. honoris cauſa tantum coloniæ nomen ei datum opinatur, quia eodem jure, quo coloniæ Latinæ, uſa fuerit. Illud certum, ἀγορανόμους etiam Latine ibidem Æ̈diles eſſe appellatos: nam Julius Fronto, in lapide apud Capac. cap.

 22.

22. AED. dicitur; eoque dubiæ patriæ inſcriptio, ſed Neapoli viſa, referri poteſt, in qua OB. HONOREM. AEDILIT. legitur, apud Gruterum pag. 484. num. 6. & Reineſium claſſ. II. n. 21.

§. IV. Sequitur ut alterum, quod Athenienſium Ædilibus ſolemne vidimus, nomen noſtris etiam aſſertum eamus: id quod ſi ceſſerit feliciter, erit quod mihi gratulabor; cum Viri magni, juratis animis, ex una quaſi cera, illud abjudicandum eis pronuntiant. Ac primum quidem, nomina ſi rebus conſentanea eſſe oportet, non aliud magis, quam Aſtynomorum, Ædilibus competit. Urbis enim ſuæ quique erant curatores, opera publica faciunda locabant, probabant, ac maximam partem in Aſtynomiæ muneribus erant occupati; quidni ergo idem nominis ſortiti fuiſſent? Diſcretam, fateor, Athenis fuiſſe Agoranomorum & Aſtynomorum provinciam, nec licuiſſe cuiquam hiſce duobus muneribus ſimul fungi: non ideo tamen in municipiis & coloniis Romanis perinde ſciſſa fuit, cum utraque in his, tanquam minoribus, potuerit conjungi, ac ab Ædilibus IIviris, IVviris, vel VIIIviris recte ornari. Quid? quod in Urbe matre Cicero, Ædilis deſignatus, ſibi *totam urbem tuendam eſſe commiſſam* ait, V. Verr. cap, 14.

14. & lib. 3. de LL. cap. 3. Ædiles *curatores urbis* appellat. Horum autem effigiem gerebant municipales, proindeque in civitatibus Græcanicis, aut in Græcorum ſcriptis, Aſtynomorum nomen optimo ſibi jure vindicabant. Ain tu? rariora hujus nominis reperiri veſtigia. Ita eſt: ſed ob eam fortaſſis rationem, quoniam ἄϛυ propter excellentiam Athenarum urbem ſignificabat, nec tenuiores Græciæ civitates Ædiles ſuos auſæ appellare Aſtynomos, ſed potius Agoranomos; quod major muneris eorum pars circa frumentum & res in foro venales verſabatur. Præter nota Terentii & Nepotis loca, diſerte Cicero de leg. lib. II. cap. 2. *Ut veſtri Attici, priuſquam Theſeus eosdem migrare ex agris, & in aſtu, quod appellatur, omnes ſe conferre juſſit.* Stephanus de urbibus: Ἐλέγετο ἡ κατ' ἐξοχὴν πόλις, (Alexandria) καὶ πολῖται ἐξ αὐτῆς, ὡς ἄϛυ αἱ Ἀθῆναι, καὶ ἀϛοὶ καὶ ἀϛικοὶ οἱ Ἀθηναῖοι, ὡς καὶ ἐπὶ Ῥώμης λέγεται ὖρψ. Ratione igitur hoc quodammodo conſtat, ſed idem auctoritate eſt demonſtrandum: quærimus enim fidem vetuſti nominis, non privatæ prærogativam ſententiæ. Ita autem optimae Gloſſæ: Ἀϛυνομία, *AEdilatus*, id eſt, interprete Feſto, *AEdilium dignitas.* Accedit Papinianus, excelſi ingenii teſtis, qui ut Græce erat impenſe doctus, librum ſingula-

gularem de officis AEdilium municipalium, Graeca lingua, conſcripſit, cujus fragmentum unicum nobis ſupereſt in tit. 10. D. lib. 43. *De via publica, & ſi quid in ea fact. eſſe dic.* ubi inſcriptio legis iſta eſt: Ἐκ τοῦ Ἀστυνομικοῦ μονοβίβλου τοῦ Παπινιανοῦ. *Ex libro ſingulari Papiniani de officio AEdilium*, & ſtatim ſub ejus initium: οἱ ἀστυνομικοὶ ἐπιμελείτωσαν κατὰ τὴν πόλιν ὁδῶν. *Ædiles curam gerant per urbem publicorum itinerum*: rurſus §. 2. οἱ δὲ ἀστυνόμοι ζημιούτωσαν κατὰ τὸν νόμον *Ædiles autem lege in eum animadvertant*. Hïs denique ſubjungo Arriani philoſophi locum ſingularem, ex commentariis ejus de Epicteti diſputationibus lib. III. cap. 1. cujus verba ſunt, quæ ſequuntur: Τοιοῦτόν σε θῶμεν πολίτην Κορινθίων, κἂν οὕτω τύχῃ ἀστυνόμον, ἢ ἐφήβαρχον, ἢ στρατηγόν. *Num te talem*, vertit Wolfius, *in civitate Corinthia collocabimus? num urbis præfectum* (AEdilem) *aut adoleſcentiæ principem deſignabimus, aut Prætorem?* Liquido igitur ex his unicuique apparet, non prorſus in municipiis & coloniis Romanis prætermiſſam eſſe Aſtynomi vocem: nec amplius immorabor rei ex his teſtimoniis nunc manifeſtae, quae indicaſſe ſatis ſit Cenſoribus aequis & eruditis.

§. V. Verum quid audio? Plura praeter haec Ædilium municipalium nomina in

in uſu fuerunt apud Graecos; quae non ſine accuratiori examine prætermittenda videntur. Guido namque Pancirollus de Magiſtrat. municip. cap. 19. Eraſtum œconomum Corinthi interpretatur AEdilem, in his Apoſtoli verbis ad Romanos cap. 16. vſ. 23. ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἔραστος ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως. Ex quo ſane, ſi Vir Cl. non fallitur, novum AEdilibus coloniarum nomen agnaſcitur: ſed fallitur omnino, nec deeſt quod ejus interpretationi reponatur. Enimvero non eſt veroſimile Eraſtum, cum jam Chriſti doctrinam profiteretur, in colonia Corintho geſſiſſe AEdilitatem; a qua Chriſtiani, propter conjunctam ei ludorum exhibitionem, velut Deorum, immo Dæmonum cultu abhorrebant, nec una ratione, neque uno fugæ genere, ethnico huic muneri ſeſe ſubtrahebant. Niſi forte putemus, jam ante Eraſtum, quam Chriſto fuit auctoratus, OEconomi officio functum eſſe: ita enim ut Pelagius & Eſtius ſuſpicentur, facit iter ejus in Macedoniam ſuſceptum, de quo Lucas in Actis cap. 19. vſ. 22. Nec deſunt ejusmodi locutionis exempla, ubi mutata re priſtinum nomen manet: Arafna rex dicitur II. Sam. 24. vſ. 23. qui fuerat. Matthæus appellatur publicanus, Matth. cap. 10. vſ. 3. qui eſſe deſierat, & alii ſimiliter. Vide Glaſſii Phi-

Philolog. ſacram lib. 3. tract. 1. can. 3. Sic etiam profani ſcriptores, Cicero, Livius, Vellejus, *Conſules* & *Prætores* vocant, qui jam magiſtratum depoſuerant, apud Perizon. cap. 7. Animadv. Hiſtor. pag. 309. In hoc igitur argumento arcem diſputationis non pono. Illud vero fortiſſimum eſt, quod Arrianus, in loco mox adducto, Ædilem Corinthium, voce propria & uſitata, ἀϛυνόμον appellat, cui exacte reſpondet nummus apud Vaillantium, in num. col. pag. 176. in quo L. Caninius Agrippa Corinthius laudatur AEDILIS. Nusquam autem Latinis œconomus notat AEdilem, ſed diſpenſatorem & adminiſtratorem rei familiaris, qui domus pecuniam curat & theſaurorum adminiſtrationem habet; a quo privato miniſterio ea vox ad publica munia tranſlata eſt. Sic quem LXX. Interpretes III. Reg. cap. 18. οἰκονόμον vocant, eum vetus interpres *Diſpenſatorem* reddit. Arcadius & Honorius Impp. œconomos in *l.* 3. *C. Th. de his qui ad Eccl. conf.* definiunt, *qui eccleſiaſticas conſuerunt tractare rationes.* Leo & Anthemius *diſpenſatores pauperum* vocant, in *l.* 31. *C. de Epiſc. & Cler.* idque Maronem, ex nominis etymo, monet Iſidorus Peluſiota lib. I. epiſt. 270. Concil. Toletan. IV. cap. 48. eos, *qui vice Epiſcoporum res Eccleſiaſticas tra-*

tractant. Quamvis ergo D. Ambroſius hunc œconomum, ajat, civitatem gubernaſſe dictante juſtitia, maxime in pretiis rerum venalium, vix tamen vox Græca admittit, ut AEdilis a Paulo deſignetur. Quid ergo? An cum aliis procuratorem vel curatorem civitatis interpretabimur? Neque hoc licebit. Obſtat enim marmor, ex Arundellianis inter Oxonienſia n. 129. ab Humphrido Prideaux publicatum, in quo alius eſt Ἐπίτροπος, alius vero Οἰκονόμος. At forte idem eſt noſter Eraſtus, qui apud Gruterum pag. 1111. n. 10. vocatur Scriniarius:

TI. CLAVDIVS. DIVI. L. ERASTVS
SCRINIARIVS. AB. EPISTVLIS
FECIT. SIBI

Et hoc multa diſſuadent. Scriniarius (niſi malis SCRIBA. LIBRARIVS cum Reineſio cl. VI. n. 40.) eſt, qui ſcrinium gerebat in officio epiſtolarum *l. ult. C. de caſtr. pecul.* Lampridius in Alex. cap. 31. *relegentibus cuncta librariis, & iis, qui ſcrinium gerebant.* Oeconomi vero partes non circa epiſtolas, ſed nummos & rationes verſabantur. Vero propius igitur alii οἰκονόμον hic vertunt *diſpenſatorem*, qui æs penſando expendebat; Theophylactus *præfectum ærarii*; Eraſmus *Quæſtorem ærarium*; ſed omnium exactiſſime vetus Inter-

terpres *Arcarium* reddidit, quem Grotius ad h. l. Mornacius *ad tit. C. de defenſ.* Pignorius de ſervis pag. m. 327. & Reineſius cl. 6. inſcr. n. 70. ſequuntur. *Perite*, ait Cujacius ad Novell. 174. *vetus interpres epiſtolæ ad Romanos œconomum arcarium reddidit.* Arcarius enim erat arcæ publicæ appoſitus cuſtos, qui tributa, reditus & quamcunque pecuniam publicam promebat, condebat & titulos ſuperindictionibus adminiſtrabat. Primum hæc vox inter miniſteria ſervorum domeſtica occurrit, à Pignorio & Popma late explicata. Scævola noſter arcarium ſervum vocat, cui arcæ, in qua domini pecunia, procuratio commiſſa eſt. *Stichus*, inquit, *arcarius*, *probante domino*, *nomina fecit*, *& rationes a domino ſcriptas exhibet*, in *l.* 41. *§.* 17. *D. de fideic. libert.* Sic Andragathus Cæſaris SERV. ARCAR. & Agathyrſus Auguſti SER. ARKARIVS, apud Sponium Miſcell. pag. 211. Poſtea vero, cum aliis ejusmodi, a domo & privatorum familiis ad urbes tranſlata eſt, & fuerunt arcarii inter honoratos & magiſtratus minores. Ipſa Roma, ſublato ærario, arcam habit. Vopiscus in Aureliano cap. XX. *Et præterea veſtræ auctoritatis arca publica*, *quam magis refertam eſſe reperio*, *quam cupio:* Arcarios habet Lampridius in Alexandro

cap.

cap. 43. *Arcarios vero inſtituit, qui de arca fiſci ederent munera, eaque parciora.* Ad hos pertinent illa in vetere Kalendario Romano, Conſtantinianorum temporum: *Menſe Decembri, munus Arcariorum*, & Valentiniani in *l.* 21. *C. Th. de Prætor. Ut Candidati arcæ poſſint certo argenti pondere ſociari.* Urbis imitatione ſingulis etiam municipiis & coloniis, quin & collegiis privatis, arcam habere permiſſum. Cajus in *l.* 1. §. 1. *D. quod cujusq. univ. Quibus autem permiſſum eſt corpus habere collegii, ſocietatis, ſive cujuſque alterius eorum nomine: proprium eſt, ad exemplum reipublicæ, habere res communes, arcam communem.* Hinc FELIX. ARK. REIP. NEAPOLITANORUM, quem Capacius lib. 1. hiſt. Neap. cap. 8. & Summont. lib. 1. cap. 6. infeliciter APX. interpretantur, a Reineſio reprehenſi, lib. III. var. lect. cap. 16. Similis enim Felix fuit QVÆSTORI. ARCAE. REIP. NEPESINOR. in lapide apud Fabrett. cap. 10. num. 531. & cap. 7. n. 388. PARTHENIO. ARCARIO. REIPVBLICÆ. LAVICANORVM. Item apud Gruter. pag. 1091. n. 7.

SECVNDVS ARK. REIP.
AMERINORVM

§. VI. Ceterum illud hujus loci & temporis eſt diſpicere, num in municipiis & co-

coloniis Curatores reipublicæ & Patres civitatum iidem fuerint, qui Aſtynomi, ſive AEdiles? quod variis locis affirmavit Cujacius ad *l.* 3. *C. de his qui ſponte*, lib. XII. Obſ. cap. 30. & lib. XXII. cap. 31. idemque impoſuit Mauſſaco ad Harpacrat. pag. 80. Jac. Gothofredo ad *l.* 20. *C. Th. de decur.* & aliis. Res vero difficultate non caret, et vereor, ſi quis expenſius eam examinet, ne capitalis ille ingenii vir argumentis ſat levibus nitatur. Quod judicium meum forte temerarium videri poſſit, niſi magnæ rationes me in omnia alia ire juſſerint: his ergo aliquid lucis inferre conabor; ſed ita, ut ſuum cuique judicium relinquam. Curatores *reipublicae*, qui etiam curatores *urbis*, *civitatis* vel *coloniæ* dicuntur, redituum publicorum inprimis curam habebant, eos in uſum civitatis convertebant, pecuniam ſub pignoribus idoneis fenori collocabant, publica prædia cautione exacta locabant; in ſumma, attendebant, ne quid civitas detrimenti caperet: quod præter formulam Curatoris civitatis apud Senatorem lib. VII. epiſt 12. vel ſola fragmenta illa, quæ ex Ulpiani libro ſingulari *de officio Curatoris reipublicæ* in D. ſuperſunt, evincunt. Vide *l.* 33. *D. de uſur.* *l.* 4. *D. de decret. ab ord. fac. l.* 5. *D. de oper. pub. l.* 1. *&* 15. *D. de pollic.* Adde *l.* 37.

D.

D. de pact. l. 3. *§.* 4. *&* *l.* 5. *§.* 4 *D. quod vi.* Inde vocantur *Logiſtæ*, quod maxime ponerentur ſupra λόγους, hoc eſt rationes operum publicorum, ſicut λογισταὶ Athenienſium *l.* 3. *C. de modo mulct. l.* 4. *C. de tabul.* & apud Gruter. pag. 389. n. 2. LOGISTÆ. CIVITATIS. SPLENDIDISSIMÆ. NICOMEDENSIUM. Munus etiam eorum λογιστεία πόλεως vocatur a Modeſtino in *l.* 15. *§.* 7. *D. de excuſat.* & λογιστεύειν eſt curationis geſtæ rationes exigere, apud Philoſtrat. lib. I. de vitis Sophiſt. 19. §. 2. Gloſſæ: *Curator*, Φροντιστὴς καὶ λογιστής. Firmicus lib. V. cap. 1. *Faciet Curatores vel Principales civitatum, publicis rationibus præpoſitos, rationales, & qui fiſcales rationes fideli ſemper officio exigant.* Dicuntur etiam ἐπιμεληταὶ τῆς πόλεως, in inſcriptione apud Fabrett. cap. VI. n. 46. ἐπίτροποι τῆς στρατηγίας apud Reineſium cl. I. n. 72. Iidem etiam eſſe videntur, qui a Zenone *Patres civitatum*, in *l. un. C. de ratioc. oper. publ.* atque in Juſtini & Juſtiniani conſtitutionibus Græcis Πατέρες πόλεων appellantur *l.* 12. *C. de hæret. l.* 1. *C. de aleat.* Novella 160. in pr. Ἀριστοκράτης, ὁ ἐλλογιμώτατος πατὴρ τῆς Ἀφροδισιέων πόλεως. *Ariſtocrates, prudentiſſimus Aphrodiſienſis reipublicæ Pater.* Huc etiam pertinet elegans Laërtii locus, lib. VI. de vitis Philoſ. ſegm. 78. ἔνθα, inquit,

καὶ στάσις, ὥς φασιν, ἐγένετο τῶν γνωρίμων, τίνες αὐτὸν θάψωσιν ἀλλὰ καὶ μέχρι χειρῶν ἦλθον. ἀφικομένων δὲ τῶν πατέρων, καὶ τῶν ὑπερεχόντων, ὑπὸ τούτοις ταφῆναι τὸν ἄνδρα, &c. *Hinc inter eos, qui eum* (Diogenem Corinthi) *ſepelirent oborta ſeditio, ut fere ad manus ventum ſit. Advenientibus autem Patribus illorum atque primatibus, ita ſedata diſcordia.* Poſſes patres γνωρίμων intelligere; ſed Menagius ἀστυνόμους, ſive curatores urbis interpretatur. Quicquid eſt. In Græcis Baſilikῶn libris illis, quibus plenioribus uſus eſt Cujacius, in *l.* 46. *D. de damno inf.* Curator reipublicæ vertitur: ὁ πατὴρ τῆς πόλεως; ut adeo non difficile ſit ad judicandum, Curatores reipublicæ, Logiſtas & Patres civitatum nominis tantum ſono, non reapſe, diverſos fuiſſe. Alii autem erant Aſtynomi, ſive AEdiles, quod ex his differentiis patebit. AEdilitas honor erat & adminiſtratio reipublicæ cum dignitate: quapropter AEdilem *magiſtratum* appellant Ulpianus in *l.* 13. *§.* 8. *D. locàti* & Calliſtratus in *l.* 17. *§.* 4. *D. de excuſ.* Perſius AEdilitatem *Italum honorem* ſat. I. vſ. 129. vocat, & Apulejus, in Pythea AEdile, *habitum prorſus magiſtratui congruentem* videbat, lib. I. Mileſ. in fin. Curator autem reip. non honorem, ſed munus perſonale ſuſtinebat; quod ſine dignitatis titulo, corporis labore & vigilantia

tia abſolvitur *l.* 1. *§.* 2. *l.* 18. *§.* 9. *D. de mun.* Inde Marcianus curationem ſeparat a Magiſtratu, in *l.* 1. *de lege Julia repet.* pariter ac Cicero in Agraria II. *Sacerdotia, magiſtratus, imperia, curationes*: & III. de LL. *ſi quid erit, quod extra magiſtratum curatore uſus ſit.* Inde etiam Logiſtæ diſtinguuntur a Magiſtratibus, apud Euſebium lib. VIII. Hiſt. Eccl. cap. 19. & lib. IX. cap. 1. his verbis: *Scribere igitur*, inquit, πρὸς τοὺς λογιστὰς, καὶ τοὺς στρατηγοὺς *ad Curatores, & Magiſtratus, & ad præpoſitos pagi ſingularum civitatum tua debet induſtria.* Similiter in Edicto Marcellini, in Collatione Karthag. cognit. 1. cap. 5. *Univerſos enim cunctarum provinciarum Curatores, Magiſtratus & Ordinis viros, nec non & Actores, Procuratores, vel Seniores ſingulorum locorum.* Denique Theodoſius Junior diſerte alios docet fuiſſe magiſtratus, alios Curatores, in *l.* 8. *C. Th. de donat.* ubi inſinuationes fieri jubet *apud Magiſtratus municipales. Curatores vero civitatum ab hujusmodi negotio temperare debent, ne tanta res eorum concidat vilitate.* Ex quibus apparet, quam recte Scipio Gentilis lib. 2. de jurisd. c. 5. ſcripſerit: *Agoranomi & ſimiles alii plurimi, quamvis reipub. adminiſtratio eis tributa eſſet, non tamen vel jurisdictionem habent*

bent, *vel magiſtratus municipales appellantur. Curatorem vero Reipublicæ magiſtratum fuiſſe*, *oſtendit l. ult. de offic. adſeſſorum.* At vero Agoranomi ſive AEdiles erant magiſtratus, Curatores non item. Hinc altera etiam differentia evadit: Curatores mulctæ dicendæ jus non habebant. Gordianus in *l.* 3. *C. de modo mulct. Curator reipublicæ*, infit, *qui Græco vocabulo Logiſta nuncupatur*, *mulctandi jus non habet.* Hoc enim ad ſolos magiſtratus pertinebat, quibus judicatio data erat, *l.* 2. *§. f. D. de jud. l.* 131. *§.* 1. *D. de V. S.* AEdiles vero peccata coërcere & mulctam indicere poterant, jure magiſtratus, *l.* 12. *D. de Decur. l. un. §.* 2. *D. de via publ. & ſi quid.* Deinde AEdiles creati a decurionibus, ut capite ſequenti oſtendam: Curatores autem plerumque a principe dati. Capitolinus in Antonino c. 11. *Curatores multis civitatibus*, *quo latius Senatorias tenderet dignitates*, *e Senatu dedit.* Inſcriptio Gruter. 7. pag. 392. CVRATOR. REIP. COMENS. DAT. AB. IMP. HADRIANO. Vid. Henr. Valeſ. ad Ammian. lib. XIV. cap. 7. & ad Philoſtorg. lib. III. cap. 28. Poſtremo iisdem in civitatibus novimus fuiſſe AEdiles & Curatores. L. Auſinius curator erat municipii Arretini, apud Gruterum pag. 372. num. 12. Titus Catinius

tinius Severus curator reip. Nolanæ, apud Reineſium cl. 6. n. 22. utrobique autem ſimul erant Ædiles. Quid clarius? C. Matrinius Aurelius ejusdem coloniæ ÆDILIS & poſtea CVRATOR. R. P. laudatur, in lapide apud Fabrett. cap. 2 n. 250. Plus ſatis igitur ex his intelligimus, cum curatoribus civitatum non eſſe confundendos Aſtynomos, qui ipſimet erant Ædiles, quamvis hi communiter Agoranomi vocitentur. Videamus autem quæ ratio moverit Cujacium, ita ut ſtatueret: ea enim non profligata, vix Eruditorum ſuffragia merebimur. Unicum argumentum in eo ponit, quod Ulpianus, ad orat. Demoſthenis contra Timocratem, hunc in modum ſcribit: ἔστι δὲ ὁ ἀγορανόμος, ὁ ἐπόπτης τῶν ὠνίων τῆς ἀγορᾶς. ἀστυνόμος δὲ ὁ ἐπὶ τοῦ εἶναι καθαρὰν τὴν πόλιν ἀσχολούμενος, ὁ παρ' ἡμῖν πατήρ. *Agoranomus inſpector eſt rerum venalium in foro; Aſtynomus, qui in eo occupatur, ut urbs munda ſit, qui apud nos* Πατήρ *appellatur.* Sed nilquicquam hic nos urgebit ſcrupulus, ſi dicamus, in municipiis & coloniis majoribus, ubi ſoli Ædiles tanto oneri ferundo pares non eſſent, res civitatis, pro re nata, aliis quibusdam, v. c. ex decurionibus, diviſim adminiſtrandas injunctas eſſe; qui Latine *Curatores reipublicæ*; in Græcanicis civitatibus *Logiſtæ;* aut etiam, ut

in Ulpiani patria, *Patres civitatis* ſint appellati: hi vero non ipſi erant Ædiles, ſed Ædilium adjutores; aut, ubi nulli AEdiles creabantur, AEdilitia munera ſine magiſtratu implebant. Hinc tot diverſi generis curatores in inſcriptionibus vetuſtis occurrunt, annonæ, aquarum, vicorum, viarum, pecuniæ publicæ, ædium ſacrarum, operum publicorum &c. quorum omnium curatio ad AEdiles proprie pertinebat. Non ego hoc dico, ſed Ariſtoteles, lib. VI. Politic. cap. 8. cujus verba, quia apprime ſententiam noſtram illuſtrant, apponere lubet: *Altera autem*, inquit, *cura Agoranomiam deinde ſubſequens & proxima eſt rerum urbanarum, tum publicarum, tum privatarum; ut ſit in eis moderatio, & ordo pulcher ac decorus ſervetur: utque ædificia ſarta tecta conſerventur, & labentia reparentur, viæque muniantur & corruptae reficiantur. Neve ſit ulla de finibus inter cives controverſia aut querela, & quæcunque alia ad hanc procurationem pertinent. Appellant autem plerique talem magiſtratum Aſtynomiam, quæ plures numero partes habet; atque alios aliis rebus præficiunt, in urbibus celebrioribus, & majorem civium numerum continentibus: v. c. muris reficiendis præfectos, fontium curatores, pontium cuſtodes, cetera.*

ra. Laxa igitur vocis ſignificatione AEdilitia munera gerentes AEdiles dici poſſunt, ſed proprie non erant tales. Alias Logiſtæ noſtri iidem etiam dicendi eſſent, qui Agoronomi. Suidas enim Ἀγορανομίας, ait λογιστίας. εἴρηται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἐπισκοπούντων τὰ τῆς πόλεως ὤνια. & qui huic præivit Scholiaſtes Ariſtophanis in Acharn. act. III. ſc. 1. verſ. 720. ἀγορανόμους δὲ οὓς νῦν λογιστὰς καλοῦμεν. Horum autem munera diſcernit conſtitutio Græca, cujus ſententia in Baſilicis lib. 54. tit. 7. expreſſa eſt, ἢ πατερίαν, ἢ λογιστίαν, ἢ ἀγορανομίαν ποιείτωσαν, *vel patris civitatis munus, vel curationem reip. vel curationem annonæ exerceant.* Sed horum talium jam ſat eſt; immo vereor, ne nimis multum: quapropter, miſſis verbis, ad rem ipſam, & primum ad AEdilium creationem accedamus.

CAPUT V.

DE HIS, QVI ÆDILES CREANT, ET EX QVO ORDINE CREATI.

§. I. *Decuriones non a decima parte colonorum, ut Pomponius, nec a curia, ut Iſidorus, ſed à decuriis dicti. l. 239. de V. S. expoſita.* II. *Ordo Decurionum cum Senatu comparatus; diſtinctus a plebe. Ædiles ab illis creati, ad poſtulationem*

tionem populi; Kalendis Martiis. Anni municipiorum varie computati. III. *Ædiles lecti ex ipſo ordine decurionum. Ammiano lux. Ædilitas gradus ad altiora. Inſcriptio Tergeſtina illuſtratur. Cenſus decurionum.* IV. *Principales & Decemprimi aliter, quam a Chifletio, Fabro, Manutio & Hotmano deſcribuntur. V que* VI. *vel* XV. *primi. Decemprimi an iidem cum decaprotis.* V *Dignitas decurionibus aſſerta. Eorum onera & privilegia. Legitimatio per oblationem curiæ illuſtrata. Theophilus contra Merillium defenſus. Boſtræ, pro noſtrae legendum in l 4. C. de nat. lib. Curiales non torquentur, nec a Præſidibus deportantur. Ordo ſplendidiſſimus ſplendidarum coloniarum. L. 2. C. ſi ſervus aut libert. ad decurion. adſpir. explicatur.* VI. *Eadem ex l. 3. D. de offic. Prætor. Suida, Dione aliiſque illuſtratur.*

STatui hoc capite, ut ordinis ratio poſtulat, diligentius inſpicere, quibus, quorum ſuffragiis, quibuſve gradibus Ædilitas in coloniis & municipiis delata ſit: quam in rem juvabit, quibuſdam de ordine Decurionum præmiſſis, rem ab ovo repetere, quo cuncta fiant planiora. Pomponius in *l.* 239. *§.* 5. *D. de V. S.* ſcribit, quoſdam exi-

exiſtimare, Decuriones nomen accepiſſe ex eo, *quod initio, cum coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui ducerentur, conſilii publici gratia conſcribi ſolita ſit.* Nec contemnenda Briſſonio, Cujacio, Sigonio, Sardo, Fornerio, Voſſio aliiſque viris Clariſſimis viſa fuit hæc originatio, quæ veritatis primordio adjuvatur; nam & in re militari eadem ratione decuriones dicti, qui denis militibus præerant, ut Varro & Nonius tradidere. Sed erraſſe omnino iſtos *quoſdam*, & qui eos ſequuntur, monuit Velſerus R. A. Vind. lib. 5. Neque enim in civitatibus bene conſtitutis decimus quiſque civis adſcriptus Senator eſſe potuit; neque veriſimile eſt, Romulum, cum duo millia & quingentos Fidenas mitteret, ducentos & quinquaginta Decuriones conſtituiſſe, qui Romæ Patres & Senatores legerat tantum Centumviros. Albam taceo, in quam ſex millia colonorum ſcripti, ut Livius annotavit: & quid multis opus eſt? Capuam quinque millia cum deducerentur, non quingenti, ſed *centum* Decuriones decreti ſunt, auctore Cicerone Agrar. II. cap. 35. centum inquam, ad imaginem Senatus, a Romulo conſtituti; iſque numerus, velut legitimus, in pleriſque coloniis & municipiis fuiſſe videtur. Tacitus lib. V. Hiſtor. cap. 19. *Tranſire Rhenum Tutor quoque &*

Claſſicus, & centum tredecim Treverorum Senatores. Inſcriptio Fabrett. cap. 3. n. 324. CENTVMVIRI. MVNICIPI. AVGVSTI. VEIENTIS. totidemque numerantur in albo decurionum, apud eundem cap. 9. n. 9. Prorſus ergo a fide aliena ſunt, quæ Pomponius noſter, ex aliorum ſententia, profert. Rectius fortaſſis Iſidorus, Hiſpalenſis Epiſcopus, a *curia* derivat decuriones, lib. 2. Orig. cap. 4. quem ſequitur Gentilis lib. 2. de jurisd. cap. 5. ſed a curia ſunt curiales & curiones, non decuriones. Varro lib. V. de L. L. *Curia, ubi Senatus remp. curat, & ubi cura ſacrorum publica, ab his Curiones.* Putabam aliquando nomen Decurionum a veteranis in colonias eſſe perductum; quia iſti cum ſignis & aquila & tribunis in eas proficiſcebantur, auctore Hygino & Tacito lib. XIV. Ann. cap. 27. *Olim*, inquit, *univerſæ legiones deducebantur cum tribunis & centurionibus, & ſuis cujuſque ordinis militibus, ut conſenſu & caritate rempublicam efficerent.* Deducebantur etiam Equites, ut Aſconius ſcribit ad Piſonianam: horum autem turmæ qui præerat, decurio nominabatur, Vegetius lib. II. cap. 14. Cato apud Feſtum: *Majores ſeorſum atque diverſum pretium paravere bonis atque ſtrenuis, Decurionatus, Optionatus, haſtas dona-*

donaticas, *alioſque honores*. Magis vero perſuaſus ſum, Decuriones nomen tuliſſe a decuriis, in quas ordines magnarum civitatum diſtributi erant: nam ſicut a curia dicuntur curiales & curiones, ita a decuria, decuriales & decuriones. Hinc *Decemprimi*, de quibus ſtatim, ac *decuria* pro curia ponitur, in *l.* 176. *C. Th. de decur.* & cum municipio conjungitur in *l.* 3. *§.* 4. *D. de bon. poſſ. l.* 22. *D. de fidej.* Adhæc in lapide Vicetiæ reperto, apud Sigon. lib. III. de antiq. jure Ital. cap. 3. M. Ennius ARMENTARIVS. DECVRIAE. Q. DECVRIO. VICETIAE appellatur. Non me latet, Valeſio hanc etymologiam diſplicuiſſe, ad Ammiani lib. 28. cap. 6. at ſciendum eſt, quod decuria hac notione non ſit δεκάς, ſed λεύκωμα, album, in quo quædam τάξεις diverſæ Decurionum erant conſtitutæ, ſicut in Equitum, Judicum, Scribarum, Viatorum & Præconum decuriis Caſaubonus ad Suetonii lib. II. cap. 32. & Reineſius ad cl X. n. 3. obſervarunt. Argumentum hujus rei certiſſimum præbent quotquot ex magno naufragio ſuperſunt alba civitatum, vel, uti Julianus in Miſop. appellavit, βȣλευτῶν καλάλογοι; maxime vero ænea tabula Canuſina, quam Abbas Damadenus libro ſingulari illuſtravit, in qua ſplendidæ coloniæ Canuſinæ quatuor & ſexaginta Decuriones in

varias

varias claſſes, Patronorum, Quinquennaliciorum, II. viraliciorum, Ædiliciorum, Quæſtoriciorum, Pedanorum & Prætextatorum dividuntur.

§. II. Quamvis autem Pomponius de Decurionibus Coloniarum tantum loquatur, pariter tamen in Municipiis, immo & in vicis eos reperias: nam alibi Suetonius lib. II. c. 46. *decuriones colonicos*, ſed cap. 100. *decuriones municipiorum & coloniarum* memoravit. Utrique vero domi ſuæ fungebantur munere Senatorum; unde minor Senatus apud Caſſiodorum, & *Buleutæ*, Græca voce Latio donata, apud Spartianum & Plinium appellantur. Plane Ulpianus ab his argumentum ducit ad Senatores in *l.* 7. *§.* 21. *D. de interd. & releg.* & præter tot alios, ſupra pag. 59. laudatos, id firmat Auſonius in Moſella vſ. 401.

- - - - quos Curia ſummos
Municipum vidit proceres, propriumque Senatum

Cognata quoque in multis Senatorum & Decurionum fuit dignitas, album, electio & munera, quæ fuſius exſequitur Guil. Fornerius lib. 1. Select. cap. 12. & quemadmodum cives Romani partim patricii, partim plebeji; ſive ut Cajus ait: *plebs eſt ceteri cives ſine Senatoribus*, *l.* 238. *de V S.*

V. S. ita cives coloniarum in decuriones & plebem diſtinguuntur, *l.* 3. *D. de teſtib. l.* 7. *pr. D. de mun. l.* 10. *§.* 2. *D de pœn. l.* 133. *C. Th. de decur. l.* 5. *C. de defenſ. civit.* Tacitus item lib. XIII. Ann. cap. 48. *Ordo plebeſque Puteolanorum.* Sueton. lib. III. cap. 37. *partem majorem plebei ac decurionum in vincula conjecit.* Varia quoque monumenta, in quibus nunc *ordo & populus*, nunc *ordo & cives*, nunc *Decuriones & municipes*, nunc *Decuriones, plebs & populus*, nunc *Decuriones & plebs coloniæ* occurrunt, Noriſius ad Cenot. Piſan. diſſert. 1. cap. 3. Vignolius inſcr. ſel. pag. 323. et Juſtus Fontaninus de antiquit. Hortæ cap. III. §. 11. collegerunt: nos paucis, exempli cauſa, contenti erimus. Apud Gruter. pag. 1086. num. 3. ORDO. POPVLVSQVE NOLANVS. Apud Panvin. de imp. Rom. pag. 747. DECVRIONES. ET. PLEBS. COLONIÆ. ANCONITANORVM. Apud Fabrett. cap. x. n. 163. DECVRION. POPVLVSQVE. COLONIAE PRAENESTIN. Primos autem decuriones colonicos eorumque numerum, a Triumviris, Quinqueviris, vel Decemviris agro dividundo, conſtitutum puto. Vacantibus deinde locis alii neceſſitudinis fœdere fuerunt adſtricti, alii ſoli genitalis amore nomina ſua dabant,

alii

alii a Cenſoribus vel ab ipſo ordine legebantur; non omnis promiſcue generis coloni, ſed viri induſtrii, recti, digniſſimi ac graviſſimi, quos morum ac prudentiæ fama commendabat, quique aptam muneribus ſubſtantiam poſſidebant. Et hi quidem, ſi onera curialia fideliter eſſent emenſi, vitæque inculpatæ teſtimonio a civibus comprobati, adſcendebant gradatim ad honores, & Augures, Sacerdotes, Quæſtores, Cenſores, AEdiles, vel Duumviri creabantur. Romæ quidem non omnes, qui magiſtratus geſſiſſent, erant Senatores, niſi a Cenſoribus in Senatum lecti: at in municipiis nullus magiſtratum gerere-poterat, niſi decurio: nam conſtitutione quadam cautum fuit, *prout quisque decurio creatus eſt, ut ita & magiſtratum adipiſcatur*, *l.* 6. *pr. D. de muner.* ita tamen ut potioribus quibusque honores injungerentur, neque tam ordinatio, vices & coëmta vel emendicata ſuffragia, quam vires, merita & facultates ſpectarentur, *l.* 7. *pr. D.* & *l.* 45. *C. de decur.* Illud etiam ratio ſuaſit, & Divalia ſcripta juſſere, ne majoribus honoribus functi ad minores devocarentur, *l.* 2. *C. quemadm. civ. mun.* neve per ſaltum, ſed a minoribus ad majores, habita etiam ætatis ratione, adſcenderetur, *l.* 11. *l.* 14.

§. 5.

§. 5. *D. de muner.* Apulejus lib. X. Metam. *Ut ejus proſapia atque dignitas poſtulabat, gradatim permenſis honoribus, Quinquennali magiſtratui fuerat deſtinatus.* Tempus, quo nominatio fieret, non ubivis idem, nec certum fixumve fuiſſe videtur: multæ quippe civitates Imperii Romani proprios annorum characteres habuerunt, neque kalendarium Julianum ſunt ſecutæ. Laviniorum enim annus tredecim menſibus terminabatur, eratque dierum 374. ut, præter Solinum, Auguſtinus ſcribit, lib. XV. de C. D. cap. 12. Cui accedat Cenſorinus de die nat. cap. 20. *ut alium Ferentini, alium Lavinii, itemque Albani, vel Romani habuerunt annum, ita & aliæ gentes.* Quædam Italiæ civitates diem, quo primum ad ſe veniſſet Auguſtus, initium anni fecerunt, auctore Suetonio lib. II. cap. 59. Aliæ a colonia condita annos computarunt: ANNO POST INTERAMNAM CONDITAM, eſt in lapide Gruter. pag. 113. n. 2. & AB COLONIA CONDITA ANNO XC. pag. 207. In lapide Campano, apud Pighium tom. 3. Annal. dicuntur Duumviri creati EX.K.SEPT. poſtea EX. K. IAN. AD K. IAN. denique EX. K. IAN. AD. K. IVL. Sub Conſtantio autem legebantur tribus menſibus ante magiſtratum, Kalendis Martiis,

l. 28.

l. 28. *C. Th. de decur.* atque ita fortaſſis etiam ævo priore, niſi quod contentionibus candidatorum tempus quandoque prorogatum fuit. Ovidius lib. III. Faſt. vſ. 145. de Kalendis Martiis:

Nec mihi parva fides annos hinc iſſe priores,
Anna quod hoc cœpta eſt menſe Perenna coli.
Hinc etiam veteres initi memorantur honores,
Ad ſpatium belli, perfide Pœne, tui.

Poſtulabat autem populus & univerſi cives illos maxime, qui ob munera liberaliter exhibita, aut propter rempublicam jam recte adminiſtratam, honores demeruiſſent. *Duumvirum, vocibus popularium poſtulatum*, refert Ulpianus in *l.* 12. *D. de appellat.* & Conſtantinus nominationem IIvirorum *populi ſuffragiis in Africa ex conſuetudine celebrari*, ait, in *l.* 1. *C. Th. quemad. mun. civ.* quibus reſpondet inſcriptio Gruter. pag. 431. n. 1. in qua Sextus Ligurius dicitur: IIVIR. DESIGNATVS. EX. POSTVL. POPVLI. & alia apud Turre de colon. Forojul. pag. 350 in qua IIIIVIR. I. D. POPULI. BENEFICIO. Nominabantur ſuffragiis honoratorum, poſſeſſorum & decurionum, principali Præſidis auctoritate confirmatis, *l.* 1. §. 3. *D. quando*

do appell. l. 8. *C. de defenſ. civit. l.* 37. *l.* 59. *C. de decur.* Cicero Cluent. cap. 8. *Quatuorviros, quos municipes Larinates fecerant, ſuſtulit.* Et nominatim Ædiles a civibus creatos, teſtatur idem Verr. II. cap. 55. ubi Verrem reprehendit, quod fecerit Cenſores in Siculis civitatibus, quorum deſignandorum jus penes populum cujusque civitatis: *Cenſores quidem*, inquit, *qui magis quam Ædiles? ob beneficium? Ergo hoc fatebere abs te hæc petita eſſe.* Acceſſiſſe decretum Decurionum lapides frequentes oſtendunt, in quibus leguntur notæ D. D. D. Apud Gruterum pag. 402. num. 3. CVI. OB. MERITA. ORDO. DERTOSAI. ÆDIL. HONOR. DECREVIT.

§. III. Quemadmodum vero penes Ordinem erat, quos vellet Ædiles e candidatis a populo poſtulatis legere, ſic ipſi etiam Ædiles ex decurionibus tantum ſumebantur; & ſicut Romæ ordo equeſtris ſeminarium ſenatus erat; pariter in coloniis & municipiis ordo decurionum ſeminarium magiſtratuum habebatur. *Is qui non ſit decurio, duumviratu vel aliis honoribus fungi non poteſt: quia decurionum honoribus plebeji fungi prohibentur*, ait Paulus in *l.* 7. §. 2. *D. de decur.* ubi inter *honores alios*, continetur AEdilitas, ut quivis facile videt; ſed quia eam mihi legem dixi,

uti nihil non teſtatum proferam, en tibi pulchram inſcriptionem, apud Vignolium Inſcr. ſel. pag. 187. in qua M. Nemonius Eutychianus ADLECTUS.IN.ORDINEM.DECURION. PUTEOLANOR AEDILIS dicitur. Huic accedat ſignatus Ammiani Marcellini locus libro XXVIII. cap. 6. *Leptitanoque*, inquit, *agro & Oeenſi interneciva depopulatione tranſcurſis, expleti prædarum acervis ingentibus abſceſſerunt, occiſis decurionibus multis: inter quos Ruſticanus ſacerdotalis, & Nicaſius enitebat Ædilis.* Proprie decurio, qua talis, non magis erat AEdilis municipalis, quam Senator Romanus erat AEdilis Curulis, aliusve magiſtratus. vide *l. 6. pr. D. de muner. l. 7. §. pen. D. de interd. & releg. l. 1. C. de magiſtr. municip.* Nicaſius autem in decurionibus numeratur, quia ex decurione AEdilis factus; aut magis, quia AEdilicius erat, ἀγορανομικὸς, ut eſt apud Reineſium cl. v. Inſcr. 9. hoc eſt, AEdilitate functus, & in album decurionum iterum relatus. Ita enim moris fuiſſe, lamina ærea apud Canuſium reperta docet, quam præter Abbatem Damadenum, ſupra laudatum, exſcripſit Fabrettus cap. IX. n. 9. ubi DECURIONUM. NOMINA ſub titulo QVINQVENNALICII, IIVIRALICII, AEDILICII, &c. referuntur. Et ſane ſi

ſi qui nec dum decuriones facti, ædilitatem adipiſcerentur, eo ipſo in curiam veniebant, depoſitoque magiſtratu vinculis curialibus tenebantur. Inſcriptio antiquiſſima, in muro Tergeſtinæ civitatis inventa, apud Gruter. pag. 408. *Uti. Carni. Cataliq. adtributi. a. Divo. Auguſto. Pio. reip. noſtræ. provt. qvi. meruiſſent talia. abſque. censv. per. ædilitatis. gradvm. in. curiam. noſtram admitterentur &c.* Cenſus decurionum ex lege municipali definitus erat, ad exemplum cenſus ſenatorii Romæ: ne forte rei familiaris tenuitas ampliſſimo ordini dedecus, aut ſordidioris quæſtus cupiditatem adferret. Cicero II. Verr. cap. 49. & Plinius lib. I. epiſt. 19. *Eſſe autem*, inquit, *tibi centum millium cenſum ſatis indicat, quod apud nos* (Comi) *decurio es.* Isque in AEdilibus conſtituendis cum maxime requirebatur, propter editiones ludorum, ditiſſimis etiam graves. Carnis vero Catalisque hoc privilegii tribuitur, ut nulla prævia fortunarum inquiſitione admitterentur. Sed quod notandum, primo ii demum QUI MERUISSENT TALIA: id enim Paulus quoque indicat in *l. 7 D. de decur. Honores*, inquit, *& munera, non ordinationi, ſed potioribus quibusque injungenda ſunt.* Dein admittendi PER. ÆDILITATIS. GRADUM.

 nam

nam in municipiis optimo conſilio gradus erant honorum diſtincti. Modeſtinus: *ut gradatim honores deferantur, edicto, & ut a minoribus ad majores perveniatur, epiſtola Divi Pii ad Titianum exprimitur*, in *l.* 11. *pr. D. de muner.* Quod autem primus gradus AEdilitas fuit, id ab Urbe ſumtum; de cujus AEdilibus ſcribit Tullius lib. 3. de LL. *Olliſque ad honoris amplioris is primus aſcenſus eſto.* Eoque pertinet Tribunorum Pl. querela apud Liv. lib. XXXII. cap. 7. *Jam Ædilitatem Præturamque faſtidiri, nec per honorum gradus documentum ſui dantes, nobiles homines tendere ad conſulatum, ſed tranſcendendo media ſumma imis continuare.* Ex his ergo, ut ad rem revertamur, ſatis intelligitur, AEdiles ex decurionum ordine non ſolum lectos eſſe, ſed in albo ejusdem, depoſito etiam magiſtratu manſiſſe, idque ſatis colligere licet ex *l.* 1. *D. de albo ſcrib.* Durante vero magiſtratu, cum ceteris magiſtratibus, a decurionibus, velut diverſi ſeparantur.

§. IV. Putem igitur erraſſe omnino Claudium Chifletium, qui, in ſtatu Reip. Romanæ ſub Conſtantino, Ammiani editioni Gronovianæ præfixo, ex ſupra laudatis Marcellini verbis adſtruere conatur, Ædiles in coloniis eoſdem fuiſſe, qui Princi-

pa-

pales & Decemprimi. At hi ipſi erant Decuriones, ſed quodammodo præſtantiores; erant primi in albo decurionum, ut Turnebus ait lib. VIII. Adverſ. cap. 22. ab his vero, qui magiſtratus gerebant, longe diverſi; unde àb optimis quibuſque ſcriptoribus ſeparantur. Cicero Verr. II. cap. 67. *Evocat*, inquit, *ad ſe Centuripinum Magiſtratum & decemprimos*, & lib. III. cap. 28. *Agyrio magiſtratus & quinque primi accitu iſtius evocantur*. Livius lib. XXIX. cap. 15. *Ex hoc Senatuſconſulto accitis Romam magiſtratibus primoribuſque coloniarum*. Tacitus lib. 13. Annal. cap. 48. *Hi magiſtratuum & primi cujuſque avaritiam increpantes*. Trebellius Pollio in triginta Tyrannis cap. 15. Odenatum *principem Palmyrenorum* vocat: Sextus autem Rufus, & qui hunc ſequitur Hieronymus, in Chronicis Euſebianis, *decurionem Palmyrenum*. Quanquam major omnino ejus dignitas fuiſſe videatur, ſi Procopium de bello Perſ. lib. II. cap. 5. & Zonaram pag. 237. conſulamus. Marcellinus lib. XIV. c. 7. *Cæſar nullum poſthæc adhibens modum, Orientis latera cuncta vexabat, nec honoratis parcens, nec urbium primatibus, nec plebejis*. Huc pertinent quoque quæ in *l. 39. C. Th. de decur.* leguntur verba: *tam primarios curiarum, quam hos, qui magi-*

ſtratus gerunt, atque geſſerunt. Adde *l.* 151. *eod. tit. l.* 39 *C. Th. de Epiſcop. & Conſtit.* 9. *Append C. Th* ubi *Decemprimi curiales* appellantur; ſicut Firmicus ait, lib. III. cap 12. *Maximarum civitatum Decemprimi Juridici.* Res certa. Quemadmodum enim, Auguſto imperante, Senatus in duas claſſes dividi cœpit, quibus ſub Conſtantino tertia adjecta eſt, ut primi ordinis Senatores dicerentur illuſtres, ſecundi ſpectabiles, tertii clariſſimi: & ſicut *Decemprimi ſcholarum* dicebantur, qui in ſingulis ſcholis domeſticorum, temporis prolixitate, ad eum gradum pervenerant, *l.* 7. & 10. *C. Th. de domeſt. & prot.* ſic etiam coloniæ & municipia, urbis imperantis exemplo, decurionum in decurias diſtributorum nonnullos habuerunt primores, & conſilii publici principes, qui genere, patrimonio, ætate, auctoritate, uſu rerum, numero liberorum, aut munerum geſtorum amplitudine excellerent, vel viri honorati & clariſſimi, Principis judicio, pluribuſve eodem tempore ſuffragiis jure primi decurionis ornati. vid. *l.* 6. *§.* 5. *D. de decur. l.* 2. *D. de albo ſcrib.* juncta *l.* 16. *D. de uſu & uſufr. leg. l.* 27. *§. pen. & ult. D. de pœn. l.* 41. *C. de lib. cauſ. l.* 5. *C. de cohort.* & *l.* 2. *C. de excuſat. mun.* & ideo Principales ab ordine ſeparantur in

ſaxo

ſaxo Gruteri pag. 363. *viri perfectiſſimi, & Principales, & Splendidiſſimus ordo, & populus Puteolanorum* Hi vero primates, ſummates, ordinis vertices, ſeniores, principales, primarii, πρωτοστάται, πρωτοπολίται, & pro curialium amplitudine V. X. XV. vel XX. primi dicebantur. Cæſar. lib. 1. de B. C. cap. 35. *Evocavit ad ſe Maſſilienſium XV. primos.* Cicero lib. III. de N. D. cap. 30. *L. Alenus chirographum Sexprimorum imitatus eſt.* & in Novella Majoriani ad Baſilium Pr. Præt. *Quinque primorum curiæ ſubſcriptio* nominatur. V. Jac. Gothofr. Parat. *C. Th. de decur.* & Noriſ. ad cenot. Piſ. diſſert. 1. cap. 3. Non ergo Decemprimi erant AEdiles, neque magiſtratus, quemadmodum in toties repurgato Fabri theſauro legitur: *Decemprimus, nomen magiſtratus municipalis, idem fere quod decurio*: neque legationis tantum cauſa creati, ut Manutius & Hotmanus credidere, vapulantes idcirco a Cl. Grævio ad Ciceron. pro Roſcio cap. 9 neque iidem forte fuerunt cum *Decaprotis*, qui patrimonii magis munus gerebant, *l.* 3 *§.* 10 *l.* 18. §. 26. *D. de decur.* licet vulgo confundantur, etiam in Gloſſis Gr. Lat. Δεκαπρῶτος, *Decemprimus*, δεκαπρῶτοι *Decuriones*: ſed rempublicam adminiſtrabant, advocatione pro patria fungebantur, faciebant ludos, adſcri-

ſcriptiones, exactiones & ejuſmodi alia; quibus ſi recte functi, ſplendoris & honoris ornamenta capeſſebant, *l.* 171. *C. Th. de decur.* His quoque præ ceteris jus ſententiæ dicendæ fuiſſe, colligo ex dicta *l.* 6. & ex Apulejo de mundo; *Decuriones etiam, quibus eſt jus dicendæ ſententiæ, ad conſeſſum publicum commeabunt.* Forte etiam princeps eorum, qui primus ſententiam rogabatur, fuit inſtar principis Senatus Romani, quem a Principibus civitatis, id eſt Senatoribus, qui aliquo numero erant, diſtinguendum eſſe nuper Cl. Weſſelingius monuit lib. 1. Obſ. cap. 8. Talis ergo inter Alexandrinos principales fuit *primus curiæ, qui muneribus univerſis expletis ad ſummum pervenit gradum*, in *l.* 56. *C. de decur.* & C. Matrinius Aurelius PRIMVS PRINCIPALIS apud Fabrett. cap. II. inſcript. 250. L. Caſtronius Pætus *princeps municipii Lucenſis*, Cicero lib. XIII. epiſt 13. Granius item *princeps coloniæ* Puteolanæ, Valerius Maximus lib. IX. cap. 3. n. 8. & Silva *ordinis ſui Primas* apud Ammian. l. 28. cap. 6. PRINC. CIVITATIS NICAPOLITANOR. apud Gruter. 4. pag. 472. & in alia apud Octavium Roſſium: FIRMVS. INGENVI. F. PRINCEPS. SABINORVM, hoc eſt πρωτοπολίτης, & Sabii municipii decurio primus, ut Reineſius exponit, epiſt. 44. ad Rupert. pag. 394.

394. cl. III. n. 43. cl. VI. n. 100.

§. V. Supereſt domo noſtra, ſive ex Codice Juſtinianeo addamus & illuſtremus textum pulcherrimum, qui non obſcure AEdiles noſtros ex decurionibus lectos eſſe teſtatur. Verba Diocletiani & Maximiani in *l.* 2. *C. ſi ſervus aut libert. ad decur. adſpir.* ſunt ſequentia: *Præſes provinciæ, ſi eum, qui Ædilitate fungitur, ſervum tuum eſſe cognoverit, ſiquidem non ignarum conditionis ſuæ ad Ædilitatem adſpiraſſe perſpexerit, ob violatam ſervili macula curiæ dignitatem, congruenti pœna adficiet. Si vero, cum opinione publica mater ejus pro libera haberetur, ex decurione procreatus, ad capeſſendum honorem errore lapſus proceſſit, dominio tuo eum ſubjugabit.* Manifeſta quidem legis hujus eſt ſententia, non tamen ideo interpretatio ejus negligenda videtur, ſi monitum Juriſconſulti ad Prætoris edictum de ventre inſpiciendo placebit. Nemo autem non videt, pſeudolum illum & ſubdititium ſervum, qui ab Oricina domino vindicatur, in ordinem decurionum fuiſſe adlectum, priuſquam ad majorem curiæ dignitatem, ſive AEdilitatem, evectus fuerat. Tum ſignate *fungi* dicitur AEdilitate, non AEdilem eſſe; ſicut aliud eſt ſervum eſſe, aliud in ſervitute morari, cum is qui revera liber in conditionem ſervilem

deductus, injuſtam ſervitutem miniſterii cauſa ſervit. v. Quintilian. lib. V. Inſt. cap. 10. & Oratorem declamat. 311. & 340. Enimvero ſervulus ille noſter non jure, ſed facto, magiſtratum gerebat: quia ob infimam conditionem, velut ſine capite, ſine nomine & perſona, rebus, quadrupedibus ac mortalitati annumeratus, ab omni munere civili & juſto magiſtratu excludebatur. Neque cum aliis exiſtimandum eſt, ejuſmodi ſervum, communi opinione pro libero habitum, tacito populi judicio manumitti: quodnam enim ibi judicium, conſenſus aut voluntas ubi error deprehenditur? Apte etiam reſpondit Modeſtinus albi deſcriptione minime decurionem factum, qui ſecundum legem decurio creatus non ſit, in *l.* 10. *D. de decur.* neque ſervus, qui liber credebatur, ſi judex aut tutor datus ſit, ideo fit liber, *l.* 22. *D. de teſt. tut. l.* 11. *C. de liber. cauſ.* et ſingulari liberalitati ſuæ vindicant Imperatores, quod ſuſtineretur teſtamentum ejus, cui, inter alios teſtes idoneos, ſervus per errorem adhibitus fuerat, *§* 7. *Inſt. de teſtam.* minime tandem communis populi error formam juris publici mutare poteſt, *l.* 39. *D. de LL. l.* 6. *§.* 1. *D. de Off. Præſ.* Herald Obſ. cap. 29. Perrenon. lib. 1. Anim. cap. 18. Lopez. animadv. cap.

6. &

6. & Jac. Gothofred. diatr. de elect. mag. inhab. Plane Imperatores hoc loco reſcribunt, ſervulum illum honoripetam, ſiquidem opinione libertatis ad curiam adſpiraverit, impunitum priſtino dominio eſſe ſubjugandum; ſin vero diſſimulato ſtatu ad decurionatum obrepſerit, & Ædilitatis honorem contra leges obierit, ob violatam ſervili macula ordinis & magiſtratus dignitatem, gravi pœna plectendum eſſe. Dicat forte aliquis, quæ iſta decurionatus fuerit *dignitas*, quam multi extorres, tanquam ſcopulum defugerunt, & ad quam alii præmiis fuerunt alliciendi, alii per legum minas cogendi? Quis ille honor, qui Chriſtianis pœnæ loco ab impiis principibus impoſitus, & cujus humilitas viris principibus objectus fuit? cum utique criminoſos & exoſos non dignitas debeat, ſed pœna comitari. Vid. *l.* 66. *&* *l.* 122. *C Th. de decur. l.* 1. *C. Th. de curſ. publ. l. pen. C. de cohort.* Sueton. lib. IV. cap. 23. Caſſiod. Trip. hiſt. lib. 1. cap. 9. Niceph. lib. X cap. 13. & lib. XVI. cap. 44. aliosque a Rad. Fornerio lib. 1. rer. quot. c. 28. laudatos. Verum heus bone! factum id tum propter nexum curialem, & exactorum injuriam, tum propter obſequia abjecta & onera, quibus decuriones premebantur, *l.* 21. §. 3. *D. ad munic. Novell. Major.* 4. tum propter

pter alia, quæ falſos honorum vultus induebant. vid. Philipp. Berterius Pithan. diatr. 1. cap. 10. Curiæ namque iis ſerviendum erat, periculo ſuarum facultatum *l.* 50. 60. 64. *C. de decur.* non poterant repudiare vel alienare paternam hereditatem, *l.* 4. *C de nat. lib.* neque militiæ adſcribi, *l.* 17. *C. de decur.* non res ſuas ſine decreto vendere, nec aliud vitæ genus eligere; in civitate, non in rure iis degendum, *l. un. C. ſi curia. rel. civ.* quinimo tot aliis oneribus erant obnoxii, ut Syneſius epiſt. 93 eos potius ſervos, quam nervos, magiſque oneratos, quam honoratos vocarit; & Libanius queratur, quibuſdam in oppidis vix ſuo tempore unum ſuperfuiſſe, qui munera ſolus ſuſtineret, in oratione πρὸς τὸς βαριὼ ἀυτὸν καλέσαντας. Hac ratione Theodoſius & Valentinianus legitimationem per oblationem curiæ introduxere, ſi pater filios ſuos naturales, vel ipſi liberi ſe curiæ offerrent *l.* 3. *C. de nat. lib.* Exemplum dabit ſequens *l.* 4. in Philocalo, a patre oblato Curiæ *Boſtræ* civitatis, uti Cujacius legendum eſſe monuit, non *noſtræ.* Boſtra autem vel Arabiæ Petrææ Metropolis, vel altera ejuſdem nominis, Philippi Imp. patria, intelligi poteſt, de quibus, præter Cellarium, Spanhem. de Præſt. & uſu num. diſſert. XIII. pag. 612. eſt adeundus. Aliud exem-

exemplum fortaſſis ex inſcriptione Gruteri deſumi poſſet pag. 434. n. 4. in qua C. Mamercus Januarius, P. Paccii Januarii FILIUS NATURALIS Q. AED. PRAET. IIVIR. Q. fuiſſe dicitur, niſi conſtaret filios naturales, etſi non legitimatos, immo ſpurios in ordinem receptos fuiſſe *l.* 3. *§.* 2. *l.* 6. *D. de decur.* Naturales vero Curiæ oblati ſtatim fiebant decuriones, & jura ſuorum heredum habebant, etſi legitimæ nondum eſſent ætatis, neque ad remp. adminiſtrandam idonei: nam licet olim ætas viginti quinque annorum legitima fuerit *l.* 6: *§.* 1. *l.* 11. *D. de decur.* tamen infantes etiam adſcriptos legimus, in *l.* 21. *§.* 6. *D. ad munic.* & *l.* 1. *C. de mun. & hon.* & juvenes ſedecim vel octodecim annorum, *l.* 4. *C. Th. de fil. milit. app. l.* 7. *C. Th. de decur.* eoque pertinent decuriones PRAETEXTATI, ultimum locum in ænea tabula Canuſina tenentes, apud Fabrett. cap. IX. Inſcr. n. 9. juniores ſcilicet, qui diſcendi cauſa in curiam veniebant, ſententiam vero non rogabantur; uti Abbas Damadenus, in explicatione dictæ tab. cap. 30. oſtendit: idque contra Merillii iniquam cenſuram, Theophilo impactam, notandum eſt, lib. VIII. Obſ. cap. 26. At vero, pro his tantis muneribus et vinculis, multis etiam prærogativis ornati ſunt, quas col-

legit

legit Briſſonius lib IV. ſel. antiq. c. 13. Primum locum has inter dedit, quod nec ipſi, nec parentes, aut liberi eorum quæſtioni ſubjiciuntur: id vero Valeſius ad Ammian. lib. XXVIII. cap. 1. et Baluzius ad Lactant. de mort. perſ. c. 21. item Fornerius pater lib. 2. ſelect. cap. 20. et filius lib. 3. Rer. quot. cap. 8. pluribus firmarunt. Addit mandatis Principum caveri, ne Præſides eos in inſulam deportarent: licet enim alibi Præſes in exilium egiſſe dicatur *l.* 8. *D. ad L. Corn. de ſic. l.* 6. *§. f. D. l.* 2. *C. de pœnis* id tamen ad humiliores pertinet, uti Zoannett. cap. 22. reſtit. rectius, quam Merillius lib. 1. Variant. c. 2. conciliavit. v. *l.* 2. *§.* 1 *&* *l.* 27. *§.* 1. *D. de pœn.* juncto Noodtio lib. 2. Obſ. cap. 26. Fuit ergo honos quidam ſplendidus dignitaſque umbratilis in Senatu municipali; quæ ab aliis pretio emta, aliis in præmium data, aliis in pœnam ademta, multis etiam petentibus denegata fuit, *l.* 6 *l. ult. D. l.* 28. *l.* 47. *C Th de decur. l.* 13. *§.* 1. *D. de l. Corn. de falſ. l.* 5. *D. de vacat. l.* 1. *§.* 1. *ad l. Jul. amb.* Hinc et Seviri, Quinquennales & Decuriones *gratuiti*, apud Gruter. pag. 475. n. 3. 4. & 479. n. 1. Præclare Tullius pro Cœlio cap. 11. *Nemini unquam præſenti Puteolani majores honores habuerunt, quam abſenti*

ſenti M. Cœlio, quem & abſentem in ampliſſimum ordinem cooptarunt, & ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegarunt. Ordinem vocat *ampliſſimum*, eodem cognomine, quo Senatus Romanus dicebatur, *l.* 2. *§.* 1. *l.* 30. *D. ad SCt. Vellej. l. 9. D. de SCto Maced.* Pari modo in lapide Gruter. 7. pag. 421. ORDO. MVNICIP. AMPL. LICITANORVM. Alibi vero 9. pag. 481. SPLENDIDISSIMO. ORDINE. ARIMIN. nam ut Florus municipia Italiæ *ſplendidiſſima* vocavit lib. III. cap. 21. & Tyriorum colonia *ſplendidiſſima* ab Ulpiano in *l.* 1. *D. de cenſ.* & λαμπροτάτης in actis II. Conc. Chalcedon. act. 9. dicitur, ita &*ordo ſplendidiſſimus* Carthaginienſium eſt apud Apulejum: quippe lectus ex nobilibus, tribunis, patriciisque Romanis, jure ac dignatione Urbis Patribus quodammodo exæquatis; quapropter etiam ordo municipalis quibusdam in ſaxis SANCTISSIMUS audit, pariter ac Cicero Senatum Romanum *ſanctiſſimum ordinem* appellavit pro Dejot. cap. 3. Rurſus ſicut Senatoria dignitas in Urbe e plebeja fæce eximebat, ita plebejus adepto decurionatu humilem fortunam exuebat, ſuamque nobilitatem paterno, non materno ſanguine tuebatur, *l.* 36. *C. l.* 44. *l* 137. *C. Th. de decur.* Idque eſt, quod Prudentius

tius in Roman. Antioch. cecinit vſ. 123.

- - - *abſit, ut me nobilem*

Sanguis parentum præſtet, aut lex Curiæ. Illud veriſſimum eſt, tam longe ab infami ſervorum conditione eum fuiſſe diſcretum, ut nec liberi homines relegati in totum & reverſi, nec navicularii, nec qui præconium facerent, aut tabulariam adminiſtrarent, ad decurionatum adrepere poſſent; liberti etiam lege Viſellia arcerentur, niſi jure annulorum aureorum a principe ſuſtentarentur, Cicero *lib. VI. fam. ep.* 19 *l.* 3. *l.* 9. *D. de decur. l. ult. C. de ſervis reip. l.* 9. *C. de Dign. l. un. C. ad l. Viſell.* Alii forte plures legibus municipalibus de decurionibus creandis, excludebantur: ſcribit enim Tullius II. Verr. cap. 49 *C. Claudius, adhibitis omnibus Marcellis, qui tum erant, de eorum ſententia leges Haleſinis dedit: in quibus multa ſanxit de ætate hominum, ne qui minor triginta annis natu, de quæſtu, quem qui feciſſet ne legeretur, de cenſu, de ceteris rebus.* Huc etiam Pompeja lex pertinet, poſt bellum Mithridaticum Bithynis data, quæ vetabat, ne quis minor triginta annorum in curia eſſet, v. Plin. lib X. epiſt. 83. item aliæ, quarum ſupra mentio facta, ubi de lege municipali agebamus, cap. 1. §. 4.

§. VI. Ne quis vero putet, audacia ſervuli

vuli noſtri, ordinis municipalis Ædilitatisve dignitati quicquam detractum iri, age, quis neſcit labem illam ſervilem, non municipiorum tantum curias, ſed ipſum etiam populi Romani tribunal aliquando fœdaſſe? Notatum enim eſt ab Ulpiano, in famoſiſſima *l.* 3. *D de off. Præt.* Barbarium Philippum, ſervum fugitivum, Romæ Præturam ambiiſſe, & Prætorem creatum, in alta curuli jus dixiſſe. Plenius eandem hiſtoriam narrat ſcriptor vetus apud Suidam, in voce Βάρβιος; id quod jam dudum obſervavit Turnebus lib. VII. Adverſ. cap. 7. & poſt eum Cujacius, lib. 18. Obſ. 33. Grotius, Lycklama, Reineſius aliique; ſed quia idem ille locus legem noſtram non parum illuſtrat, ipſa Suidæ verba, ex noviſſima Kuſteri verſione, ſubjiciam: *Barbius Philippicus. Hic ſub Triumviris Præturam geſſit, &, cum eſſet homo ſervili & adulatorio ingenio, in cœtum ſcurrarum, quibus Antonius familiariter utebatur, allectus fuit: ad cujus etiam arbitrium magiſtratum ante dictum geſſit. Hunc igitur eo tempore faſtu elatum, & ob dignitatem purpura indutum, & in foro Romæ e ſublimi loco jus dicentem herus accedens agnovit: qui cum ante ſervus fugitivus fuiſſet, tum temporis magno cum faſtu & pompa incedebat, & dignitatis faſtigio magni-*

magnifice ſe efferebat. Cum igitur tacite ad eum acceſſiſſet, veſte a tergo prehenſa, ſalve, inquit; priſtino & ſervili nomine eum compellans. At ille re ſubita perculſus dominum agnovit, rogatumque ut taceat domum ſecum duxit, magnaque pecuniæ ſumma ei numerata, ſic tandem ſe redemit. Et propter reverentiam quidem erga Antonium, macula illa ſervitutis ſilentio tecta fuit. Idem vel ſimile ejuſdem temporis exemplum profert Dio Caſſ. lib 48. in A. V. DCCXV. cujus verba ſimul adſcribo: *In Senatum etiam adſcripti permulti, non modo e ſociis militibusve & libertinis, ſed ſervi etiam. Sane Maximum quendam, quæſturam ambientem, dominus ſuus cognovit & abduxit.* Adjicit tanquam ſingulare: *idque impune factum eſt ei, qui auſus eſſet magiſtratum petere* Alii etenim, qui ſtatus ſui gnari ad honores contenderunt, gravi ſine dubio pœnæ addicti ſunt: nam et Hadrianus, cum ſervum aliquando inter Senatores ambulantem e conſpectu videret, *miſit, qui ei colaphum impingeret, diceretque: noli cum iis ambulare, quorum adhuc potes eſſe ſervus*, auctore Spartiano in ejus vita cap. 21. Plinius lib. VII. epiſt. 29. ubi Prætoria ornamenta liberto a Senatu decreta indignatur, *Equidem*, ſcribit, *nunquam ſum miratus, quæ a fortuna, quam a ju-*

a judicio proficiſcerentur: maxime tamen hic me titulus admonuit, quam eſſent mimica & inepta, quæ interdum in hoc cœnum, in has ſordes abjicerentur; quæ denique ille furcifer & recipere auſus eſt, & recuſare. Addere poſſem M. Perpernæ falſum conſulatum, & caliginis ſimile imperium, ut vocat Valer. Maximus lib. III. cap. 4. n. 5. Sed nihil hæc ad Ædiles municipales, quapropter ἐν παρόδῳ dicta ſunto. Evicimus tamen illos a viris nobiliſſimis, ex ordine decurionum, in quo vires, nervi & anima civitatum, nominatos eſſe; non e numero vilium capitum, aut ex paupertinis, quos

- - - ſeries inhonora parentum,
Obſcuros proavis, & priſcæ lucis egentes,
Plebeja de ſtirpe tulit.

CAPUT VI.

DE HIS, QUI AB ÆDILITATE EXCUSANTUR.

I. *Ab Ædilitate immunes Pontifices ſummi provinciales, & ſacerdotes municipales.* II. *Item milites veterani, & qui advocationem impleverunt. Comparatio militiæ togatæ & ſagatæ. Finis advocationis initium honorum.* III. *Modeſtinus Græce doctus. Quis ejus fragmenta*

de excuſationibus tam barbare converterit, Bulgarus, an Burgundus. Laus Ant. Auguſtini. Petiti error in voce ἐπισαθμιῶν. IV. *Philoſophi ab Ædilitate excuſati, ſine ſectæ diſcrimine, contra Grotium, Gronovium, Wiſſenbachium, Merillium & alios.* V. *Rhetores Sophiſtæ immunitatem habuere, a qua Poëtæ excluſi, & Muſici, non una ratione.* VI. *Grammatici immunes; eorum genera, ſtudia & merces.* VII. *Medici* περιοδευταὶ, *non circumforanei, ſed circuitores, clinici. Baſilicorum error. Medici partis alicujus corporis Archiatris oppoſiti. An ingenui homines Romæ medicinam coluerint.* VIII. *Hadrianus & Antoninus Pius privilegia artium doctoribus dedere. l. 6. §. 8. D. de excuſat. illuſtratur. à Gothofredo & Oleario diſſenſum. Profeſſores a Principe probati.* IX. *Eadem l. 6. §. 8. relata ad Doctores in coloniis & municipiis. Auguſtinus notatur. Cur nulli in municipiis juris Profeſſores. Berytus legum nutrix.*

Viſis, qui ab Ædilitate excluſi erant, ordo nos ad eos vocat, qui principali beneficio a neceſſitate eam ſuſcipiendi excuſabantur. Enimvero quia Magiſtratus hicce plus oneris, quam honoris habebat,

atque inſanis opum profuſionibus erat obeundus; idcirco omni ope laborabant municipes, uti ab ejus obſequiis liberarentnr. Sed quia publica utilitas ſuadebat, omnibus, etiam nolentibus & invitis, eam imponi, & lege cautum, ut *ſi quis magiſtratus in municipio creatus munere injuncto fungi detrectet, per Præſides munus agnoſcere cogatur*, in *l.* 9. *D. de mun.* hinc ab omnibus honos iſte cum ſumtu fuit ſuſcipiendus; niſi qui intra tres menſes, poſtquam nominati, juſtas vacationis cauſſas allegare poſſent. Inter eos autem, qui ab Ædilitate immunes, primo loco occurrunt *Sacerdotes provinciarum*, quippe qui omnibus demum muneribus & honoribus perfuncti ad eam dignitatem evehebantur. Hujuſmodi primos Pontifices in provinciis fuiſſe, qui reliquis ſingularum civitatum ſacerdotibus præpoſiti, Auguſtinus ad Modeſtini *l.* 6. *§.* 14. *D. de excuſat.* Valeſius ad Euſeb. lib. VIII. cap. 14. & Spanhem. de præſtant & uſu numiſm. diſſ. XII. pag. 416. dudum notarunt. Meminit eorum quoque, præter alios JCtos, Papinianus in *l.* 8. *D. de vac. mun.* quam Vertranius Maurus de jure liberor. cap. 37. late & docte illuſtravit. Item Impp. in *l.* 8. *C. de mun. patr.* & in *l.* 46. *C. Th. de decur.* conſtituunt: a *ſolis Advocatis, eorumque conſortio, dari*

debere provinciæ ſacerdotes. Præter hos vero in oppidis quoque, qui primus, vel maximus natu in collegio erat, ſacerdos maximus dicebatur, uti Cuperus ad Lactant de mort. perſ. cap. 36. ex Cicerone docuit. Tales etiam fuiſſe videntur, qui *Sacerdotes Duumvirales*, vel *Duumvirali poteſtate* in inſcript. leguntur Gruter. pag. 639. n. 5. & Marmor. Felſin. pag. 56. De Cerellio quodam hujus generis Cenſorinus de die natali cap. 15. *Tu tamen*, inquit, *officiis municipalibus functus, honore ſacerdotii in principibus tuæ civitatis conſpicuus. Ordinis etiam equeſtris dignitate gradum provincialium ſupergreſſus, omnium omnino amorem cum maxima gloria conſecutus es.* Sed qui totius provinciæ ſacra curabant, habiti ſunt inter maxime honoratos; unde Νεωκόροι κράτιστοι, vel Ζακόροι κράτιστοι dicuntur in lapidibus. v. Reineſ. cl. I. n. 290. Auguſtinus epiſt. 5. ad Marcellinum: *Sacerdos provinciæ pro magno fuit, ut munera ederet, venatoreſque veſtiret.* Aureas coronas capite geſtabant, auctore Tertulliano de idolol. cap. 18. *Quo more nunc prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, vel coronæ aureæ ſacerdotum provincialium.* In ſolatium expenſarum, in ludos faciendarum, multa etiam privilegia iis data, *l. 22. C. Th. de tiron.* quæ Symmachus *Sacerdotii privilegia* vocat

vocat lib. IV. epiſt. 62. lib. X. ep. 54. & Jac. Gothofredus latius explicavit ad *l.* 57. *C. Th. de decur.* in qua plenam iis immunitatem confirmat Valentinianus ſenior, *ut habeantur immunes, otio fruituri, quod continui laboris teſtimonio promerentur.* Præter hos immunes quoque fuiſſe Sacerdotes quoſdam municipales minores, argumentum præbet tabula marmorea, apud Gruter. pag. 484. n. 6. in qua de Veratio Severiano: QVI. CVM. PRIVILEGIO. SACERDOTI. CAENINENSIS. MVNITOS. POTVISSET. AB. HONORIB. ET. MVNERIB. FACILE. EXCVSARI. PRAEPOSITO. AMORE. PATRIAE. ET. HONOREM. AEDILITAT. LAVDABILITER. ADMINISTRAVIT. &c. Meminerunt ejuſdem ſacerdotii aliæ duæ inſcriptiones, apud Gruter. pag. 385. 1. & 436. 5. at quale id fuerit incertum eſt. Fabrettus pag. 217. Inſcript. fuiſſe exiſtimat Herculanorum, ſive Herculis cultorum, de quibus apud Gruter. 7. pag. 315. LOCVS. SEPVLTVRAE. CVLTORVM. HERCVLIS. Nobis ſufficit apparere, ſacerdotes Cæninenſes volentes quidem ad Ædilitatem eſſe admiſſos, invitos vero cogi non potuiſſe: nam, ut belle ait Seneca: *quicquid honoris nomine datur in utramque partem licet: alioquin deſinit be-*

beneficium eſſe, cui neceſſitas injungitur. Præter cultores Herculis, num alii etiam ſacerdotes ab Ædilitate fuerint liberati, non ſatis liquet. Cum his autem in *l.* 46. *C. Th. de curſu publ.* componitur ſocietas & conſortium Laurentum, Lavinii ſcilicet, ubi ſacerdotium ſolenne erat. Inde Sacerdos LAVR. LAVIN. apud Gruter. 10. pag. 43. & Pontifex LAVR. LAVIN. in 3. pag. 1029. Celebrati etiam ſunt in veterum monumentis Sacerdotes Lanuvini, Junonis Soſpitæ vel Siſpitæ cultores; quos inter fuit M. AMIVS. BALBVS. SACERDOS. IVNONIS. REG. SISPITAE. LANVMVIANAE. apud Reineſ. cl. 5 n. 47. Et hi, pariter ac Cæninenſes, immunes erant & dicuntur, in elegante marmore apud Fabrettum cap. 6. Inſcr. n. 61.

C. SALLIO. C. F.
QUI. PROCVLO.
SACERDOTI. LANVVI
NORVM. IMMVNI. PON.
TIFICI. PATRONO. CIVI
TATIS. AMITERNINORVM

§. II. Sacerdotes Ædilitiis curis liberatos excipient Veterani milites & Advocati, qui hoc beneficio conſtitutione quadam ornati ſunt; cujus auctor quidem incertus, at ſententia ex libro 54. Βασιλικῶν tit. 7. his verbis, ſub titulo Codicis *quib. muner. excuſ.* ex-

expreſſa eſt: Οἱ πληρώσαντες στρατείαν ἢ συνηγορίαν πρὸς τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῖς προνομίοις μήτε σιτωνίαν, ἢ ἐλαιωνίαν, ἢ ἐποψίαν ἔργων, ἢ λογοθεσίαν, ἢ ἐκδικίαν, ἢ πατερίαν, ἢ λογιστίαν, ἢ ΑΓΟΡΑΝΟΜΙΆΝ ποιείτωσαν. *Qui militiam vel advocationem impleverunt, præter ea privilegia quæ jam adepti ſunt, nec frumenti aut olei comparandi curam, vel inſpectionem operum, vel ratiocinium, vel defenſionem civitatis, vel patris munus, vel curationem Reip. vel ÆDILITATEM exerceant.* Milites equidem in multis æquo cum privatis jure agunt, ſed plures tamen iis competunt prærogativæ, quo labores & pericula in expeditionibus alacrius ſubirent, ac militaturorum devotio provocaretur. Majora adhæc conceſſa ſunt *veteranis*, qui, expleto ſtipendiorum numero, glorioſis vulneribus debiles miſſionem meruiſſent. Severus Auguſtus a muneribus, quæ non patrimoniis indicuntur, eos excuſatos voluit, in *l. 7. D. de vac. & excuſ. mun.* & Conſtantinus M. ab omnibus tributis, annonis, vectigalibus, operibus publicis, etiam muneribus perſonalibus eosdem immunes pronunciavit, in *l. 1. C. de veteran.* dein curiali conditione eos exemit, in *l. 13. C. Th. de decurion.* idque variis conſtitutionibus Imperatores ſequentes confirmavere. Hoc amplius autem noſtra conſtitutione ab Ædilitatis oneribus vindican-

 tur,

tur, ut emeriti laboris teſtimonio muniti, poſt bellicos ſudores, otio & quiete perenniter fruerentur: nam alias ut Javolenus ſcribit in *l.* 12. *D. de muner. Cui muneris publici vacatio datur, non remittitur ei, ne magiſtratus fiat: quia id ad honorem magis, quam ad munera pertinet.* Veteranis in conſtitutione noſtra adjunguntur *qui advocationem impleverunt*, armatæ quadam & inermis militiæ comparatione: quandoquidem & cauſſarum patroni in foro militare creduntur; quum ambigua actionum fata dirimunt, lapſa erigunt, fatigata reparant, & glorioſæ vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam & poſteros defendunt, ut ſcribunt Impp. in *l.* 14. *C. de advocat. diverſ. jud.* Unde peculium quaſi caſtrenſe, eadem fere forma, qua milites caſtrenſe, ſibi proprium habent, & Valerius Ciceroni tribuit militiam forenſem lib. 8. cap. 5. n. 5. ſicut ipſe JCtis, pro Muræn. cap. 9. etiam Caſſiodorus Capuanum Advocatum exercitum, ait, militia literarum, lib. 5. Var. 21. Horum militia alias *togata*, *urbana*, *literata* & *palatina* vocatur. Ovidius *fora Marte ſuo litigioſa*, *Martem forenſem*, *arma fori*, & *garrula fora bella* dixit, obſervante Cl. Burmanno ad lib. III. Triſt. eleg. 12. vſ. 18. & Lucanus Paneg. ad Piſon. vſ. 27.

li-

- - licet exercere togatæ
Munera militiæ, licet &, ſine ſanguinis hauſtu,
Mitia legitimo ſub judice bella movere

Magna antem fuerunt Advocatorum præmia & honores: remiſſæ iis provinciales functiones *l.* 3. *C. d. advocat.* & peregrinationis onus *l.* 56. *C. de decur.* iiſdem quoque dignitates & honores expletis annis conferebantur: unde Valentinianus Nov. 34. advocationem appellat *ſeminarium dignitatum:* Sidonius lib. I. epiſt. II. Advocatorum honores tunc incipere, ait, cum finiuntur actiones; & Ennodius lib. v. ep. 2. *Nota proximitate ſociantur Cauſidicus & Senator: his qui bene toga uſi fuerint, reſeratis ſuſceptura finibus palmata blanditur.* Ait, qui bene toga uſi fuerint: non enim omnibus Magiſtratus delati, ſed his demum qui, quod profitebantur, fuerant juſtitiæ ſacerdotes; non rabulis, ſanctiſſimam juris artem turpiter profanantibus; nec illis, qui omnem literarum elegantiam peroſi, ruſtici, invenuſti, hircoſi, certe indigni ullo publico favore, furcillis e republica erant ejiciendi; quod miſeros clientes pecunia emungunt, & nil proficiunt, niſi fraus, mendacium, temeritas, vociferatio, conflictatio aliaque innumera eos comitentur, ut ſcribit Lucianus in Piſcatore.

Adde

Adde quæ de cauſſidicina & variis Advocatorum generibus ſcribit Ammianus Marcellinus lib. XXX. cap. 4. digna ſane, quæ noſtris etiam temporibus legantur. Quemadmodum vero militia ſagata curia non liberabat, ſic nec togatæ tantus erat favor, ut Advocatos civilibus patriæ muneribus exoneraret: quin potius in civitatibus propriis curiales functiones ſubire jubentur, in *l.* 2. *C. de Advocat. diverſ.* & Theodoſius M. tribus conſtitutionibus eos ad obſequia curiarum adſtringit, *l.* 87. 98. *&* 116. *C. Th. de decur.* Hac vero novella lege a curiis & Ædilitate immunitas illis conceditur, qui cauſſis orandis diu & fideliter operam dediſſent, addita ſanctione: *Qui hanc conſtitutionem violarit, aut violari permiſerit, 50. librarum auri multam ſuſtineto.*

§. III. Venimus ad Philoſophos, Rhetoras, Grammaticos & Medicos, quibus principes, ſtudiorum promotores, prono pietatis affectu, vacationem Ædilitatis indulſerunt. Auctor mihi locuples eſt Modeſtinus, in fragmento librorum de excuſationibus, *l.* 6. §. 8. *D. de excuſat.* ubi hæc ejus leguntur verba: Ὁμοίως δὲ τούτοις ἅπασιν ὁ θειότατος πατήρ μου παρελθὼν εὐθὺς ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, διατάγματι τὰς ὑπαρχούσας τιμὰς, καὶ ἀτελείας ἠβεβαίωσε, γράψας, φιλοσόφους, ῥήτορας, γραμματικοὺς, ἰατροὺς, ἀτελεῖς εἶναι γυμνασιαρχιῶν, ἀγορανομιῶν, ἱερωσυ-

νῶν

νῶν, ἐπισαθμιῶν, σιτωνίας, ἐλαιωνίας. Græce ſcribentem nemo mirabitur Modeſtinum noſtrum, qui novit primam & ſummam apud Romanos Græcarum litterarum curam fuiſſe, ut nobis Latinarum, unde pueros in ſcholis ab Homero auſpicari, ſcribit Plinius lib. II. epiſt. 14. & Cicero ad Præturam uſque Græce declamavit, auctore Suetonio de claris Rhet. cap. 1. Jurisconſultos quoque ejus linguæ ſtudioſos fuiſſe, cum hellenismi iis familiares docent, apud Ant. Auguſtin. lib. II. Emend. cap. 1. & Scipion. Gentil. lib 1. Parerg. cap. 6. tum inſcriptiones librorum Græcæ, Ὅρων, Pithanῶn, Enchiridii id oſtendunt; & Papinianus de officiis Ædilium librum ſingularem Græce conſcripſit, quod ſupra vidimus. Inprimis vero Herennius eam linguam adamaſſe videtur, quod ſuo de cautionibus libello Latine ſcripto Græcum titulum, περὶ εὑρηματικῶν præfecit, de quo plura Ampl. Brenkmann. de Euremat. cap. 1. n. 9. Helleniſmum ejus in *l. 26. D. de pign.* oſtendit Auguſtinus dicto loco: alium in *l. 20. D. qui & a quib. man.* Petrus Faber. lib. II. Semeſtr cap. 21. alium in *l. 15. D. de probat.* Merillius lib. III. Obſ. cap. 33. obſervavit. Nec multis opus eſt, ſi conſideremus, Modeſtinum Alexandro Severo a conſiliis, & Maximini junioris præcepto-

ceptorem fuiſſe; quorum neuter in Latinis multum profecerat, teſte Capitolino, & Lampridio in Severo cap. 3. ubi hæc leguntur: *Sed in Latinis non multum profecit, ut ex ejuſdem orationibus apparet, quas in Senatu habuit, vel in concionibus, quas apud milites, vel apud populum: nec valde amavit Latinam facundiam.* Ad ejus ergo mores ſeſe attemperans Modeſtinus libros excuſationum, & forte alia, Grajo ſermone compoſuit. Unde mirari ſatis non poſſum incuriam, an ſuperſtitionem noſtrorum, qui per omnes fere Pandectarum editiones, omiſſo textu authentico, verſionem ineptam & barbaram propagarunt; licet præſto eſſet accurata tranſlatio Ant. Auguſtini, Hiſpanorum doctiſſimi & Tarraconenſis Archiepiſcopi, in libro ſingulari ad hos Modeſtini libros edito, qui emendationum libris ſubjectus eſt. Jam olim de vetere illa conqueſtus eſt Guilielmus Budæus, in annotat. ad *l.* 1. *D.* de contrah. emt. *Niſi inficias ibimus*, inquit, *totum pæne titulum de excuſationibus a juris auctoribus Græce ſcriptum fuiſſe, ſicque a Triboniano relictum: quod ipſum facile eſt cernere ex genere ſtili, qui ſordidus & obſcurus videtur cum ſtilo Juriſconſultorum compoſitus, nec ex Græco traductus, ſed extortus utriuſque linguæ ignorantia, quomodo*

&

& in multis aliis locis Pandectarum. Franciſcus quoque Balduinus ad tit. Inſtit. de excuſat. & Ferandus Adduenſis lib. I. Explicat ad *l.* 1. *D: de excuſ.* tom. 2. Theſ. jur. civ. pag. 536. monuerunt, meliore Auguſtini tranſlatione reperta, impuras lacunas contemnendas eſſe. Quid enim de vulgata ſperare liceat, vel ex ipſo ejus auctore apparet: *ſive Bulgarus, ſive quiſquis is fuit*, ait Alciat lib. 11. Parerg. cap. 29. *Bulgari, ſive cujus alius* barbaram interpretationem vocat Auguſtinus, ad Modeſtin. Fuit autem is Burgundus, vel Burgundio, Juriſconſultus Piſanus, qui floruit circa annum Chriſti 1160. ſi Odofredum ſequimur, ad *l.* 11. *D. de legib.* vel Bulgarus, Irnerii diſcipulus; ut vulgatior opinio fert Accurſii, ad *l.* 26. *D. de mil. teſt.* & *l. f. D. fin. reg.* nec non Alciati & Covarruvias. Vide Panciról. de claris leg. interpr. lib. II. cap. 15. Pignorium Symbol. Epiſt. epiſt. 39. & Joſeph. Suareſium in not. Baſilic. Prior autem ſententia majore fide niti videtur: nam & Guido Grandus, in Piſana Academia Matheſeos Profeſſor, in Epiſt. de Pandectis, ad Joſ. Averanium pag. 26. Johanni Burgundioni, JCto celeberrimo, verſionem acceptam fert; eidem, qui A. MCLI. homilias Chryſoſtomi in Matthæum, & Joh. Damaſceni libros ex Græco

Græco convertit. Uter autem eorum fuerit, Græce non admodum, ut ætas illa ferebat, fuit peritus, & pleraque ſecus interpretatus eſt: id quod locorum aliquot recenſione oſtendit Menagius amœnit. cap. 33. & vel hoc unicum capitulum manifeſtum reddet. Ait Modeſtinus Philoſophos, Rhetoras, Grammaticos immunes eſſe ἀγορανομιῶν *Ædilitatis:* id autem apud Interpretem noſtrum quæſieris fruſtra, qui quod non intelligebat tacitus prætermiſit. En tibi ejus verba: *Conſimiliter autem his omnibus Divus pater meus, mox ingrediens principatum, conſtitutione exiſtentes honores & immunitates firmavit, ſcribens: Philoſophos, Rhetores, Grammaticos, Medicos immunes eſſe gymnaſiis, ſacerdotii, ſtantes & neque ad frumenti, & vini, & olei emtiones &c. cogi.* Rectius longe Auguſtinus convertit: *immunes eſſe præfecturis gymnaſiorum, Ædilitiis curis, ſacerdotiis, hoſpitum receptione;* Ferandus Adduenſis dict. lib. 1. ἐπισταθμίαν potius de eorum munere, qui in comitatu Principis, vel legationis, vel exercitus, hoſpitibus recipiendis præſunt, intelligit. Denique Jacobus Gothofredus ad l. 3. C. Th. de Med. & Profeſſ. *immunes eſſe a munere gymnaſiarchiæ, Ædilitatis, ſacerdotii, metati* vertit, & ſimul ridet virum doctum (eſt is Samuel Petitus

lib.

lib. IV. Miſcell. cap. 1) quod verba interpretis Latina a Modeſtino profecta eſſe credens, Cujacium vellicavit, quaſi longius abierit a veſtigiis veteris lectionis, dum vocem *ſtantes* ἐπισταθμιῶν interpretatur: ipſe autem mavult *ſtati* reſcribi debere. Sed vox Græca ipſius Modeſtini eſt, & hoſpitum moleſtiam ſignificat. Heſychius ἐπιστάθμια, ὑποδοχὴ ξένων Cicero lib. XII. ad Att. 50. *habet hoſpitium, ſive* ἐπισταθμίαν. Ab hac etiam artium profeſſores immunes facit Chariſius in *l.* 18. *§. f. D. de muner.* Paulus in *l.* 10 *§.* 2. *D. de vacat.* Honorius in *l. ult. C. de profeſſ.* & Harmenopulus *lib. II. promt. tit.* 5. Præter ſacerdotes igitur & milites veteranos, qua armatos, qua forenſes, in hac Modeſtini lege ab Ædilitate municipali excuſantur quarundam artium liberalium profeſſores; neque ex his promiſcue omnes, ſed qui ob morum & facundiæ excellentiam decreto ordinis eſſent probati, & intra ſtatutum numerum relati: qui frequentes & utiles diſcentibus ſeſe præbebant: quique ex ſuis in patria ſcholis, velut ex urbe fecunda, multos ac præclaros emittebant colonos: hæc enim requiruntur in dicta *l. 6. §. 4. &* 9. *D. de excuſat.* Nunc de ſingulis ſingillatim.

§. IV. Primum Philoſophiæ Doctoribus vacationem pollicetur Antoninus hoc

loco; ac meretur ſane divinæ ejus artis excellentia omnem immunitatem, quæ animos hominum manſuefacit, atque in ſolido virtutis munimento confirmat: unde *res religioſà* Ulpiano: *ars & lex vitæ* Senecæ: *& maximum munus, quod humano generi a diis datum eſt*, Ciceroni vocatur. Lautis etiam ſtipendiis & honoribus ejus profeſſores, & apud Græcos & Romanos, conducebantur, quo erudiendæ inventuti magis vacarent. Lucianus in Jove Tragico: *Stoicam*, inquit, *doctrinam exquiſite callet, quo fit, ut ad docendam Philoſophiam cum juvenibus converſetur, nec mercedem exiguam inde colligat.* Theodoſius Imp. apud Symmachum lib. 10. de Celſo quodam Philoſopho: *Magiſterium bonarum artium pollicetur, nullum quæſtum profeſſionis affectans. atque ideo dignus in ampliſſimum ordinem cooptari, ut animum vitiis avaritiæ liberum dignitatis præmio remuneremur. Sunt hujus rei exempla nobilia, quæ prudens æmulatur imitatio. Nam & Carneadem Cyrenæum, & Pœnum Clitomachum Athenienſis curia ſocietate dignata eſt: itidem ut noſtri Zaleucum legum Locrenſium conditorem civitate donarunt.* Hoc primum quidem vere Philoſophos profiteri oportet, mercenariam operam ſpernere, ait Ulpianus in *l.* 1. *§.* 4. *D. de extr. cogn.* ſed

verum id ad vitandam avaritiam pertinet, *l. 6. C. de mun. patrim.* quæ autem vitæ uſus expoſcit illis neutiquam negligenda videntur: nam & Socrati collatum eſt ad victum, & nemo ſapientiam paupertate damnavit. Quanquam autem tot Philoſophorum eſſent ſectæ, ut Varro ducentas octoginta octo numerarit, auctore Auguſtino, quatuor tamen inprimis hiſce temporibus ſuos in urbibus doctores habebant: Stoïca, Platonica, Epicurea & Peripatetica, ut docet Lucianus in Eunucho. Unde Petitus d. lib. IV. cap. 1. Grotius in flor. ſparſis ad tit. de excuſat. Gronovius lib. IV. de pec. vet. cap. 11. & Wiſſenbachius diſp. ad D. 52. th. 9. exiſtimarunt, has diſciplinas ab Antonino electas eſſe, ex quibus Philoſophi probarentur, quia Modeſtinus in *dict. cap. 6 §. 2.* ait: αἱρέσεις τινὲς προσκείμεναι τῷ νόμῳ, *hæreſes quædam propoſitæ lege.* Quorum ſententia ex eo confirmari videtur, quod ſectæ Philoſophorum αἱρέσεις dictæ, quia ex arbitrio propria ſibi dogmata deligebant; atque ita in Ciri Virgilii *quatuor antiquis hæreſibus* de quatuor ſectis accipi debet. At cultiſſimi vir ingenii & ſummæ eruditionis Cujacius ad h. l. & lib. VI. Obſ. cap. 6. ea verba melius tranſtulit: *conditiones quædam propoſitæ lege*, nimirum tres illæ, quas jam antea attulimus: ſimi-

liter enim Euſebius lib x. Hiſt. Eccl. cap. 5. in literis Licinii, apud Lactant. de mort. perſ. cap. 48. *amotis conditionibus* vertit τῆ αἱρέσεων. ſic etiam Juſtinianus in præfat. ad Novellas μικρὸν ȣ̓δεν αἱρȣμένοις ἐννοεῖν; Baſilica in lib. 44. tit. 19. 30. ſeq. & Theophilus, ad tit. de his qui ſui vel alieni juris, καλῇ αἱρέσει, *bonis conditionibus* vendere dixit. Accedit, quod Modeſtinus hoc loco & in præcedentibus, non de Philoſophis, ſed de Rhetoribus & reliquis loquitur, quos inter ſectæ etiam erant, licet non ita famoſæ. De Rhetorum familiis teſtatur Quintilianus lib. III. Inſtit. cap. 1. de Medicorum ſectis, Seneca epiſt. 95. & Grammaticorum alii erant Homerici, alii Ariſtarchæi, alii Ariſtophanæi: quis autem putet Antoninum hos inter ſectarum diſcrimen facere voluiſſe? Quemadmodum vero nullæ Philoſophorum ſectæ erant definitæ; ſic etiam nullus eorum in municipiis numerus erat conſtitutus, *quia rari ſunt qui philoſophantur*, inquit Modeſtinus in §. 7. Multi etenim pſeudophiloſophi ementito barbæ palliique habitu vagabantur, lucra tantum captantes & patriæ functiones declinantes; homines, ut ajebat Pacuvius, ignava opera, ſed philoſopha ſententia, quibus nulla prærogativa immunitatis data eſt; ſed iis tantum, qui a probatiſſimis ejuſdem profeſſionis

erant

erant adprobati, ut ait Valentinianus in *l.* 8. *C. de Prof.* Hi quippe ſapientiæ deditì ad hominum utilitatem prudentiam ſuam conferebant, &, ſi divitiis abundabant, ſponte ſua univerſam ſubſtantiam in remp. erant erogaturi: ſin vero inopes ac nudi (ut bonæ mentis ſoror paupertas eſſe ſolet) a civilibus muneribus, & cum maxime ab Ædilitate immunes erant declarandi. Omnem hanc de Philoſophorum immunitate inſtitutam diſputationem pulchre illuſtrant quæ de Favorino Philoſopho tradit Dio Caſſius lib. 69. & clarius Philoſtratus de vitis Sophiſt. lib. 1. num. 8. cujus verba, ex Cl. Olearii verſione, adſcribere non piget: *Cum Pontifex porro religionibus patriis renunciatus eſſet, juxta leges his de rebus latas provocavit, ut qui immunitate gauderet, quoniam philoſophiam profiteretur. Videns igitur Imperatorem id animo agere, ut ſententiam contra ſe ferret, perinde ac ſi philoſophus haut eſſet, eum prævertit.* Minus recte igitur Merillius lib. 1. var. ex Cuj. cap. 51. exiſtimavit, Philoſophos munerum tantum perſonalium, corporalium, & eorum, quæ extra ordinem indicebantur, vacationem habuiſſe, atque adeo legitime Favorinum patriæ ſacerdotem renunciatum fuiſſe: id quod hæc Philoſtrati verba, & vox ἱερωσυ-

νῶν apud Modeſtinum ſatis refellit.

§. V. Philoſophos ab Ædilitate immunes excipiunt Rhetores, qui eodem favore proſequendi erant, propter aſſiduam curam & diligentiam, quam juventuti oratoriis artibus imbuendæ impendebant: eam enim rationem immunitatis in commune profert Paulus, apud Modeſtinum in *d. l.* 6. §. 5. & Conſtantinus: *quo facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant*, in *l.* 3. *C. Th. de Med. & Prof.* Oratores vero elegantiæ floſculos pueris adhuc naſcentibus tradebant, quævis præclare dicta per apologos & figuras aliter atque aliter illuſtrabant, ac quicquid Græca, quicquid Romana facundia habebat, per ſcholaſticas controverſias exponebant; quamobrem Profeſſoris nomen eis tributum eſt. Quintilianus lib. X. cap 5. Porcium Latronem rhetorem *primum clari nominis Profeſſorem* vocat, & Suetonius de clar. Rhet. cap. 1. *magna*, inquit, *Profeſſorum & Doctorum profluxit copia.* Tanta etiam, perſpecta utilitate, hujus doctrinæ aviditas injecta eſt, ut ea princeps paullatim ſtudium, apud municipales pariter ac Romanos, evaſerit. Dionyſium Rhetorem magnis honoribus affectum eſſe a civitatibus, quotquot ob eruditionem eum colebant, ſcribit Philoſtratus lib. 1.

de

de vitis Sophiſt. n. 22. Adde præmia & emolumenta, quibus invitabantur, pro cathedræ & facundiæ qualitate, nunc majora, nunc minora. Veſpaſianus annua centena Rhetoribus Romanis e fiſco conſtituit; Athenis poſtea μυρίας δραχμάς ſtipendii loco accepit Theodotus: Damianus Ariſtidem & Adrianum audivit ἐπὶ μυρίαις, decem millium drachmarum ſalario, auctore Philoſtrato, in Theodoto, Chreſto, Proclo & Damiano: atque ita apud Lucianum in Eun. alioſque Antoninorum temporum ſcriptores, μυρίαι ἐκ βασιλέως pro ſalario, quod oratoribus & Philoſophis conſtitutum erat, accipi debet. Salmaſius ad Capitolini Pium cap. 11. exiſtimat, breviter ac rotunde μυρίας dici, cum tamen plures extra ordinem darentur, auctore Tatiano rhetore & Eumenio. Μυρίαι autem efficiebant aureos quadringentos, ſive coronatos millenos: ſat amplum quidem, ut nunc vivitur, honorarium, ſed apud Iſocratem Rex Nicocles & Libanius ad Antiochenos eleganti oratione oſtendunt, quantum ſit tribuendum Rhetoribus. Aliter hæc Alciat. lib. V. Parerg. cap. 27. & Reineſ. lib III. var. lect. cap. 6. ſed vid. Joh. Frid. Gronov. dict. lib. IV. de pec. vet. cap. 11. ubi ſimul Caſauboni, Salmaſii & Petiti hac in re errores refellit. Præter publica iſta ſtipendia, a Prin-

a Principe vel a Rep. data, privatim quoque honos Rhetoribus habebatur; ut diſcimus ex nobili Papiniani reſponſo, quod is Nicoſtrato, amico &, quod ex Suida diſcimus, æquali ſuo dedit, quum habitationis, ſibi a diſcipulo Aquilio Regulo, cum illo elogio: *quia me eloquentia & diligentia tua meliorem reddidiſti*, donatæ controverſiam patiebatur; ait enim, non meram donationem eſſe, ſed officium magiſtri mercede quadam remuneratum Regulum, in *l. 27. D. de donat.* ad quam Alciatus lib. II Parerg. c 49. & Cujac. lib. XVII. Obſ cap. 33. videantur His vero præmiis Rhetorum accedebat, quod ab Ædilitate & muneribus civilibus poſſent feriari: cujus rei probandæ gratia, novum adducere lubet argumentum, quod Modeſtini ſententiam non parum illuſtrabit. Ait, numerum Rhetorum definitum eſſe, *epiſtola Antonini Pii, quæ deſcripta quidem eſt Communi Aſiæ, univerſo autem orbi convenit*, *d. l* 6. § 2. ubi Commune Aſiæ eſt illa Aſianorum univerſitas, quæ ab uno Proconſule regebatur, ſicut *commune Meliadum* & *commune Siciliæ* Cicero dixit Verr. III. c. 38. & IV. c. 59. Ad eandem vero epiſtolam in eadem re, provocant Septimius Severus & Antoninus Caracalla Auguſti, in inſcriptione Græca, ſive epiſtola ad Smyrnenſes, quam Ge-

Georgius Wehlerus Itin lib. 3. pag. 232. & deinde, in appendice ad marmora Oxonienſia, Humphridus Prideaux vulgavit, & hiſce verbis Latio donavit: *Diviniſſimi Imperatores Severus & Antoninus Smyrnenſibus. Si Claudius Rufinus, civis veſter, qui ob ſtudium, quod ei ineſt erga eruditionem & vitam in dicendo aſſiduam, illa, quæ ſecundum divinas progenitorum noſtrorum conſtitutiones Sophiſtis promulgata eſt, vacatione a publicis officiis fruitur, ob amorem erga patriam, vobiſmet ipſis ſponte ex neceſſitate v cantibus, præfecturam ſubeat; ei igitur in aliis ceſſationem a rebus agendis inturbatam manere juſtiſſimum eſt. Indignum enim eſt hominis erga vos ſtudium ei fieri in damnum, præſertim cum vos pro eo petiiſtis hanc gratiam! Valete.* Pluſcula hæc adſcripſi, ut appareret, quam amice veterum monumenta cum pretioſis Juriſconſultorum fragmentis conſpirent, quorum amore qui non capitur, eum ſane dicam

Vervecum in patria craſſoque ſub aëre natum.

Ceterum illud hoc loco non ab re erit monuiſſe, Modeſtinum noſtrum in §. 1. hujus capitis Rhetoribus junxiſſe Sophiſtas: σοφιςαὶ, ῥήτορες; ſive ut indicaret, non ſufficere, ut quis artem eloquentiæ calleat, niſi

& ſedula doctrina diſcipulos in ea formet: ſive, quæ Heraldi in obſ. ad jus Att. lib. VII. cap. 25. n. 6. ſententia eſt, Sophiſtas a Rhetoribus ſejungit, ut priore vocabulo generaliter Profeſſores intelligantur. Magis eſt, ut Sophiſtæ Græca voce indicentur, qui Græce, Rhetores vero, qui Latine Rhetorica docebant; quemadmodum *Rhetores Græci & Latini*, apud Sueton in Veſp. cap. 18. *Rhetor & Sophiſta*, Tertullian de pallio cap. ult. *Rhetores utriuſque eruditionis*, ait Gracian. in *l.* 12. *C. de excuſat mun.* & Theodoſius, in *l. un. C. de ſtud. lib. Oratores, quos Romanæ eloquentiæ doctrina commendat, & Sophiſtæ, qui facundia Græcitatis pollere noſcuntur.* Idem vero utroſque *Sophiſtas* vocat, in *l. un. C. de Prof. qui in urbe Conſtant* ſicut Paulus deinde in *§. ſeq.* 5. Modeſtinus in § 8 ejuſdem *legis* 6. & Ulpianus in *l. ult. §. f. D. de mun.* uno vocabulo contenti fuerunt: & recte! Sophiſta enim eſt, *apud quem dicendi exercitium diſcitur*, inquit Marius Victorinus in expoſ. 1. Rhet. Cicer. dictus a σοφίζειν, quod eſt σοφὸν & doctum facere. Unde Philoſophis cum primis ea vox data, qui acute dictis valebant, & ſenſa animi facunde exprimebant. Ita Solonem Herodotus, Chilonem Plutarchus, Pythagoram Tertullianus vocat, & Philoſtratus in

procem.

procœm. de vitis Sophiſt. *Sophiſtas*, inquit, *veteres appellarunt, non eos tantum, qui in rhetoribus excellerent voce, clarique eſſent; ſed ex philoſophis etiam eos, qui flumine orationis in dicendo uterentur.* At vero cum hi pompam & gloriam magis, quam veram ſapientiam ſectarentur, & vanis verborum argutiolis captioſoque ſorite circumfuſis illuderent diſcipulis, in malam ſententiam hæc vox migravit. Cicero II. Quæſt. academ. cap. 23. de Anaxagora: *At quis eſt hic?* inquit, *num ſophiſtes? ſic enim appellabantur, qui oſtentationis aut quæſtus cauſſa philoſophabantur.* Poſt eadem honeſtatem iterum induit, et Rhetoribus Græcis vel Latinis, qui progymnaſmata eloquentiæ docebant, adhæſit, quo in ſignificatu Modeſtinus ea hic utitur; atque Libanius Sophiſta de vita ſua pag. m. 176. ait, ſe immunitatem cum permultis aliis παρὰ τοῦ νόμου impetraſſe. Hæc ad textus noſtri interpretationem ſufficere poterant: nec dum tamen a Sophiſtis divellor. Video enim Ægidium Menagium in annot. ad Diog. Laërtii procœm. multis confirmaſſe, Poëtas etiam apud Græcos Sophiſtas eſſe appellatos, quia morum & virtutis optima præcepta tradebant. Unde quæri poſſet, num & illi hoc loco eo nomine comprehendantur, ut ab Ædilitate eſſent immu-

immunes? Verum quia Juriſconſulti tantum non omnes rei Poëticæ ſtuduerunt, præſertim vero Modeſtinus noſter, ut poliſſima ejus tetraſticha, quæ Virgilii libris Georgicorum ſunt præfixa, teſtantur; vix adducor, ut credam, eum gentem adamatam heic præteriturum fuiſſe, ſi ullis eam privilegiis noviſſet decoratam. Immo tantum ab eo abeſt, ut Sophiſtas per Rhetores explicarit, & ſi ad tempora adimus recentiora, Philippus Imperator acerba conſtitutione ſanxit: *Poëtæ nulla immunitatis prærogativa juvantur*, in *l.* 3. *C. de Profeſſ. & Med.* Cur ita Philippe? *Non quia non merentur, ſunt enim divini ſpiritus, ſed quia lex deficit*, inquit Cujacius. At non modo lex deficit, ſed & in contrarium promulgata eſt hæc conſtitutio. An quia pauci ſemper Poëtæ boni? An quia tot ex aureo Auguſti ſæculo melioris notæ exſtabant Poëtarum ſcripta? An quod Poëta naſcitur, nec doceri ſolet? An denique Philippus Chriſtianorum ſacris auctoratus ex populari perſuaſione verebatur, ne Poëtarum lectione corrumperentur Chriſtiani? Ita quidem oratorie ludit Cl. & conjunctiſſimus Collega noſter Corn. van Eck, in orat. de ſtudio Poëtices conjung. cum ſtudio juris: ſed ratio ſumma eſſe videtur, quod Romani nullam artem præmiis di-

dignam eſſe cenſuerunt, niſi quæ Reip. aliquid commodaret, ut ait Servius ad VI. AEneid. vſ. 660. qua ratione nec hydraulæ immunitate gaviſi, *l. 4. C. de excuſ. mun.* nec venatores *l. 6. C. eod.* quinimo ordinis ambitioſa decreta, id eſt gratioſa improbantur, quibus, præter liberalium artium antiſtites, immunitas talibus dabatur, *l. 1. & 2. C. de decret. decur.* Attamen Poëtæ, qui favente Minerva prodibant, omni honore, privilegiis & immunitatibus in municipiis fruebantur, ut Cicero oſtendit pro Archia Poëta, & Ovidius relegatus ad Tomitas lib. IV. ex Ponto el. 9. de ſe ipſo:

Nec mihi credideris: exſtant decreta, quibus nos
Laudat, & immunes publica cera facit.
Conveniens miſeris, & quanquam gloria non eſt,
Proxima dant nobis oppida munus idem.

§. VI. Tertium inter eos, qui ab Ædilitate excuſantur, locum Antonini epiſtola dat Grammaticis, qui in eadem *l. 6. §. 1.* primum locum tenent, non ratione ordinis & dignitatis, ſed inſtitutionis. Ita vero cenſebat prudens Imperator, non divinæ tantum humanæque ſapientiæ magiſtros, aut qui ſapienter inventa ornatu quodam orationis proferre docerent, immunitate donandos eſſe: ſed eos etiam, qui circa utriuſ-

utriusque linguæ curam occupati, jactis rudimentis, puerorum animos ad virilem ſapientiam præpararent. Socrates quidem inter tria mala referebat Grammaticum, nec Romanis bellicoſis ars illa in honore fuit: poſteriores vero facile videbant, litteras & ſapientiam connubio quaſi dulci inter ſe eſſe devinctas, id quod ſi dirimatur ad ſolidam ſapientiam nunquam perveniri poſſe. Hinc luculentum illud Grammatices elogium apud Quintilian. lib. I. Inſt. Orat. cap. 4. *Quo minus*, inquit, *ſunt ferendi, qui hanc artem, ut tenuem ac jejunam, cavillantur: quæ niſi oratori futuro fundamenta fideliter jecerit, quicquid ſuperſtruxeris, corruet: neceſſaria pueris, jucunda ſenibus, dulcis ſecretorum comes, & quæ vel ſola omni ſtudiorum genere, plus habet operis, quam oſtentationis.* Tria autem Grammaticorum genera Scaliger diſtinxit, lib. IV. epiſt. 451. alii enim erant τεχνικοὶ, qui primas literas docebant: alii ἱϛορικοὶ, qui in fluminum, montium & regionum nominibus occupati erant, & μυθολογούμενα omnemque hiſtoriam rimabantur: alii denique, iique nobiliſſimi, κριτικοὶ, qui tanquam cenſores ſpuria a veris ſeparabant, ambigua recenſebant, et tranſpoſita ſedibus ſuis vindicabant. Nolim vero quis hic loci Grammaticorum nomine intelligat ludi literarii

rarii magiſtros, qui artem legendi et ſcribendi docent; cruſtula ſua pueris dantes, elementa velint ut diſcere prima: hi enim proprie non Grammatici, ſed *Grammatiſtæ* vel *litteratores* nuncupabantur, nullaque immunitate gaudebant. v. Sueton. de illuſtr. Gramm. cap. 4. Lamprid. in Alex. cap. 3. Ulpian. in *l.* 2. §. 8. *D. de vacat.* et ipſum Modeſtin. noſtrum in *l.* 11. §. *fin. D. de mun.* Alibi hi γραμματοδιδάσκαλοι, inviſa pueris capita, negantur eſſe Profeſſores *l.* 1. §. 6. *D. de extr. cogn.* et Auguſtinus a Grammaticis eos diſtinguit lib. 1. Confeſſ. cap. 13. *Adamaveram Latinas literas, non quas primi magiſtri, ſed quas docent, qui Grammatici vocantur.* Alterum ergo et tertium genus hic indicatur; nimirum Grammaticæ & litterarum profeſſores abſolute ſic dicti, critici et cuſtodes utriuſque et Attici et Latini ſermonis, qui vocum origines et proprietates tradebant, Auctores enarrabant, Poëtas et Hiſtoricos interpretabantur, auſpicio ab Homero vel Heſiodo facto. Petronius cap. 48. *Solebam hæc ego puer apud Homerum legere.* Cicero lib. VI. ep. 18. *Jubet Leptam puerum ediſcere Heſiodum.* Hæc autem diſciplina, quia multam lectionem et animum nullis civilibus functionibus impeditum requirit, merito

ejus

ejus profeſſores ab AEdilitate immunes erant pronuntiandi; immo ne volentes quidem ad eam admittendi, ſiquidem *quicunque ſe doctor magiſtratibus addicit, hic ſe ipſum a laboribus, quibus in ſtudiis opus eſt, avertit*, infit Libanius Orat. 5. ad Aſſeſſ. pag. 156. Hinc ordo Comenſis Grammaticum Latinum, P. Atilium Septicianum, cum univerſam ſubſtantiam ſuam ad remp. pertinere voluiſſet, non decurionem fecit, ſed ei *ornamenta decurionalia* decrevit, apud Gruter. 5 pag 367. hoc eſt, ut, remiſſis decurionum oneribus, honoribus & *commodis publicis, ac ſi decurio, frueretur*, ut eſt in 3. apud eund. pag. 495. Et paſſim honorabantur Grammatici a civitatibus. Seneca ep. 88. *Appion Grammaticus, qui ſub C. Cæſare tota circulatus eſt Græcia, & in nomen Homeri ab omnibus civitatibus adoptatus*. Ulpianus eos inter profeſſores artium liberalium ponit, in *l.* 1. *pr. D. de vac. & excuſ.* Alfenus autem Varus Grammaticæ ſtudium artificium appellat, in *l.* 71. *D. pro ſocio Duo*, inquit, *ſocietatem coierunt, ut Grammatica docerent, & quod ex eo artificio quæſtus feciſſent, commune eorum eſſet*: nimirum, quod recte obſervavit Scipio Gentilis lib. 1. parerg. cap. 1. propter uberrimos quæſtus & mercedes, quibus ad docendum Romæ con-

conducti, qui diſciplina et auctoritate ſcholas tuebantur. Eoque pertinet, quod de mercedibus Paulus et Julianus ſcribunt, quas pro facultate patrimonii et pro dignitate natalium, pupilli tutor præceptoribus conſtituere debet. Plane L. Appulejus ab Eſicio Calvino quadringenis annuis conductus; totidem Remmius Palæmon ex ſchola accepit. Verrius Flaccus centena ſeſtertia in annum meruit, & Marcus Antonius Gnipho nunquam de mercede pactus, eoque plura ex liberalitate eſt conſecutus: de quibus Suetonii libellum adi de illuſtr. Gramm. Adde Claviſii Sabini ſervos Grammaticos, quorum alter Homerum, alter Heſiodum tenuit, ſed ſinguli centenis millibus emti, apud Senecam epiſt. 27. De Lutatio Daphni Plinii verba adſcribam ex lib. VII. Hiſt. cap. 39. *Pretium hominis in ſervitio geniti maximum ad hanc diem (quod equidem compererim) fuit Grammaticæ artis Daphni, Gnatio Piſaurenſe vendente, & M. Scauro principe civitatis H. S. Dec. licente.* Hæc in tranſitu eo lubentius adjeci, ut pareat, quam vere ſcripſerit Ulpianus, ſervos diſciplinis & arte inſtitutos eſſe, in *l.* 27. *§.* 2. *D. de uſufr.*

§. VII. Poſtremo denique loco Medici ab oneribus Ædilitatis liberantur; quia artem exercent hominibus maxime ſalutarem,

peſtiferos morbos depellunt & naturæ infirmitati medentur: quamobrem *ſalutaris ac neceſſariæ artis profeſſores* dicuntur, in *l.* 14. *C. Th. de Med. & Prof.* & Ulpianus in *l.* 1. *§.* 1. *D. de vacat. Medicorum quoque eadem cauſſa eſt, quæ profeſſorum, niſi quod juſtior; cum hi ſalutis hominum, illi ſtudiorum curam agant.* Primos utique in tanta veneratione habuit antiquitas, ut eos, tanquam non hominibus, ſed Deo natos, per ἀποθέωσιν Deorum numero insereret. Viri quoque principes inter amicos eos habuerunt, atque immani mercede honorarunt. vid. Cicero lib. XIII. epiſt. 20. Tacitus Ann. XV. cap. 64. & Plinius lib. XXIX. cap. 1. cujus verba ibidem ſunt iſta: *Multos prætereo medicos, celeberimoſque ex iis Caſſios, Calpetanos, Arruntios, Albutios, Rubrios. Ducena quingenta H. S. annua mercede iis fuere apud principes.* In civitatibus ſalaria ipſis ſunt conſtituta, auctore Strabone lib. IV. pag. 181. *Privatim & publice à civitatibus, ut Medici, ita etiam Sophiſtæ conducuntur:* unde lucem mutuatur Scævola in *l.* 16. *§.* 1. *D. de alim. leg.* & Ulpianus in *l.* 4. *§.* 2. *D. de decret. ab ord. fac.* Immunitates etiam a civilibus muneribus ipſis indultas, præter Modeſtinum noſtrum, pulchre confirmat Lucianus in Abdicato; *Immunis eſt ars ipſa,*

quan-

quandoquidem etiam civitates publicitus honores, præeminentias, immunitates, privilegia Medicis tribuunt. Non omnes autem promiſcue Medici ea immunitate ſunt honorati; ſed qui intra ſtatutum numerum, decreto ordinis & poſſeſſorum cujuſque civitatis eſſent probati: hi enim de probitate morum & peritia artis certi, ſibi eligebant, quibus ſe liberoſque ſuos in ægritudine corporum committerent, *l.* 1. *D. de decret. ab. ord.* & *l.* 5. *C de Prof. & Med.* Alibi quidem Ulpianus dubius ſcribit, Medicos fortaſſis accipi poſſe eos, qui alicujus partis corporis vel certi doloris ſanitatem pollicentur, in *l* 1. *§.* 3. *D. de extr. cognit.* quales erant Medici auricularii, dentales, calcularii, & ocularii, qui ſe ophtalmicos quoque appellabant, teſte Galeno lib. 10. de uſu part. Celſus *Evelpidis ocularii* meminit, & tales fuere MEDICI AB. OCUL. apud Grut. pag. 580. n. 2. & 635. n. 2. CLODIUS NIGER. MEDICUS. OCVLARIVS, apud Reineſ. cl. XI. n. 8. ut & C. Venulejus C. L. OCULARIARIUS DE VICO CORNELI, apud Gudium pag. 224. n. 10. Hic loci autem requiruntur ἰατροὶ, qui omnium morborum remedia cognoverant: qualis ille Claudius Agathemerus, Medicus Lacedæmonius, *omnigeni qui cognoverat præſentiſſimum remedium morbi,*

bi, in marmor. Oxonienſ. tales etiam fuerunt, qui in claris urbibus *archiatri* dicti; non ſoli vero hi, qui in comitatu Principis operam ejus valetudini dabant, uti Cujac. exiſtimavit ad *l. 6. C. de Prof. & Med.* cujus interpretationem, ut rectam, Joh. Marius Mattius lib. I. Opin. cap. 1. & Mercurialis lib. IV. var. c. 1. defenderunt. Aſt in lapidibus apud Fabrett. cap. 4. Inſcript. IMP. DOMITIANI MEDICUS, & LIVIAE MEDICUS memorantur. Poſt Conſtantini vero M. tempora Archiatrorum S. Palatii ſchola inſtituta fuit, cui præerat *Comes archiatrorum*, præſul iſtorum, quibus vitam ſuam Princeps credebat. vid. Reineſ. var. lect. lib. III. cap. 11. & Jac. Gothofred. ad *l. 4. C. Th. de Med. & Prof.* Nondum vero ad immunitatem obtinendam ſatis fuit, omnium morborum remedia cognoviſſe; quia Modeſtinus addit: ἰατροὶ οἱ περιοδευταὶ καλούμενοι, in *d. l. 6. §. 1.* cujus ſententiam non aſſecuti ſunt Baſilικῶν auctores lib. 38. tit. 1. hæc reddentes: ἰατροὶ καὶ οἱ περιοδευταὶ: divellunt enim quæ erant conjungenda; cum non alii Medicorum filii, præter Medicinæ Profeſſores, habeantur immunes, quam περιοδευταὶ, reliqui τοῦ πολλοῦ δήμου in ſuſcipiendis muneribus cenſeantur. Videamus ergo quinam ſint iſti; varie enim hanc vocem converterunt eruditi;

aliis

aliis *circuitorem*, aliis *circumforaneum*; aliis *circitorem* præferentibus: quibus ſavere videntur Excerpta e vet. Gloſſ. tit. de Medicina: *circitura* περιοδία, & Græco Lat. περιοδευτὴς *circitor*; ſed nos in verbis faciles de re ipſa diſpiciemus. Atque illud quidem unuſquiſque ultro mihi largietur, hic non intelligi infames agyrtas & nugatores, qui per fora curſitantes fumos in circulis vendebant: hi enim odio potius digni, quam favore, nullis privilegiis fruebantur. Loquitur de his Seneca lib. VI. de benef. cap. 11. & Paul in *l. ult. D. de extraord. crim. Circulatores, qui ſerpentes circumferunt, & proponunt*, cui præter alios, in Tutela viar. publ. part. III. cap. 3. nuper congeſtos, lucem dabit Celſus lib. V. de medicina cap 27. *Colubra ipſa tuto eſtur, ictus ejus occidit, & ſi ſtupente ea (quod per quædam medicamenta circulatores faciunt) in os digitum quis indidit, neque percuſſus eſt, nulla in ea ſaliva noxia eſt.* Fuerunt autem præter hos circumforanei medendi periti, qui per urbes medicinæ faciendæ cauſſa diſcurrebant, quo pluribus opitularentur. Atque his gloria ſua ſtetit. De Hippocrate refert Plinius lib. VII. cap. 37. quod diſcipulos Theſſalum & Draconem circa urbes dimiſerit ad auxiliandum; & ipſe Hippocrates Delum, Ly-

 biam

biam & Scythiam peragravit, exiſtimans: *per urbes ambulando, non ſermone, ſed opere, medicos haberi convenire.* Meminit hujuſmodi peſſimi circumforanei Tullius pro Cluent. cap. 14. *Tum repente Anconitanum quendam L. Clodium, pharmacopolam circumforaneum, qui caſu tum Larinum venerat, aggreditur, & cum eo H. S. quadringentis tranſigit: L. Clodius, qui properaret, cui multa fora reſtarent, ſimul atque introductus eſt, rem confecit.* Ejuſdem conditionis, ſed morum meliorum fuit L. Sabinus Primigenius, cujus epitaphium Iguvii apud Umbros effoſſum ex Sirmondo Reineſius profert cl. XI. n. 9.

Ortus ab Iguvio Medicus, fora multa ſecutus,
Arte feror nota, nobiliore fide.

Huc etiam pertinet Medicus Pruſenſis, qui ſibi totique familiæ ſeptem civitates impetraſſe fertur; ſine dubio, ut in foris earum jure ac privilegiis civium frueretur. Exſtat de eo inſcriptio elegans apud Reineſ. eadem claſſe n. 4.

C. CALPVRNIVS. ASCLEPIADES.
PRVSA. AD. OLYMPVM. MEDICVS.
PARENTIBVS. ET. SIBI. ET. FRATRIB.
CIVITATES. VII. A. DIVO. TRAIANO
IMPETRAVIT.

Magna igitur ratio eſſe videtur, ut eos hoc loco cum Ant. Auguſtino ad Modeſtin.

Sir-

Sirmondo ad Sidon. Apollinar. lib. II. ep. 12. & Spanhemio in orbe Rom. Exercit. I. cap. 4. intelligamus; cum enim ſat operoſam ſalutis humanæ curam gererent, Ædilitate non erant onerandi. Sed, ut dicam quod res eſt, malim cum Cujacio, in notis ad *h. l. 6.* Perrenonio lib. 1. animadv. cap. 28. & Colero Parerg. cap. 11. Medicos Periodeutas interpretari, qui unius tantum urbis faciunt medicinam, eam tamen circumeunt, & per omnes vicos atque fora ægros ſanitatis reddendæ cauſſa inviſunt: hi enim id nominis acceperunt, ut diſcernerentur a medicis ſcolaſticis, qui domi & in umbratili quaſi otio medicinam magis ſtudent, quam exercent; vel etiam ab iis, qui certis familiis, quales Romanorum magnates & in municipiis honoratiores habebant, operam ſuam addixerunt, ut viſum fuit Hubero lib. III. Digreſſ. cap. 23. Ad priorem claſſem pertinet Cornelius Celſus, Medicus Phyſicus, qui docte de medicina ſcripſit, nec tamen eam exercuit, quamobrem a Plinio inter Medicos non habetur. Similiter Plinius lib. 2. epiſt. 3. Iſæum ſcholaſticum opponit illi, qui in foro & litibus teritur. Rhetores item, qui fictis litibus & declamationibus in ſcholis ſeſe exercent, Scholaſtici vocantur, in dial. de cauſ. corr. eloq. vid.

Caſaubon. ad Capitolini Maximin. & Jac. Gothofred. ad t. 2. C. Th. pag. 600. Noſter Modeſtinus in *d. l. 6. §. 9.* diſerte Severi et Antonini conſtitutione cautum eſſe ſcribit, eos tantum Medicos immunitate donandos eſſe, qui in patria ſua medicinam facerent, & intra numerum ab Ordine eſſent recepti, cujus numeri etiam meminit Ulpianus in *l.* 1. *D. de decret. ab ord. fac.* Adhæc de Medicorum circuitione, in certa aliqua urbe, hanc περιόδȣ vocem uſurpat Lucianus: ſimilique ſignificatu Juſtinianus presbyteros περιοδευτὰς appellat, qui vicum, cui affixi, circuibant et fideles inſtruebant; de quibus docte diſputantem vide Menag. Amœnit. cap. 35 Sic Proconſulis officium eſſe dicitur, ſi in civitatem advenerit, ædes ſacras et opera publica *circumire*, inſpiciendi gratia, *l.* 7. *§.* 1. *D. de off. Proconſ.* Eadem quoque ratione in equeſtri militia *Circuitores* dicti, qui vigilias circumibant, auctore Vegetio lib. III. cap. 8. et in Palatina militia inter Agentes in rebus *Circitores* fuerunt *l.* 3. *C. Th. de agent. in reb.* quique veſtem circumferebant, et diſtrahebant, vulgo *circitores* appellati, *l.* 5. *§.* 4. *D. de inſtit. act.* Vet. Gloſſ. *Circitus* περιοδεία. Alias Medici periodeutæ etiam *clinici* dicti ſunt; quod ad ægros, ἐν κλίνῃ in lectulo cum morbis luctan-

ctantes, adibant. Martialis lib. I. epigr. 31.

Chirurgus fuerat, nunc eſt veſpillo Diaulus;
Cœpit, quo poterat, clinicus eſſe modo.

Ipſum Æſculapium Prudentius *clinicum deum* appellat, Apoth. vſ. 205 TI. CLAVDIVS. IVLIANVS. MEDICVS. CLINICVS. eſt in lapide apud Reineſ. cl. XI. n. 7. et in alio apud Gruter. pag. 400. n. 7.

P. DECIMIVS. P. L. EROS
MERVLA. MEDICVS. CLINICVS
CHIRVRGVS. OCVLARIVS

Atque illi ſunt denique, quos deſcribit Theodoricus apud Senatorem lib. VI. epiſt. 19. et Seneca lib. VI. de benef. cap. 16. *Itaque medico, qui nihil amplius quam manum tangit, & me inter eos, quos perambulat ponit, ſine ullo affectu facienda vitandaque præcipiens, nihil amplius debeo: quia me non tanquam amicum vidit, ſed tanquam imperatorem.* Ubi proprie locutus eſt, judicio Mureti, et περιοδευτὴν ſignavit, qui ægrotorum curandorum gratia urbem perambulat, toto cœlo a circumforaneo & circulatore diverſus. Illud obiter addam: ex his, quæ hactenus, maxime quæ in pr. hujus §. diximus, ſatis liquere, quid de eorum ſententia habendum ſit, qui Medicos olim non niſi vilioris & ſervilis conditionis fuiſſe tradunt, quamdiu omnibus, quibus hodie chirurgi partibus ſimul fun-

gebantur. Hos inter eſt Manutius ad Ciceron. lib. XIII. epiſt. 20. *Medicinam*, inquit, *Romæ ingenui homines, ut artem illiberalem, non colebant.* Idem quoque Robortellus, Briſſon. lib. II. ſel. ant cap. 3. & 4. Böckelmann. in diatr. ad l. 1. C. de comm. ſerv. man. & nuper Cl. Congers Middleton, in diſſert. de Medicorum apud veteres Romanos conditione, Londini edita, prolatis veterum teſtimoniis, late oſtenderunt. Contra Jac. Sponius, tum in libro Gallico, Recherches curieuſes de l' Antiquité diſſ. 27. pag. 419. ſeq. et in Miſcell. erud. ſect. 4. pag. 141. medicos a ſervorum abjecta conditione, quibusdam ingenuis ejus artis antiſtitibus productis, vindicare conatus eſt: quem Drelincourtius, in apol. Medica, Meadius aliique ſequuntur. Ego puto negari non poſſe, multos ſervos & libertinos Medicinæ operam dediſſe: id enim ſatis patet ex *l.* 25. §. 2. & *l.* 26. *D. de oper. libert.* Sponium quoque, qui ſaxis Robortellum aggreſſus erat, Fabrettus cap. 4. & 10. Inſcript. Turrius de colon. Forojul. pag. 361. Malvaſia marm. Felſin. pag. 221. & Fontaninus de antiq. Hortæ lib. 1. cap. 9. aliis lapidibus debellarunt, in quibus *Hermes*, *Pamphilus & Phæbianus ſer. medicus* memorantur. Multos præterea medicos liber-

bertos ex marmoribus priſcis dedit Gudius pag. 13. n. 12. 105. n. 8. 203. n. 4. 9. 222. n. 6. Quosdam denique, pecuniis arte ſua quæſitis, libertatem & civitatem ſibi comparaſſe, ipſe Mercurialis, ex vetere inſcriptione, oſtendit lib. III. var. lect. cap. 22. Nolim vero hinc pretium artis Medicæ imminui: nam inter Grammaticos quoque, Philoſophos & Poëtas ſervi complures & liberti numerantur. Romæ item & in municipiis Medicina ab ingenuis mage tractari cœpit, ex quo Cæſar medicos civitate, Auguſtus immunitate donavit; & Antoninus Pius, in ſingulis civitatibus, numerum eorum definivit. An vero Lucas Euangeliſta fuerit Λȣκᾶς ὁ ἰατρὸς, de quo Paulus ſcribit Coloſſenſibus, Grotius ad Lucæ cap. 1. pr. an Celſus JCtus idem ſit, qui de re medica ſcripſit, Franciſcus de Roye ad *l.* 51. *D. de acq. rei dom.* tom. 11. Theſ. juris Rom. pag. 734. diſquiſiverunt.

§. VIII. Poſtquam ſingulos vidimus litterarum antiſtites ἀτέλειαν habentes, non ab re erit, quorum beneficio ea fuerit tributa, adjeciſſe. Hos enim bonarum artium nutritores niſi cum honoris præfatione memoremus, vix ingrati animi notam effugere nobis licebit. Præmittam autem pauca de privilegiis Doctorum Romæ, ut ita quo auctore, quibuſve gradibus eadem

ad

ad municipales traducta ſint, appareat. Cicero lib. IX. ep. 6. *Quæ igitur*, ſcribit, *ſtudia magnorum hominum ſententia vacationem habent etiam publici muneris, iis concedente rep. cur non abutamur?* Cæſar omnes liberalium artium profeſſores, quo lubentius & ipſi urbem incolerent, & ceteri appeterent, civitate donavit, auctore Sueton. cap. 42. Verrium Flaccum, Grammaticum inprimis nobilem, Auguſtus centenis ſeſtertiis & habitatione in palatio donavit, teſte eodem de claris Grammat. cap. 17. cumque idem Imperator Antonii Muſæ opera afflictam valetudinem recuperaſſet, univerſo Medicorum ordini immunitatem largitus eſt, Dio lib. 53. De Veſpaſiano tradit Chariſius in *l.* 18. *§. fin. D. de muner. Magiſtris, qui civilium munerum vacationem habent, item Grammaticis, & Oratoribus, & Medicis, & Philoſophis, ne hoſpitem reciperent, a Principibus fuiſſe immunitatem indultam, & D. Veſpaſianus & D. Hadrianus reſcripſerunt.* Idem quoque de magiſtris publico ſalario donandis primus omnium cogitavit, quod Charondas diu ante fecerat apud Græcos; & Quintilianus primus illud Romæ accepit, auctore Euſebio. Ita Sueton. in vita Veſpaſ. cap. 18. *Ingenia & artes vel maxime fovit: primus è fiſco Latinis Græciſque rhetori-*

toribus annua centena conſtituit. De Trajano, maximo litteratorum amatore, Juvenalis cecinit ſat. 7. pr.

Et ſpes & ratio ſtudiorum in Cæſare tantum,
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpexit.

Horum autem omnium in eruditos amorem vicit Hadrianus, qui omnes, etiam qui profeſſioni ſuæ inhabiles videbantur, ditavit, honoravit; Philoſophos, Rhetoras & Grammaticos in ſumma familiaritate habuit, atque per provincias eos immunes eſſe juſſit, cum antea Romæ tantum ea prærogativa fruerentur. Refert enim Commodus Imperator in *d. l. 6. §. 2. & 8. D. de excuſat.* illos immunes factos eſſe, ea Hadriani conſtitutione, cujus capitulum Antoninus Pius epiſtolæ vel edicto, ad communitatem quidem Aſiæ ſcripto, ſed orbi univerſo convenienti inſeruit. Idem quoque vidimus ex reſcripto, e marmoribus Oxonienſibus ſupra allato, in quo Severus & Antoninus provocant ad divinas progenitorum ſuorum, Hadriani & Antonini Pii conſtitutiones, quibus Smyrnenſium Sophiſtis vacatio ab officiis publicis data eſſet. Neque accedo Cl. Oleario, qui in notis ad Philoſtrat. lib. II. de vit. Sophiſt. pag. 609. *divinas progenitorum conſtitutiones*, qua-

quarum in eo marmore ſit mentio, M. Aurelio & Commodo, ſimul Auguſtis, ſolis tribuendas ea ratione contendit, quod Ruffinum iſtum, cui vacatio tribuitur, ſub M. Aurelio vixiſſe, Ariſtides tradit, ſerm. 4. At nihil cauſæ video, cur ad hos tantum tot conſtitutiones reſtringamus, quorum exigua aut datæ aut confirmatæ hujus immunitatis exſtant veſtigia; plena autem ſunt omnia teſtimoniorum de favore, quo Hadrianus Muſarum alumnos complexus eſt. Conf. Spartianus in ejus vita cap. 16. Conſtantinus Porphyrog. in Exc. Peireſc. pag. 713. Philoſtratus de vitis Sophiſt. lib. I. in Marco Byzantio pag. 529. ubi *in pretio*, inquit, *etiam fuit Hadriano Imperatori, poſtquam pro Byzantiis legationem obiit, qui inter veteres Imperatores maxime ad promovendum omne genus artium ac ſcientiarum propenſus exſtitit*. Addo Aurelium Victorem in ejus vita: *Gymnaſia*, inquit, *Doctoresque curare cœpit; adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod athenæum vocant, conſtitueret*. Sed & Hadriani filius adoptivus, & in imperio ſucceſſor, Antoninus Pius ſingula ab optimo parente data beneficia auxit & confirmavit. Hinc in *l.* 4. *C. de Profeſſ. Oratione divi Pii liberalium ſtudiorum profeſſores, non etiam calculatores, continentur:*

tur: cujus orationis effectus eſt ipſa epiſtola, ad commune Aſiæ data, in qua explicanda verſamur. Capitolinus in ejus vita cap. 11. *Rhetoribus & Philoſophis, per omnes provincias, & honores, & ſalaria detulit.* De Marci Antonini Philoſophi liberalitate erga Philoſophos, Oratores & Grammaticos, Lucianus in Eunucho, & Philoſtratus, in Theodoto, teſtes ſunt omni exceptione majores. Quid vero Commodi conſtitutione, cujus meminit Modeſtinus, cautum fuerit non liquet. Jacobus Gothofredus ad *l.* 1. *C. Th. de Med.* nutaſſe ſub eo ἀτέλειαν aliquantum conſtare putat ex Philoſtrato, in vita Philiſci. Sed nihil horum: loquitur enim de Antonino Caracalla: Ἀντωνῖνος δὲ ἦν, ὁ τῆς φιλοσόφου παῖς Ἰουλίας. *Antoninus is erat Juliæ Philoſophæ filius*: dein ſubjicit pag. 623. *Philiſco autem tum quidem dicente: Vacationem a publicis muneribus mihi quidem indulſiſti, Athenienſem dum conceſſiſti thronum; ad hæc reclamans Imperator; neque tibi, inquit, hanc permitto vacationem, neque hæc ſtudia profitentium alii cuipiam. Neutiquam enim propter breves ac miſeras quaſdam oratiunculas civitates muniis publicis fungentibus privarim. Nihilominus aliquanto poſt Philoſtrato Lemnio publicarum functionum immunitatem, quartum & vigeſimum annum*

num agenti, idem Imperator pro declamatione decrevit. Magis ergo veriſimile eſt à Commodo, ſub initium imperii, immunitates confirmatas, ſub Antonino autem Caracalla ejuſque patre Septimio Severo quodammodo reſtrictas eſſe, id quod etiam ex *l.* 11. *§.* 3. *&* 4. *D. de mun.* et *l.* 3. *§. fin. D. de decur.* colligere licet. Sub Alexandro Severo rurſus halcyonia. Lampridius in ejus vita cap. 44. *Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, aruſpicibus, mathematicis, mechanicis, architectis ſalaria inſtituit & auditoria decrevit, & diſcipulos cum annonis, pauperum filios, modo ingenuos, dari juſſit. Etiam in provinciis oratoribus forenſibus multum detulit.* Quid vero ſequuti Imperatores, ſtudiorum Mæcenates et nutritores, ut Conſtantinus, Theodoſius et Juſtinianus de immunitate, ſecuritate, ſalariis, et honoribus Profeſſorum ſancitum iverint, ex utroque Codice, maxime ex *l.* 1. *&* 11. *C. Th. de Med. & Prof.* petere licebit. Inter alia memorabile eſt, quod Juliano non ſatis viſum fuit, magiſtros ſtudiorum, judicio Ordinis et Optimorum conſpirante conſenſu, probatos eſſe, ſed decretum illud ad ſe quoque referre voluit, ut altiore quodam honore et Principis judicio ſtudiis civitatum accederent, *l.* 5. *C. Th. de Med. & Prof.* Baronius

nius & Jac. Gothofredus acute conjecerunt, hanc probationem ab Apoſtata vaferrimo introductam eſſe, ut Chriſtianos à docendi munere ſubmoveret; & quamvis vetuſtioris illud inſtituti fuerit, uti ex Philoſtrato conſtat, & ex Alexandro Aphrodiſæo Merillius obſervavit. lib. III. Obſ. cap. 18. tamen ſecretior finis, ſub obtentu altioris honoris, hic latet, quare & Tribonianus clauſulam illam in *l.* 7. *C. eod.* omiſit.

§. IX. Nondum ſat prata. Vereor enim ne quis judicii his in ſtudiis minus ſubacti temeritatis poſtulet, hanc Modeſtini legem ad Ædilitatem municipalem a me referri, cum Ant. Auguſtinus, ad Modeſtin. eam intellexerit de Ædilibus urbis Romæ: ſed vadimonium non deſero, argumentis certis liquidiſque firmatus. Ipſe Modeſtinus Antonini epiſtolam *orbi univerſo* convenire ait, in *l.* 6. §. 2. idque firmat Capitolinus, in verbis jam adductis: *Rhetoribus & Philoſophis per omnes provincias* (id eſt in coloniis & municipiis) *& honores & ſalaria detulit.* Cunctis enim optimus ille princeps benignus ac mitis, tanta indulgentia ſubjectos ſibi populos rexit, ut omnia & omnes, quaſi ſua eſſent, curarit, & provinciæ ſub eo floruerint inprimis, teſte Capitolino, in ejus vita cap. 7. Adhæc di-

ſerte ejus epiſtola immunitatem in civitatibus concedit, definito in ſingulis numero eorum, qui ab Ædilitate excuſarentur: *minores* enim civitates quinque Medicos, tres Sophiſtas & totidem Grammaticos, *majores* autem, quæ habent forum judiciorum, ſeptem Medicos, Rhetores quinque & Grammaticos ſimiliter; ſupra hunc vero numerum, ne *maximam* quidem, gentium metropolin, immunes habere voluit in *l. 6. §. 2. D. de excuſat.* quam Berther. Pithan. diatr. I. cap. 6. & 9. & Spanhem. de Præſt. & uſu num. diſſ. IX. pag. 583. eleganter illuſtrarunt. Accedit ratio, ab Cujacio ad hanc legem contra Auguſtinum allata: *Non loquimur*, inquit, *de Ædilibus urbis Romæ, cujus honoris tantum abeſt, ut de vacatione danda aliquid ſanciendum ſit, ut potius ambitum ejus coërceri oporteat:* quæ tamen ratio crude accepta aliquem turbare poſſet. Nam & in urbe viri cati, propter ſumtuoſum ἀγώνων edendorum onus, Ædilitatem curulem fugiebant. Dio, cum alibi ſæpius, tum lib. 55. in actis Urbis 758. *Quum nemo ſua ſponte Ædilitatem peteret; quidam ſorte lecti ex iis, qui Quæſtores aut tribuni Pl. fuiſſent, ad eam gerendam adacti ſunt: quod ſæpius etiam alias factum.* Neque tamen de vacatione ejus danda aliquid ſanciendum fuit,

ut

ut recte ait Cujacius: nam quia Ædilitas ad honoris amplioris gradum primus adſcenſus erat, omnes, qui ad conſulatum adſpirabant, eam prius obiiſſe oportuit. Cicero lib. II. Off. cap. 17. *Mamerco homini ditiſſimo prætermiſſio Ædilitatis conſulatus repulſam attulit.* In municipiis ſui etiam honorum gradus, atque Ædilitas honos quidam & dignitas non levis habebatur; nil tamen cauſſæ erat, cur ambitioſe peteretur; quia multo plus oneris adferebat, nec id quod in eam erogatum, per ampliores Magiſtratus Duumviratum vel Quinquennalitatem compenſabatur. Quamobrem Seneca refert 3. contr. Cenſorinum dicere ſolitum: *de his, qui honores in municipiis ambitioſe peterent, videor mihi in ſomnis laborare.* Merito igitur liberalium artium Doctores ab eo honore excuſandi erant, partim ne eorum animi divinis obſervationibus dediti patriæ deſideriis occuparentur: partim etiam ne juventutis inſtitutio, in qua reip. ſpes tota, omniſque boni vel mali ſeminarium, negligeretur. Si quæris, num tantus in coloniis & municipiis eorum, qui ſtudia litteraria excolerent, fuerit numerus, ut de eorum immunitate aliquid ſanciendum fuerit? Auctores optimos dabo. Cicero pro Archia cap. 3. *Italia tunc plena Græcarum artium ac diſcipli-*

ciplinarum, ſtudiaque hæc in Latio vehementius colebantur, quam nunc iiſdem in oppidis. Sueton. de clar. Grammat. cap. 3. *In provincias quoque Grammatica penetraverat, ac nonnulli de notiſſimis doctoribus peregre docuerunt, maxime in Gallia Togata.* Hieronymus in Catal. *Arnobius, ſub Diocletiano Principe, Siccæ apud Africam florentiſſime Rhetoricam docuit*: idque tot præclaræ Muſarum ſedes per Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, Syriam & Africam, optimis doctoribus inſtructæ, ſatis evincunt. Mitto veterem Maſſilienſem Academiam, Aduamque, quæ ſub Tiberio in Galliis jam floruit; noti quoque ſunt Profeſſores Burdigalenſes, Narbonenſes, Pictavienſes & Toloſani, ab Auſonio libro ſing. celebrati: una vero nobis ſufficiet Valentis & Gratiani conſtitutio, in *l.* 11. *C. Th. de Med. & Prof.* in qua per omnem diœceſin Galliarum, frequentiſſimis in civitatibus, quæ eminebant claritudine præceptorum, optimos quosque erudiendæ juventuti præſidere voluerunt, Rhetores & Grammaticos Atticæ Romanæque doctrinæ, illiſque viginti quatuor, horum vero duodecim annonarum emolumenta præſtari. v. ibi Jac. Gothofred. tom. V. C. Th. pag. 39. & Cl. Cellarii diſſert. de ſtudiis Roman. litterar. in Urbe & provinc. §. 22. ſeq.

Illud

Illud denique haud parum confirmat, Antonini epiſtolam de immunitate Profeſſorum, maxime municipalium ſcriptam eſſe, quod de Juriſconſultorum numero & immunitate nil quicquam diſponit, quos ſane eodem jure inter ceteros frui ratio ſuadebat. Verum nulli per ſcholas municipales erant juris Profeſſores; ſed juvenes, in patria a Grammaticis & Rhetoribus imbuti, ad legum genitricem & domicilium Romam, illarum addiſcendarum gratia mittebantur: unde provinciales ſtudiorum cauſſa Romæ egiſſe dicuntur, in *l.* 18. *§. ult. D. de jud. l.* 17. *D. de reb. cred. l.* 26. *D. ad muicip.* Apud Philoſtratum de vita Apollon. lib. VII. cap. 42. adoleſcens quidam Romæ degens, ait: *Arcas cum ſim, Meſſena ortus, Græcis me pater non inſtituit moribus, ſed huc miſit, ut jura diſcerem.* Rutilius Numatianus lib. I. Itin. vſ. 207. de Palladio:

Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis
Miſſus Romani diſcere jura fori.

Et ſi forte quibusdam in municipiis jus clanculum doceretur, nulla tamen urbs fuit, cui publica auctoritate id permiſſum, præter Romam, Berytum, & Conſtantinopolin; cui Theodoſius & Valentinianus demum dederunt, in *l.* 3. *C. Th. de ſtud. lib. urb. Rom. & Conſt. ut profundioris ſcientiæ atque doctrinæ* haberet auctores,

unum, qui Philoſophiæ arcana rimetur, & duos, qui juris ac legum formulas pandant. Berytienſis etiam juris Academiæ, ante Alexandri Severi tempora, nulla occurrit mentio; tunc vero Gregorius Thaumaturgus, & mox Diocletianus in *l.* 1. *C. qui æt. vel prof.* ejus meminere. Eunapius, Libanius, & Zacharias Scholaſticus eam μητέρα τῶν νόμων, Ulpianus coloniam Auguſtanam & Auguſti beneficiis gratioſam, in *l.* 1. §. 1. *D. de cenſ.* & Juſtinianus legum nutricem appellavit, in conſt. Omnem, *de rat. & methodo juris doc.* §. 7. Diſerte Libanius in Apolog. orat. 26. pag. 595. *Nunc multus ad illud legum ſtudium curſus, & adoleſcentes dicendi periti, atque auditorem excitandi facultatem habentes, Berytum accurrunt.* Socrates lib. IV. Hiſt. Eccl. c. 27. de Gregorio Neocæſarienſi: *Hic, quum e Scholis Athenienſium diſceſſiſſet, Beryti jus civile didicit.* In hac vero juris Profeſſores immunitatem habuiſſe non videntur, ſi verum eſt, quod ſcribit Modeſtinus in *l.* 6. §. 12. *D. de excuſat.* Νόμων δὲ διδάσκαλοι ἐν ἐπαρχίᾳ διδάσκοντες, ἄφεσιν οὐκ ἕξουσιν, ἐν Ῥώμῃ δὲ διδάσκοντες ἀφίενται: vertit Burgundio: *Legum vero doctores, in aliquo præſidatu docentes, remiſſionem non habebunt: Romæ autem docentes a tutela & cura remittuntur.* Sic etiam Haloander edidit; Hervagius vero, omiſ-

ſis

ſis quibusdam, ἐν ἐπαρχίᾳ διδάσκοντες ἀφίενται; quod merito damnat Anton. Auguſtinus lib. 1. Emendat. cap. 3. verum in notis ad Modeſtinum non definit, an per ἐπαρχίαν una provincia, an omnes intelligi debeant. Ego privatos legum præceptores hic accipere malim, quales Cæſareæ & Alexandriæ fuiſſe dicuntur, in *Conſtit. ad Anteceſſ. §.* 7. nec enim veriſimile eſt, JCtos Beryti Ædiliciis curis obnoxios fuiſſe, quibus Grammatici ſoluti fuere. Si vero ita contendis, ſuſtulit hoc diſcrimen Conſtantinus in *l. 6. C. de Med & Prof.* ſive potius Tribonianus; quia *l. 1. C. Th. eod* ex qua illa *l. 6.* conflata eſt, verba *Doctores legum* non agnoſcit, in Baſilicis etiam vox *legum* deeſt: καὶ οἱ παιδευταὶ, καὶ οἱ ἄλλοι διδάσκαλοι τῶν γραμμάτων, & ita in *l. 7. C. de Prof. Magiſtros ſtudiorum doctoresque excellere oportet, moribus primum, deinde facundia.* & tamen Conſtantini tempore Berytus Juriſconſultorum jam ferax erat, Vetus orbis deſcriptor, ſub Conſtantio & Conſtante cap. 17. §. 3. *Jam Berytus civitas valde delitioſa & auditoria legum habens, per quam omnia judicia Romanorum: inde enim viri docti in omnem terrarum orbem adſident judicibus & ſcientes leges cuſtodiunt provincias, quibus mittuntur legum ordinationes.* Plura ibi dabit Gothofredus in notis, Strau-

chius ad l. un. C. de metrop. Beryto, Menag. amœn. cap. 24. et Jac. Haſæus de Beryt. Jct. Acad.

CAPUT VII.

De Judæis et Christianis Ædilitatem fugientibus.

I. *Laus Ulpiani, & ſcopus librorum ejus de officio Proconſulis; ex quibus l. 3. §. ſ. D. de decurion. eſt deſumta.* II. *Contenta libri tertii ab iis, quæ ſeptimo libro de variis criminibus ſcripſit, diverſa.* III. *An Ulpianus fuerit oſor Chriſtianorum ſingularis, quod reſcripta Principum adverſus illos edita collegit? l. 4. D. fam. erc. l. 1. §. 3. D. de extr. cogn. aliter, quam a Baronio, Grotio & pleriſque explicatæ. Freheri ſuſpiciones diluuntur.* IV. *Proniorem videri eum erga Judæos fuiſſe, nec una ratione.* V. *Quid ſit ſuperſtitio, & an Judæi tempore Ulpiani vere ſuperſtitioſi.* VI. *Romani quamlibet religionem peregrinam ſuperſtitionem vocarunt; ipſi licet fuerint ſuperſtitioſiſſimi.* VII. *Judæi, præ aliis gentibus, ipſis ſuperſtitioſi viſi: tolerati tamen ſoluto cenſu, atque ad jus civitatis admiſſi.* VIII. *In Urbe inviſi & ridiculi; at in provinciis*

ciis ad Magiſtratus municipales admiſſi & neceſſitatibus Decurionum ſubjecti, excepta Ædilitate. IX. *Triſtior Chriſtianorum conditio, quos Ulpianus, ut multi credunt, minime ſub Judæis comprehendit.* X. *Chriſtiani ad Ædilitatem gerendam coacti, quam fugiebant. Tertullianus à Cujacii lectione prohibitus.* XI *Ædilitas Chriſtianis inviſa, propter curam templorum ludorumque turpium & idololatricorum.* XII. *Severus & Antoninus in Judæos magis, quam in Chriſtianos clementes; cur Divi dicantur.* XIII. *Alciati emendatio, pro* Severus *legentis* Verus, *una cum fabula de legione fulminatrice exploſa.* XIV. *Balduini conjectura de mente Ulpiani refellitur. Alexander Severus ejusque mater Mammæa an Chriſtiani.*

Vidimus varios civium ordines ab onere Ædilitatis privilegio immunes: nunc de Judæis & Chriſtianis quædam ut proferamus oportet. Fundum capitis petemus ex celeberrima *l.* 3. *§. f. D. de decurion.* cujus verba Florentiæ ſunt iſta: *Ulpianus lib. III. de officio Proconſulis. Eis, qui Judaicam ſuperſtitionem ſequuntur, Divus Severus & Antoninus honores adipiſci permiſerunt, ſed & neceſſitates eis impoſuerunt,*

runt, quæ ſuperſtitionem eorum non læderent. Ad quorum verborum intellectum hoc, opinor, ordine perveniemus; ſi primo legis inſcriptionem, dein eos, qui Judaicam ſuperſtitionem ſequuntur; tum permiſſos eis honores & neceſſitates quasdam; & denique oneris ac beneficii hujus auctores videamus. Ad primum quod attinet, caput hoc ex Ulpiani libro III. de Offic. Proconſulis decerptum eſſe patet. Decem vero ejus ſub hac rubrica libros ſuo tempore ſuperſtites fuiſſe, in indice Pandectis Florentinis præfixo, refert Juſtinianus; & lacera indicant fragmenta, ex magno operis totius naufragio nobis ſervata; quæ aliquot inſcriptionum emendatione augenda eſſe cenſuit Marq. Freherus l. II. Parerg. cap. 11. Magis optandum erat, ut ſcriptum hoc integrum & germanum extaret: unde multum lucis obſcura & tenuis illorum temporum Hiſtoria Eccleſiaſtica, & res provinciarum, et omnes juris Romani partes mutuarentur. Quam diligens et exacta in iis Conſtitutionum principalium inſtituta fuerit collectio, vel unica *l.* 1. *D. de Quæſtion.* docebit, in qua ultra viginti reſcripta adducuntur. Quod ſi etiam pretia librorum ex auctore ſpectamus, noſter profecto is eſt, qui cum Papiniano et Paulo colophonem Jurispruden-

dentiæ impoſuit: quique ſuo merito Juriſconſultorum κορυφαῖος & κράτιστος a Modeſtino; σοφώτερος & ſummi ingenii vir a Juſtiniano appellatur. Scripta ejus in Pandectis utramque paginam faciunt; quia omnium Jurisconſultorum, niſi Paulum excipias, fuit πολυγραφώτατος. At de officio Proconſulis libri inter præcipuos & magis eximios fuerunt; quamobrem tum in Collatione legum Moſaicarum & Romanarum; tum in priſco Gloſſario, quod primus Henricus Stephanus edidit, ſæpe laudati inveniuntur. Cujacius omnia, quæ ex iis Philoxenus deſumſit, verba percenſuit & illuſtravit *lib* x. *Obſ. cap.* 34. Jacobus etiam Gothofredus, multa altioris indaginis his in libris latere animadvertens, commentaria ad eos promiſit, in notis ad *l. un. C. Th. de ſtrator.* quæ fata nobis inviderunt. Omne vero Proconſulis officium, a capite ad calcem, libris hiſce decem inſtruxit Ulpianus: forte quod aurea Ciceronis, ad Q. Fratrem, de provincia recte adminiſtranda, epiſtola prudentiæ præcepta tantum continebat: Pauli vero æqualis & æmuli duo, item Venuleji Saturnini quatuor ejusdem argumenti libri rem tantam non exhauriebant. Proconſul enim maximum in ſua provincia poſt Principem imperium habebat, ejusque vicem reguli in-

inſtar præſtabat: unde avaris & ambitioſis nihil optabilius fuit. Proconſulis imperium majus erat, quam Præſidis; ille ſpectabilis, hic clariſſimus habebatur, *l.* 11. *C. de Adv. div. judicior.* quin imo pleniſſimam jurisdictionem Ulpianus ei tribuit: quandoquidem omnium partes, qui Romæ jus dicebant, ut Conſulis & Prætoris, Præfecti urbi & Prætorio ad ipſum pertinebant, *l.* 7. *§.* 2. *l.* 8. *l.* 9. *D. de Off. Proconſ.* Præterea Proconſulum ignorantia Ulpianum ad laborem hunc ſuſcipiendum invitaſſe videtur. Pariter enim ac noſtris moribus, qui generis nobilitate florent, aut caſtra, aut aulam ſequuntur: ſic multo magis in rep. militari, populus viros Conſulares & Prætorios, armorum magis, quam legum peritos, in provincias mittebat, bellica eorum virtute & innocentia contentus. Quinimo ipſi Proconſules, innumeris publicis negotiis immerſi, leges tractare nec poterant, nec pro Juriſperitis agebant, ſed decreturi Aſſeſſorum verba adeuntibus pronuntiabant. Turpem hanc ignorantiæ labem ex Græcis Cujacius *lib.* XXIII. *Obſ. cap.* 40. ex binis Joſephi locis Mornacius *ad tit. D. de Officio aſſeſſ.* ex aliis Cl. Noodtius *de juriſd. lib.* I. *c.* II. obſervarunt; quibus geminam addo querelam, alteram Ciceronis lib. 3. de Oratore;

tore: *Nunc contra*, inquit, *plerique ad honores adipiſcendos, & ad rempublicam regendam nudi veniunt, atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla ſcientia ornati.* alteram Lactantii de mort. perſec. cap. 22. *Judices militares, humanitatis litterarum rudes, ſine adſeſſoribus in provincias immiſſi.* Nec Judices modo, id eſt Præſides & Proconſules, ſed & eorum Aſſeſſores ſæpe tot legum & conſtitutionum, aliarum ſuper alias coacervatarum, imperiti erant: illo præſertim ævo, quo Imperatores, ut Tertullianus ait, totam illam veterem & ſqualentem legum ſilvam, novis principalium edictorum & reſcriptorum ſecuribus truncabant. Adde, quod & alii, quam Juriſconſulti, inter aſſeſſores & recuperatores: nam C. Calpurnius Aſclepiades Pruſenſis Medicus, teſte vetere inſcriptione, ADSEDIT. MAGISTRATIBUS POP. R. imperante Adriano vel Antonino, apud Reineſ. cl. XI. n. 4. Ulpianus igitur, vir omnis juris peritiſſimus, eorum inſcitiæ ut ſuccurreret, hiſce libris, velut muto magiſtro, neceſſaria commonere, quæque eis obſervanda, *ad perennem ſcientiam & memoriam referre* voluit, ut ipſi moris erat, laudante Diocletiano & Maxim. in *l.* 11. *C. de Quæſt.*

§. II. Quos honores, ſub Antonino Caracal-

racalla, dum hæc ſcribebat, geſſerit Ulpianus, non ſatis liquet. Obſcurus enim eſt Spartianus in Peſcennio Nigro cap. 7. nec habet Lampridius, ubi pedem figat, in vita Alexandri. cap. 26. Alius ſane fuit Opilius Ulpianus, tunc Legatus in *l.* 1. *C. de ſent. paſſ.* Noſter Prætori Urbano nunc aſſidebat, qui vivo Papiniano, etiam in Præfecti prætorio conſilium fuerat adſcitus, *l.* 9. §. 3. *D. quod met. cauſ. l.* 40. *D. de reb. cred.* Fortaſſis etiam in aſſeſſura, aliove aulico munere ad Heliogabalum uſque perſtitit, qui eum removit, Lampridio auctore. Quicquid ejus eſt, Ulpianus vel privato in limine perpetuus populi Prætor erat, & ab Eutropio *juris conditor* appellatur lib. 8. fin. Egregia autem docendi methodus & ordo ad laudem Ulpiani propriam pertinet inprimis; nihil ejus interpretatione eſt elegantius, aut prudentius. Quemadmodum alia, ſic diffuſam illam de officio Procoſ. materiam in libros decem, hos in plures titulos diſtinxit. In Collatione LL. Moſaic. & Rom. tit. 1. *Ulpianus lib.* 7. *de Officio Procoſ. ſub titulo de ſicariis*: rurſus tit. 3. *Ulpianus lib* 7. *de offic. Proc. ſub titulo de dominorum ſævitia:* tit. 7. *Ulp. lib.* 8. *de Off. proc. ſub titulo de furibus*, & paſſim alibi. Duorum vero titulorum veſtigia lib. III. ex quo lex noſtra de-

deſumta eſt, tantum ſuperſunt: quorum alter de tutelis, alter de Decurionibus coloniarum & municipiorum conceptus fuiſſe videtur, *l.* 12. *D. de tut. & cur. dat. l.* 1. *D. de albo ſcrib.* Ad utrumque pertinebat Severi & Antonini conſtitutio de Judæis: quos neque à tutelis, neque à vinculis curialibus immunes eſſe voluerunt. Digito illam monſtrat Modeſtinus in *l.* 15. *§.* 6. *de Excuſat.* ubi hos Ulpiani, præceptoris ſui libros, alibi laudatos in *l.* 6. *§.* 5. *eod.* præ oculis habuit. Ipſa ejus verba, ne quis deſideret, ex verſione Ant. Auguſtini, adſcribo: *Jam vero Judæi quoque non Judæorum tutores erunt, quemadmodum cetera munera ſubeunt. Namque eos conſtitutione ſolutos eſſe volunt ſolis illis rebus, per quas ſuperſtitio eorum pollui videtur.* Hæc libri noſtri III. præcipua materia fuit, ad ſtatum Judæorum in provinciis cognoſcendum, compoſita: at libro VII. ejuſdem operis reſcripta Principum adverſus Chriſtianos collegit; uti Lactantii eam in rem locus eſt vulgatus *l.* 5. Div. inſt. cap. 11. hic tamen minime omittendus. *Quinetiam*, inquit, *ſceleratiſſimi homicidæ contra pios impia jura condiderunt. Nam & conſtitutiones ſacrilegæ & Juriſconſultorum diſputationes leguntur injuſtæ. Domitius, de officio Proconſulis libro ſeptimo, reſcripta Principum*

neſa

nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei profiterentur. Jam diu Petrus Pithœus, in notis ad tit. XV. Collat. LL. Moſ. & Menagius cap. 12. Amœnit. obſervarunt, Ulpianum libro ſeptimo de omne genus criminibus tractaſſe, atque inter cetera de his, quæ ad religionem ſpectant: id quod fragmenta plurima ex dicto libro deſumta confirmant, & adverſus Guil. Grotium Celeb. Schultingius ſolide evicit, in diſſert. *pro reſcript. n.* 5. & in *Jurispr. Antej. pag.* 557. Ego illud inprimis urgebo, quod Ulpianus eodem lib. VII. in *l.* 13. *D. de officio Præſid.* bono & gravi Præſidi congruere ait, curare, ut pacata atque quieta provincia ſit, quam regit; idque non difficile obtineri, ſi ſollicite agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat. Malorum vero peſſimos tum temporis habebant Chriſtianos. His cauſas terræ motuum, inundationum, & calamitatum, quibus tum vexabatur orbis, gentiles imputabant, quos Athenagoræ & Tertulliani apologiæ refellunt. Vel unicus etiam Juſtinus Martyr docere poteſt, eos impiorum & ἀθέων numero habitos, qui male de religionibus ſentirent, & nulla templa in honorem Deorum extructa haberent. Publicos imperii hoſtes;

Cæ-

Cæſarum, legum, morum, naturæ totius inimicos; immo *genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ*, cum Suetonio, eos eſſe arbitrabantur. Deinde Ulpianus Aſiæ Proconſuli Epheſum inter urbes matrices primum adeundam, et ædes ſacras inſpiciendas, ex reſcripto Antonini præcipit *l.* 4. *§.* 5. *l.* 7. *§.* 1. *D. de Off. Proc.* Sic vero latere eum non poterat maxima Chriſtianorum Eccleſia, ob quam delubra deorum vacabant, et inſtauratum illud Dianæ fanum deſerebatur. Omnino igitur reſcripta de Chriſtianis attingenda erant, ex quibus de ſuo Proconſul officio admoneretur.

§. III. Hoc amplius legum interpres, non arbiter; miniſter imperii, non cenſor erat Domitius; nec illuſoria magis Principum reſcripta, quam Prætorum decreta eſſe debere ſciebat. Iſtis vero cavebatur: *Qui novas, & uſu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honeſtiores deportantur, humiliores capite puniuntur*, auctore Paulo v. Sent. tit. 21. §. 2. Specialibus item edictis palam propoſitis adeo parum Chriſtianum eſſe licebat, ut id crimen extraordinarium eſſet, referente Melitone Sardenſi, apud Euſeb. lib. IV. Hiſt. c. 26. Cruces, beſtiæ, gladii, vincula, metalla, ignes et

alia mille ſuppliciorum genera, teſte Origine contra Celſum, lib. 1. erant præſcripta, quibus Chriſtiani affici deberent. *Violatarum religionum aliubi atque aliubi diverſa eſt pœna; ſed ubique aliqua*, ſub Nerone, primo damnationis noſtræ dedicatore, ſcribit Seneca lib. III. de benef. cap. 6. Tertullianus, in ſuo pro Chriſtianis apologetico, de Præſidum et Juriſconſultorum ſævitia conqueritur vehementer, *legibus* tamen eos *obſequi* agnoſcit, cap. 37. Lactantius eosdem ſic alloquitur, dicto lib. V. cap. 12. *Jus*, inquit, *vocant carnificinas veterum tyrannorum, adverſus innocentes rabide ſævientium: & cum ſint injuſtitiæ crudelitatisque doctores, juſtos ſe eſſe tamen & Prudentes videri volunt.* Pariter ergo ac Chriſtiani Africæ Proconſulem laudibus efferebant, quod Saturni ſacerdotes, propter infantes immolatos, in crucem egiſſet: ſic Ulpianus in hiſce libris recte atque ordine de ſectis peregrinæ religionis cohibendis ſe agere putavit; etiam de Chriſtianis. Plane adverſus Chaldæos, Mathematicos et vaticinatores titulo ſingulari hoc libro 7. tractatum eſſe, titulus xv. Collationis oſtendit; cum his vero Chriſtianorum presbyteri jam ante in Adriani epiſtola conjungebantur, quam ex libris Phlegontis, liberti ejus, deſcriptam edidit Flavius

vius Vopiſcus, in vita Saturnini cap. 8. Gloſſæ Philoxeni, ex eodem Ulpiani opere, Bellonarios θεοφορουμένους interpretantur. Sodales item Arvales ex eo eruit Cujacius lib. x. Obſ. cap. 34. Profecto Domitius, ſi in deaſtros Romanos pius fuit, in verum Deum ejusque cultores impius eſſe debuit, et Proconſulem muneris ſui admonere, ut contra publicam quietem imperiumque populi Romani aliquid forte molientes Chriſtianos conquireret, atque acerbam in eos quæſtionem haberet. Similiter Juvenalis Rectorem provinciæ inſtruit ſat. VIII. vſ. 91. *Reſpice quid moneant leges, quid curia mandet.* Ne videar hoc Proconſulis officium, tot Sergii, Gallionis, Feſti, Graniani, Fundani, Scapulæ aliorumque, ſive Præſidum ſive Proconſulum exemplis, nimis eheu vulgatum, tanquam rem novam, docere velle, unico teſtimonio defungar. Cyprianus apud Pontium enarrans viſionem, qua illi martyrium prædictum: *Videbar mihi*, inquit, *tribunali ſedentis tum Proconſulis admoveri, is ut me adſpexit, annotare ſtatim in tabula cœpit ſententiam.* Ex quibus liquere arbitror, jure an injuria Ulpianus paſſim, tanquam religioni noſtræ inimicus, & profeſſus nominis Chriſtiani hoſtis perſtringatur. Hugo Grotius in flor. ſparſis ad

l. 1. *§.* 3. *D. de Extraord. cogn.* exorciſtas Chriſtianos in cenſum *impoſtorum* ab eo referri putans, *valde iniquus*, inquit, *Chriſtianis fuit Ulpianus, homo Tyrius; ut qui & de pœnis Chriſtianorum ſcripſerit libros complures.* Baronius quoque in martyrologio ad diem 1. Jan. eum, diriſſimum perſecutorem, per libros *improbatæ lectionis, protinus corrumpendos*, Biblia, novum Teſtamentum, & ceteros ejus notæ, quos veneramur, intellexiſſe auguratur, in *l.* 4. *§.* 1. *D. famil. erciſc.* quam conjecturam non procul vero eſſe, Juſtini Martyris ad eam legem prolato teſtimonio, Mornacius exiſtimabat. Idem Baronii in Annal. ad A. 214. Balduini, Rutilii, Bertrandi, Jac. Gothofredi, Wiſſenbachii de Ulpiano judicium fuit: & quis omnes enumeret, qui antiſtitem noſtrum inter religionis Chriſtianæ oſores retulerunt? Freherus lib. II. παρεργ. cap. 11. addit *l.* 2. *D. de extraord. crim.* perque *cœtus illicitos, ſub prætextu religionis*, conventicula Chriſtianorum intelligit. Idem in *l.* 1. *in fin. D. de cadav. punit.* per eos, qui *exurendi* damnantur, Chriſtianos denotari putat, in quos ignis ſupplicio crebro ſævitum. Alii adjiciunt, quod ædium ſacrarum curam Proconſuli commendat, in *l.* 7. *§.* 1. *D. de off. Proc.* ac Præſidem jubet

bet curare, ut pacata provincia ſit, & a malis hominibus purgata *l.* 13. *D. de off. Præſ.* Atrox autem hoc cenſuræ telum Jacobus Lectius, in orat. de vita & ſcriptis Ulpiani, ab eo jam amoliri conatus eſt; & mitius ingenium Ulpiani ſcripta ſpirant, quam ut homines odio habuiſſe videatur, propter religionem, quæ imperari non poteſt. Fuit ille, judicio Principum, vir prudentiſſimus, *l.* 11. *C. de quæſt.* &, quod caput eſt, *vir bonus*, Lamprid. in Heliog. c. 16. Is ſane Alexandro ſuo decantatum illud, Contemtam religionem ſatis Deum ultorem habere, dictauit, in *l.* 2. *C. de reb. cred.* & quovis pignore certarem, ipſum doctrinæ ſuæ alibi traditæ, conſtitutiones priores poſterioribus tolli, ſatis memorem, Neronis aut Domitiani carnificinas, à clementioribus ſublatas, Proconſuli ſuo non commendaſſe. Sic enim, quod abominor, inter Virgilii *Tyrios bilingues* referendus eſſet, qui parum ſincera fide loquebantur. Demus autem, quod ex nullo in Pandectas relato fragmento conjicere licet, ipſum impiorum & ſuperſtitioſorum numero habuiſſe Chriſtianos: an quæſo magis peccavit, quam aut Tacitus, Suetonius, Dio Caſſius, Ammianus, Galenus, Eunapius, Zoſimus, Simplicius aliique, qui in illa gentilitatis nocte, ſcriptis ſuis odium Chri-

ſtiani nominis teſtatum ac conſignatum reliquerunt? Plinium Cæcilium, Bithyniæ provinciæ Proprætorem, ſcimus non modo abhorruiſſe à ſacris noſtris, ſed et judicia exercuiſſe adverſus Chriſtianos; nec tamen iraſcimur homini profano, viro laudatiſſimo: quod malum ergo Ulpianum premat magis? Eo florente ſtatim ab imperio Caracallæ et porro ſub Alexandro Severo, uſque ad Decium, execrabile illud animal, per annos circiter quadraginta, halcyonia fuerunt, teſte Euſebio et Sulpitio Severo. Hæc vero cui adſcribenda? niſi Ulpiano, Alexandri Severi tutori, parenti, amico, et Prætorio Præfecto? *Summus Imperator fuit Alexander, quod Ulpiani conſiliis præcipue remp. rexit*, ſcribit Lamprid. cap. 51. Quod ſi vero hæc necdum maculæ eluendæ ſufficiunt, doleamus potius ejus vicem, & miſericordiam Dei Opt. Max. ſingularem agnoſcamus, qui verbum ſuum nobiſcum communicare voluit. Cogitemus & illud, quid non dira ſuperſtitio faciat, & perverſa de Diis per tot ſæcula cultis opinio: quantum judicii libertatem minuat in ſuam cujuſque ſectam ſtudium: quantum denique pendeat a luce, qua Deus, cujus libuit, mentem perfundit. Religio ſua cuique videtur optima, ut quæ plerumque non ratione, ſed affectu dijudicatur. Egregio exem-

exemplo id jam oſtendit Herodotus lib. III. cap. 33. & quemlibet hominum, ſi omnes ſacrorum exploraſſet ritus, ſuos electurum obſervavit. Quod ad loca ſuperius obmota attinet, non equidem cum Fornerio lib. III. Select. cap. 28. dicam, Ulpiani ævo exorciſtas Chriſtianos nullos fuiſſe, ſed à Conſtantino primum in Eccleſiam introductos, quum is tantum munus hoc ordinarium fecerit: neque cum filio ejus Radulpho lib. III. Rer. quot. cap. 15. libros magicos & mathematicos gentilium maxime corruptos & combuſtos urgebo: nam & libros Chriſtianorum, ſed demum ſub Diocletiano & Maximiano, poſtquam Ulpianus hæc ſcripſerat dudum, comburi cœpiſſe, ex Lactantio de mort. perſ. cap. 12. lib. V. div. inſt. cap. 11. Euſebio lib. 8. Hiſt. eccl. c. 2. Arnobio & Prudentio conſtat, & Cl. Toullieu, in orat. de Ulpiano Chriſtianis non infenſo, monſtravit. Non denique inficiamur, quod Kortholtus docuit, & vel unico Hieronymi teſtimonio ad Marcellam conſtat, Chriſtianos vulgo & in triviis *impoſtores* dictos eſſe: neque illis aſſentimus, qui in dict. *l.* 1. §. 3. legunt: ut *vulgari verbo in poſterum utar*: nam impoſtura, ab imponendo dicta, ſtellionatus crimen eſt, ſi in necem alterius fiat *l.* 3. §. 2. *D. ſtellion.* At ſi quis utrumque Ulpiani caput

inſpiciat, alterum de Medicis impoſtoribus & circulatoribus, qui incantabant & imprecabantur; alterum de magicis ſimilibuſque Chaldæorum libris nominatim loqui deprehendet. Utrique confictis terroribus multos decipiebant, & in medicina facienda ſceleratis artibus, & non unius generis magicis carminibus utebantur; adeoque excidendi erant, etiamſi Chriſtiani, quorum nonnullos, recens è Synagoga egreſſos, exorcismum egiſſe, nulli dubitamus, cum Ant. van Dale de divinat. idol. cap. 5. & 6. Adde Paulum *l.* 11. *D. de extr. crim.* *l. V. Sent. tit.* 23. §. 18. quæque pro Ulpiano attulit Cl. Schurtzfleiſchius *diſput.* 71. & ſi tanti, vide quæ adverſus Baronii Annales protulimus in *Papiniano cap.* 15. §. 9.

§. IV. Illud tamen non diſſimulabo, Ulpianum in Judæos, quam in Chriſtianos proniorem fuiſſe videri, nec una ratione. Primum enim Syro Phœnix, id eſt ſemi Judæus erat, ex urbe Tyro, ſplendidiſſima Romanorum colonia oriundus. Hæc vero non tantum Judææ vicina, ſed & Phœniſſa lingua Hebrææ ſive Cananeæ valde affinis fuit, ut Hugo Grotius ad lib. I. de ver. relig. Chriſt. & præſertim Samuel Bochartus contra Fullerum demonſtrarunt. Unde Judaica ejus dicendi genera in Pandectis reperiuntur, quæ Ant. Auguſtinus col-

collegit. lib. IV. Emend. c. 8. Non etiam latere poterat Ulpianum, multa v. gr. de fure nocturno, de pubertate ex habitu corporis æſtimanda; de fortuitis caſibus exilio luendis ex jure Hebræo ad Phœnices; inde ad Athenienſes, ab his in leges Romanas migraſſe: ut vel ſola legum convenientia favoris aliquid apud Juriſconſultorum principem conciliare potuerit. Eupolemus libro de Judææ regibus: *Moſem primum*, ait, *fuiſſe ſapientum, atque ab eo datam litteraturam Judæis, quæ ab his ad Phœnices pervenerit.* Jam etiam à Pompeji & Trajani ævo Romæ cognitus fuit Pentateuchus, & forte aliqualis legum Romanarum ac Moſaicarum collatio à nonnullis eſt cœpta, quia Seneca apud Auguſtinum lib. VI. de civ. Dei cap. 11. ait: *Interim eo uſque ſceleratiſſimæ gentis conſuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta ſit. Victi victoribus leges dederunt.* Cui concinit Juvenalis Sat. XIV. vſ. 100.

Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Judaicum ediſcunt, & ſervant, & metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

Quod ſi porro religionem intuemur, Judæi rurſus victimis & ceremoniis ſuis aliquo modo ad μίμησιν ſceleſtam gentilium acce-

cedebant; quum cœtus Chriſtianorum Thyeſtea convivia, & neſcio quos inceſtos Oedipi concubitus alere dicerentur. Plane Strabo Judæos juſtos & vere religioſos vocat, lib. XVI. Juſtinus ex Trogo *religionem eorum juſtitia permixtam* dicit lib. XXXVI. cap. 2. Inprimis autem illud Tertulliani in apolog. cap. 26. huc pertinet: *Judææ*, inquit, *& Deum victimis, & templum donis, & gentem fœderibus aliquando Romani honoraſtis.* Deinceps Ulpianus, quantum ſatis prudentia civili inſtructus, inteſtina bella à Chriſtianis mage, quam à Judæis pertimeſcebat; ideoque ſalus reipublicæ ſuadere videbatur, illis mature obicem poni, quorum ſanguis ſemen erat, quique per damna, per cædes, ab ipſo ferro incrementum ducebant. Neque enim de fæce plebis tantum, ſed omnis ordinis, ſexus atque ætatis homines, ritus Chriſtianos ſequebantur: unde templa deſolata & ſacra ſolennia intermiſſa, queritur Plinius, neque civitates tantum, ſed vicos etiam atque agros ſuperſtitionis iſtius contagionem pervagari, ſcribit ad Trajanum. *Negliguntur dii*, *clamitant* (pagani) *atque in templis jam raritas ſumma eſt*, ait Arnobius lib. 1. Contra à Judaica natione, enervata, ſubacta & laribus exuta, nullus metus erat ſacris provin-

vinciarum. Quum enim a Pompejo Hieroſolymario tantum gens victa eſſet, Cicero gloriabatur pro Flacco c. 28. *Stantibus Hieroſolymis pacatisque Judæis tamen iſtorum religio ſacrorum a ſplendore hujus imperii, gravitate nominis noſtri, majorum inſtitutis abhorrebat: nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de imperio noſtro ſentiret, oſtendit armis: quam cara diis mortalibus eſſet, docuit: quod eſt victa, quod elocata, quod ſervata.* At poſt everſam funditus a Tito Hieroſolymam, & poſt tot clades ab Adriano acceptas, Judæi, Ulpiani ævo, *diſperſi & palabundi, cœli & ſoli ſui extorres, vagabantur per orbem, ſine nomine, ſine Deo, ſine Rege, quibus nec advenarum jure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare concedebatur*, auctore Tertulliano Apol. cap. 21. Prudentius Apotheoſi vſ. 541.

Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judæus, poſtquam patria de ſede revulſus
Supplicium pro cæde luit.

§. V. Facile nunc erit explicatu, cur Ulpianus Judæorum religionem ſimpliciter ſuperſtitionem appellarit; quum ritus Chriſtianorum plerumque ſuperſtitionis *pravæ, maleficæ* & aliis ejusmodi epithetis apud ſcriptores Romanos infamentur. *Eis*, ait, *qui Judaicam ſuperſtitionem ſequuntur*. Superſtitio

pro-

proprie eſt inconſulta divinæ potentiæ formido, quæ rectum Dei cultum ſuperſtat & excedit. Pariter enim ac reliquæ virtutes duobus extremis obnoxiæ ſunt: ſic religio inter duos ſcopulos poſita eſt, impietatem & ſuperſtitionem. Eleganter Ulpianus in l. 8. pr. D. de condit inſt. *Faciles*, inſit, *ſunt nonnulli hominum ad jurandum, contemtu religionis, alii perquam timidi, metu divini numinis, uſque ad ſuperſtitionem.* Impius enim animo quendam ſtuporem inducit, finemque negandi Deum habet, metu vacare. Superſtitioſus vero credit quidem invitus eſſe Deum, ſed metu ſervili eum ut hoſtem, ut tyrannum iratum horret & extimeſcit. Superſtitionis ridiculæ exempla quam multa Theophraſtus & Plutarchus περὶ δεισιδαιμονίας dederunt; & hodie anicularum ſubinde ſtultitiam ridere licet, quæ cunctis rebus prodigia inſerunt, ſomnia interpretantur, auſpicia obſervant & omina, Phyſicæ ignaræ. Melancholicis quoque & avaris familiare eſt, corrupta imaginatione nocturnos ſibi lemures, & Theſſala portenta fingere, multaque excogitare, quibus Numen iratum placari, ac propitium reddi queat. Hi enim, quia nimis meticuloſo erga Deum affectu ducuntur, falſos ſibi Deos, & ex largo Aſtrologiæ ſinu conſpicuos ſtruunt, quos venerentur,

negle-

neglecto interim vero unius Dei cultu. Inclinat etiam horum animus in magiam & divinationes: quamobrem augures futurorum, & arioli præteritorum, quæ humanitus ſciri non poſſunt, Plauto in Amphitruone *ſuperſtitioſi* dicuntur. Rectum de hoc mentium humanarum ludibrio judicium eſt Senecæ Ep. 123. *Superſtitio inſanus error eſt, amandos timet, quos colit violat. Quid enim interſt, utrum Deos neges, an inſames?* Sæpe tamen hæc ipſa impietas pietatis imagine ſe commendat: unde indoctorum, neque penitus improborum hominum de Deo ſenſus, ob tremorem quendam cultui permixtum, ob anxietatem & ſolicitudinem animi, *ſuperſtitio* apud Ciceronem, & δεισιδαιμονία apud Xenophontem, Diodorum Siculum, Plutarchum & Athenæum vocatur. Hinc Beza δεισιδαιμονεστέρους, apud Lucam in Actis, vertit *religioſiores* cap. 17. vſ. 22. ubi Revius, Grotius & Pricæus videantur. Et ſane ut hebetiſſimus quiſque eſt, ita ſuperſtitionum vanitatibus facillime mancipatur. Sic leves hominum animos ſuperſtitione numinis terreri, ſcribit Modeſtinus, in *l.* 30. *D. de pœnis.* Plutarchus pronum natura ad ſuperſtitionem *genus barbaricum* vocat. Curtius, *Nulla res*, inquit, *efficacius multitudinem regit, quam ſuperſtitio.* l. IV. cap. 10. Jam vero-

vero nemo ibit inficias, Ulpiani tempore, Judæorum religionem proprio ſignificatu ſuperſtitionem dici potuiſſe. Dudum enim corruerat paries ille intergerinus, quo a gentibus diſtincti fuerant; ceſſabat circumciſionis jugum, et inſtitutorum legalium apparatus, ceremoniis cruci affixis: ſuilla æque pura facta, quam bubula, &, dierum omne diſcrimen ſublatum erat; quibus tamen pertinax natio, velut ad ſtuporem damnata inhærebat. Jam olim majores eorum toti rituales ad idololatriam delapſi erant in Ægypto, omnium ſcelerum ſentina; & licet poſtea graviſſima rituum ſarcina eſſent onerati, ad ſtercoreos tamen Deos revertebantur, ut pluribus oſtendi de Tutela viar. publ. *p.* 1. *cap.* 3. Accerſiti ab Ægyptiis Apis, Remphæam a Chaldæis, a Sidoniis Baal & Aſtaroth, Rimmon a Syris, a Phœnicibus Dagon, Moloch & Chamos a Cananæis & Moabitis; quibus, in contumeliam Dei viventis, in lucis et montibus excelſis, prava ſuperſtitione ſacra fecerunt; quod hos maxime locos, ut Taciti verba mea faciam, cœlo appropinquare, precesque mortalium a Diis nuſpiam propius audiri putabant. Hieremias propheta eos reprehendit, quod bicorni ſiderum reginæ depſerunt placentas, et totum exercitum cœlorum adorarunt,

runt, cap. VII. vſ. 17. XIX. vſ. 13. quinimo ætas parentum pejor avis, quum Numen ſanctiſſimum cœlum appellari didiciſſet, metonymiæ ignara, progeniem tulit ſuperſtitioſiorem. Ex utroque enim Codice nota eſt Cœlicolarum ſecta ſemichriſtiana, cœli et ſolis cultu infamis, quæ Honorii tempore caput extulit, in cujus reſcripto *novum & inauditum quodammodo ſuperſtitionis crimen* vocatur, *l.* 12. *C.* & *l.* 19. *C. Th. de Judæis*, ubi Jac. Gothofredus adeundus. Nec tamen ad hos pertinent vulgata loca Juvenalis et Catalectorum, de *cœli numine* et *cœli auriculis* adoratis, ſed ad veteres Judæos; nec illa uno modo leguntur, vid. Fabrot. ad Cuj. Parat. C. de Judæ. Jam antea bis ſanctus Apoſtolus, in ſuis ad Timotheum et Titum epiſtolis, Kabbalam illam Platonico Judaicam, *prophanas & aniles fabulas* continere ſcripſit. Ut infinita prætercam Phariſæorum commenta et Seniorum traditiones, quas in Talmude collectas, vanas ſæpe et abſurdas, priſcis illis et ſacris libris addiderunt: quapropter Juſtinianus eas legi vetuit, *Conſt. Nov.* 146. Inde etiam in Principum conſtitutionibus lux religionis Chriſtianæ ſuperſtitionis Judaicæ tenebris opponitur *l.* 28. *C. Th. de Judæis* eorumque cultus et ſpes vana *ſuperſtitio Judaica* appellatur, in

l. 8.

l. 8. *C. de Judæis l.* 21. *C. de Hæret. l.* 157. 158. *C. Th. de Decurion. l.* 10. *C. Th. de Juriſd.* Prudentius, in apotheoſi, infelicem Judæam alloquens vſ. 509.

Diſce tuis miſeranda malis, quo vindice tandem
Vana ſuperſtitio, lex & carnaliter acta
Plectatur, cujus virtus te proterat ultrix.

§. VI. At recte ſatis, dicat fortaſſe aliquis, Imperatores Chriſtiani ſublatis umbris et Rep. extincta, Judæorum ſabbatha et novilunia, cum fimbriis et phylacteriis riſerunt: quæ autem ſodes ratio eſt, cur Ulpianus Judæorum religionem ſuperſtitionem appellavit; qui in eadem navi, et ipſe vanitatum denſiſſimis tenebris fuit immerſus? Sive enim eum ut Tyrium conſideremus, Deum univerſi non agnoſcebat; Belſamen, Aſtarte, et Melicartus erant Tyriorum dii: ſive, quod magis eſt, eum parentibus Romanis ortum dicamus, quaecunque augurum & ſacerdotum ingeniis excogitata erant, ſuperſtitionis nomine cenſeri debent. Quod ſi etiam rei veritatem ſpectes, totum jus Pontificium nil niſi fabulas et deliria continebat; immo craſſior eorum idololatria, a Paulo exprobrata, qua gloriam immortalis Dei ad imagines ſimiles hominis mortalis, & volucrum, et quadrupedum tranſtulerunt, opificio

non

non opifici ſervientes, *Rom.* 1. *vſ.* 13. Idemque pulchre obſervavit Polybius, cujus unicum teſtimonium ſacro adjungam, lib. VI. cap. 54. *Quæ res apud reliquos mortales vitio vertitur, ea ipſa continere Romanam Rempublicam videtur: ſuperſtitionem dico: nam, quod merito multi mirentur, adeo apud hos ſuperſtitio in majus exaggerata, & cum in privatam hominum vitam, tum in publica conſilia eſt inducta, ut non queat magis.* Plane ſi vera eſt ſuperſtitionis deſcriptio Livii lib. XXVII. cap. 27. quod *minimis etiam rebus inſerit Deos*, oportet ſuperſtitioſiſſimi fuerint Romani; qui rebus etiam leviculis, geniculis culmorum Nodotum, ſpinis Spinienſem, cunis Cuninam, & uni cuſtodiendæ januæ tria numina aſſignarunt. Nonne ergo improbior Ulpianus, qui aliena vitia in oculis habens, non vidit manticæ quod in tergo eſt; quique de iis rebus Judæos increpare auſus, quibus ipſe magis conſtrictus tenebatur? Sed addit Polybius *plebis cauſa* Romam ſuperſtitionibus impletam eſſe: Profana enim imperitorum turba, inops rationis, impos veritatis, & ſcrupuloſiſſimo cultu ad quævis mutabilis, ubi vana religione capta eſt, vatibus melius, quam ducibus, parere ſolet. Lucretius lib. VI. vſ. 51.

Efficiunt animos humiles formidine divûm,
Depreſſosque premunt ad terram.

Adhæc nemo ignorat Romæ, pariter ac Athenis, inter prima præcepta fuiſſe, ne quis novas, & uſu vel ratione incognitas induceret religiones, neu Deum exterum conſecraret, ſine Senatus auctoritate: judicabant enim viri prudentiſſimi, mutatis ſacris Remp. mutari, & nihil æque diſſolvendæ religionis eſſe, quam ſi non patrio, ſed externo ritu ſacrificaretur. Liv. lib. XXXIX. cap. 16. Dio lib. 52. Peregrina quidem ſacra & ritibus diſſona, ut Ægyptiaca, Phrygia, Græca & Tuſca in Urbem erant ſenſim admiſſa: at quemadmodum Græcorum Theologi ευσέβειαν & δεισιδαιμονίαν opponebant, illam in virtute, hanc in vitio ponentes: ita Romanis ſolus Deorum patriorum patrio more cultus *religio* caſtiſſima atque ſanctiſſima: quicquid ab eo diſcedebat, error turbulentus, falſa opinio, & *ſuperſtitio* nuncupabatur. Cicero lib. II. de Nat. Deor. cap. 28. *Non Philoſophi ſolum, verum etiam majores noſtri ſuperſtitionem a religione ſeparaverunt: - - alterum vitii nomen, alterum laudis.* Hinc Ulpianus noſter ſuperſtitionem ad animi vitia retulit, ſequutus Chryſippum, qui ſuperſtitioſos ſtultorum numero habuit, & Vivianum, in *l.* 1. *§.* 9. *D. de Ædilit.*

edict.

edict. Idem ad peregrina illa, forte & privata ſuorum, ſacra reſpiciens, in *l.* 5. §. 1. *D. de Jurej.* jurejurando, quod propria *ſuperſtitione* juratum eſt, ſtandum eſſe tradit. Inepte Carolus Auguſtinus Mella *miſcell. cap.* 12. hæc ad ſolam Catholicam veritatem pertinere credidit; qui vel ex unico Tacito *vetuſtas Græcorum ſuperſtitiones*, & *ſuperſtitione diſcordem Ægyptum* diſcere potuiſſet: ne dicam Ulpianum ſtatim §. 3. de improbata religione ſeorſim egiſſe, quam inter tum omnino Chriſtiana; non vero Ægyptiaca, a Baſſiano nunc Romam tranſlata, ut tradit Aurelius Victor in ejus vita. Tertullianus Apol. cap. 24 *Ægyptiis*, inquit, *permiſſa eſt tam vanæ ſuperſtitionis poteſtas.* Dionyſius innumeras gentes Romam confluentes, patrios deos patrio ritu privatim coluiſſe ſcribit, lib. 11. nonnulla tamen ſacra Scto illicita fuiſſe, tradit Marcianus, in *l.* 1. §. 1. *D. de Colleg. & corp.* inter quæ nefanda Bacchanalia, de quorum prohibitione Ampliſſ. Bynkershoek de Relig. peregr. diſſ. 2. videatur.

§. VII. Præ ceteris autem ſacris externis, Judæorum religio pleriſque Romanorum vana & ridicula viſa fuit; ut haud mirum ſit, eam ab Ulpiano ſuperſtitionem appellari. Durius Cicero pro Flacco cap. 28.

barbaram ſuperſtitionem vocat; Quintilianus Moſem *primum Judaicæ ſuperſtitionis auctorem* appellat, lib. III. Inſtit. Orat. cap. 7. Tacitus *pervicaciam ſuperſtitionis* Hebræis tribuit, lib. II. Hiſt. c. 4. eoſque alibi *gentem ſuperſtitioni obnoxiam, religionibus adverſam* nuncupavit lib. V. Hiſt. cap. 13. Et revera nihil erat tam contrarium, quam Judæorum & Romanorum religio. Illi, repudiata omni figura, ſummum illum & unum, & inviſibilem Deum venerabantur: hi vero templa Deorum ſimulacris ornabant; eorumque formas, ætates, conjugia, cupiditates, prælia, cognationes aliaque tradebant, ad ſimilitudinem imbecillitatis humanæ traducta. Tacitus lib. V. Hiſtor. cap. 4. *Profana illic omnia, quæ apud nos ſacra: rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta.* cum addit cap. 5. *Judæi mente ſola unumque numen intelligunt: profanos, qui Deûm imagines mortalibus materiis in ſpecies hominem effingant: ſummum illud & æternum, neque mutabile neque interiturum. Igitur nulla ſimulcra urbibus ſuis, nedum templis ſunt. Non regibus hæc adulatio, non Cæſaribus honor.* Strabo inter argumenta Judaicæ δεισιδαιμονίας carnis abſtinentiam ponit, circumciſiones & exciſiones lib. XVI. pag. 1104. fin. Plutarchus, quod Sabbatho deſidentes otioſi, hoſti-

hoſtibus ſcalas admoventibus, ſuperſtitione, tanquam reti capti, ſe continuerant, περὶ δεισιδ. Horatius minus veriſimilia Judæo Apellæ, ut ſupra modum credulo, credenda relinquit l. 1. ſat. 5. fin. Seneca quorundam animalium abſtinentiam, vanitati huic acceptam tulit, Epiſt. 108. Suetonius jejunium Sabbathis ſervatum, Aug. cap. 76. Perſius recutita ſabbatha pallentes ridet, Sat. 5. fin. Juvenalis clementiam porcis indultam ſatira dignam exiſtimavit, & quod pro mercedis qualitate futura prædicerent, ad conſulentis votum. Verba ejus ſat. 6. vſ. 543.

Cum dedit ille locum: cophino fœnoque relicto.
Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna ſacerdos
Arboris, ac ſummi fida internuncia cœli;
Implet & illa manum, ſed parcius aere minuto.
Qualiacunque voles Judæi ſomnia vendunt.

Quod ſi Romani credidiſſent, religionem imperari poſſe, utique Judæis ſuperſtitioſis ſacra ſua obtruſiſſent: ſciebant autem, nihil tam voluntarium eſſe, quam religionem; eamque, ſi animus averſus ſit, jam ſublatam & nullam eſſe. Hinc Judæis

non modo in municipiis provinciarum degere permiſſum fuit, uti vel ex Luca Act. II. vſ. 8. ſeq. I Petr. I. vſ. I. & ex titulo SOTERIÆ. RELIGIONI. IVDAICÆ METUENTI poſito apud Gruter. pag. 721 n. II. conſtat: ſed & Romæ frequentiam eorum tot Horatii, Petronii, Juvenalis & maxime Martialis ſcommata teſtantur, lib. VII. ep 29. 81. lib XI. ep. 95. adeo ut ſuas ibi haberent proſeuchas, id eſt, ædes ſacras, in quibus precatum conveniebant, nemine prohibente; teſte Juvenale ſat. III. vſ. 296. *in qua te quæro proſeucha?* Sua etiam ibi ſepulchra: licet jocularis videatur eſſe inſcriptio, extra portam Portuenſem reperta, in qua ASAPHA. IVDÆVS. THARSIS. ORIVNDVS. ROMÆ QVIESCO, apud Reineſ. cl. XVII. n. 20. Si quis autem eam pro genuina habeat, Aſaphat forſan civis Romanus fuit; pariter ac Paulus Apoſtolus Tarſenſis, ſe natum civem Romanum profitetur, Act. XXII. 25. ſive emtione, ſive donatione, aliove titulo aut jure ejus parentes jus civitatis acceperint. Hoc enim optimum maximum patuiſſe Judæis, Herodis, Joſephi & illorum exemplis conſtat, quos Pompejus, captis Hieroſolymis, in urbem abduxerat, quibus Auguſtus τὴν Ρωμαϊκὴν πολιτείαν non abſtulit, laudatus eapropter à Philone Legat ad

Caj.

Caj. pag. 1014. Vide Ill. Spanhemii Orb. Rom. Exerc. I. cap. 17. & Cl. Cellarii, Lappæi, & Arntzenii diſſert. de Pauli Apoſtoli Rom. civitate. Nec tamen omni tempore eadem Judæorum fuit fortuna, ſed varia, pro vario Principum ingenio, & Judæorum fide, vel rebellionis metu. Cæſarem, Auguſtum & Claudium clementes in hanc gentem fuiſſe, ſcribit Hieronymus in Zach. lib. II. cap. ult. & lib. III. ad Gal. cap. 6. Cæſarem Judæorum collegia inter legitima habuiſſe & proprios iis ritus reliquiſſe auctor eſt Joſephus lib. XVI. Antiq. cap. 10. Auguſtus etiam eorum ſynedria edictis ſuis probavit, quod non crapulæ, neque ſeditionum nutriculæ, ſed temperantiæ ſcholæ eſſent; uti ex Philonis legat. ad Caj. Cujacius docuit lib. VII. Obſ. cap. 30. Sub Tiberio autem actum de ſacris Ægyptiis Judaicíque pellendis; factumque Patrum conſultum, ut quatuor millia libertini generis, ea ſuperſtitione infecta, in inſulam Sardiniam veherentur, Tacit. lib. II. Ann. cap. 85. Sueton. Tib. cap. 36. Claudius eos ob frequentiam Urbe non ejecit, patriis tamen legibus viventes convenire vetuit, Dio Caſſ. lib. 60. Non vacat per omnes ire ætates: hoc tamen præſtare auſim, Judæos plerumque intra Urbem patriis ritibus vivere potuiſſe; ſoluto

quotannis cenſu binarum drachmarum, qui imperatus a Tito, vice illius, quod prius ad templum Hieroſolymitanum mittebatur, auctore Xiphilino. Suetonius *fiſcum Judaicum* vocat, in Domitian. cap. 12. Martialis l. VII. ep. 54. *damnatam modo mentulam tributis.* Appianus de bell. Syr. pag. m. 191. graviora tributa in ſingula Judæorum capita fuiſſe ait, quam quæ pro cenſu conferebant. Is autem anniverſarius canon, num Ulpiani tempore adhuc durarit, dubium videtur; argenteus enim Nervæ oſtenditur nummus, cum inſcriptione: FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA. Sed aliud eſt *Fiſcus Judaicus*; aliud *Fiſci Judaici calumnia;* & Tertullianus apolog. cap. 18. *Sed & Judæi palam lectitant, vectigalis libertas vulgo aditur, Sabbathis omnibus.* Auguſtinus, vel quisquis auctor eſt dialogi, de altercat. Eccl. & Synag. *Tributum mihi ſolvis, ad imperium non accedis, habere non potes præfecturam.* Adde Ill. Spanhem. de Præſt. & uſu num. diſſ. XIII. pag. 573.

§. VIII. Scilicet ut artium ſordidarum profeſſio Romæ pretio numerato permittebatur; & imbelles Chriſtiani libellum ſecuritatis a magiſtratu redimebant: ſic & ſoluto iſthoc tributo Judæum eſſe, & filios circumcidere, & ſabbatha colere licebat.

bat. *l.* 11. *D. ad L. Corn. de Sicar.* Romanis autem deridiculo erat natio, ob rituum diſſimilitudinem, maxime ob circumciſionem, quæ nec ſine gravibus doloribus ſuſcipi poterat, nec quicquam habebat, quo ſe commendaret, præter Dei auctoritatem. Hinc apud Hiſtoricos & Poëtas, in ſatiris & epigrammatis paſſim *verpi*, *circumſecti*, *curti*, *recutiti*, *fœtentes*, *ſabbatharii & aſinarii* dicuntur. Immo tot contra gentem deliria, ex ignorantia vel errore, delirarunt Strabo, Plutarchus, Tacitus & Juſtinus, ut poſtea ſi monſtroſum & abſonum aliquid, id Judaicum appellaretur. Alii eos Æthiopum prolem; alii Creta profugos putabant: nonnulli mundum ab iis coli; alii Bacchum; aut ejus loco auream vitem: alii aſinum & ſuem; alii rurſus nubes eis pro Deo fuiſſe fabulabantur; quia elatis in cœlum manibus, & in illud adſpicientes orabant. Qua de re conjecturis referta ſunt trivia Philologorum. Plerique nullum iis Deum eſſe, aut incertum exiſtimabant. Lucanus l. 11. vſ. 593. *Et dedita ſacris incerti Judæa Dei.* Plin. l. XIII. cap. 4. *Judæa, gens contumelia numinum inſignis.* Florus lib. III. cap. 5. Pompejum, ait, Hieroſolymis vidiſſe *illud grande impiæ gentis arcanum.* Seneca *ſceleratiſſimam gentem* vocat, apud Auguſtin. lib. VI. de Civ.

Dei cap. 11. Rutilius *gentem obſcænam* lib. 1. Itin. vſ. 387. Ammianus *fœtentes* Judæos appellavit, lib. 22. cap. 5. Inprimis vero morum & ciborum ratio peculiaris exoſos eos reddebat cunctis: unde μισανθρωπία iis tribuitur apud Diodorum. *Adverſus omnes alios hoſtile odium*, ait Tacit. lib. v. Hiſt. cap. 5. Quid amplius? Eo impudentiæ proceſſerat inficeta poſteriorum magiſtrorum interpretatio, ut ſecundum leges ſuas extraneos beneficio afficere illicitum exiſtimarent; quod damnat Juvenalis Sat. xiv. vſ. 103. *Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti.* Hoc certiſſimum pronunciare licet, eos abjectæ ſortis, in illa terrarum Dea gentiumque Roma fuiſſe: viliſſimis enim mercimoniis ſe tolerabant. Martialis cum inſtitoribus mercis ſulphuratæ eos conjungit l. xii. ep. 57. Juvenalis velut mera mendicabula depingit, qui ſub arboribus conductis ſacra perficiebant; *quorum cophinus fœnumque ſupellex*, ſat. iii. vſ. 14. Ut adeo quilibet, vel me ſilente, ex his perſpiciat, Ulpianum noſtrum de Judæis, Romæ degentibus non loqui: qui enim viles hi ad honores, vel ad illum mundi verticem, arcemque omnium terrarum, Senatum, adſpirare potuiſſent? In municipiis autem et coloniis, licet multi Judæi *inopes vilibuſque commerciis occupati eſſent*, ut ait Theo-

Theodoſ. in *l.* 18. *C. Th. de navicul.* ditioribus tamen Severus & Antoninus *honores* adipiſci permiſerunt, id eſt magiſtratus & dignitates municipales. Nec tamen cum Velſero Rer Aug. Vind. pag. 294. huc referre auſim inſcriptionem Auguſtæ repertam, quæ & apud Gruterum extat pag. 649. n. 10. in qua TIB. CLEVPHAS. VI. VIR. AVG. NEGOCIATOR. ARTIS. PVRPVRARIAE laudatur: cur enim Cleophæ nomen Hebraicum, & divinis literis proditum, hic accipi debeat, non video: cum & TIBerius CLaudius EVPHASius, cum Reineſio epiſt. 31. ad Rupert. intelligi poſſit. Magis huc pertinet Judæus ille, qui Faleriæ portui præerat, de quo Rutilius lib. 1. Itin. vſ. 383. queritur:

Namque loci querulus curam Judæus agebat:
Humanis animal diſſociale cibis.

& mox vſ. 395.

Atque utinam nunquam Judæa ſubacta fuiſſet
Pompeji bellis, imperioque Titi.
Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
Victoreſque ſuos natio victa premit.

Itaque an Judæi Duumviratum aliumve honorem, ſibi poſtulante populo oblatum, ſuſcipere vellent, in eorum arbitrio poſitum fuit; *ſed & neceſſitates eis impoſitæ, quæ*

quæ ſuperſtitionem eorum non læderent, ait Ulpianus. Ubi primum notemus, quod verba *ſed &* alibi nonnunquam conjungant, hic vero diſcretive ponantur; quia honores voluntatis ſunt, cetera neceſſitatis. Vid. Cujac. lib. xv. Obſ. cap. 19 & Guil. Beſt. de rat. emend. leg. cap. 16. n. 9. Deinde *neceſſitates* impoſitæ ſunt functiones curiales, *l.* 65. *&* 171. *C. Th. de decur.* quæ & neceſſitates civiles, curiales municipales & oppidaneæ dicuntur *l.* 17. 46. 57. 89. *C. Th. eod.* vid. *l.* 15. *§.* 6. *D. de excuſat. & l.* 2. *C. de Judæ.* Non omnia vero promiſcue curialia & ordinis vincula iis invitis imponi potuerunt, ſed illa tantum, quæ ſuperſtitionem eorum non læderent: ideoque ad Sacerdotia obeunda, γυμνασιαρχίας & Ædilitatem ritibus eorum contrariam cogi eos Principes noluerunt, ſed legibus ſuis ſacris eos vivere paſſi ſunt. Atque hoc caput ad *privilegia* refero, quæ Alexander Severus *Judæis reſervavit*, apud Lamprid. ej. vita cap. 22. Conſtantinus vero reſtrinxit, impulſu Epiſcoporum: ita enim Decurionibus coloniæ Agrippinæ in *l.* 3. *C. Th de Judæis* reſcripſit: *Cunctis ordinibus generali lege concedimus Judæos vocare ad curiam. Verum ut aliquid ipſis ad ſolatium priſtinæ obſervationis relinquatur, binos vel ternos privilegio perpeti patimur nullis no-*

mina-

minationibus occupari. Poſtea Valentinianus Junior, Arcadius & Honorius omnes curiæ manciparunt, in *l.* 99. 157. 158. 165. *C. Th. de decur.* Juſtinianus vero curialibus eos functionibus ſubjecit, privilegiis vero decurionum ſpoliavit *Nov.* 45. Auguſtinus tamen in Pſalm. 58. *Gens iſta*, inquit, *non ita ceſſit in jura Romanorum, ut amiſerint formam Judæorum; ſed ita ſubdita Romanis eſt, ut etiam leges ſuas teneat, quæ leges ſunt Dei.* Adde Forner. lib. VI. Rer. quot. cap. 8.

§. IX. Totus igitur a via aberrat Alciatus, qui *lib.* III. *diſpunct. c.* 8. & *ad l.* 10. *C. de Decurion.* Accurſium & Bartolum, contrariis legibus laborantes, ut levaret, religionem Chriſtianam ab Ulpiano *Judaicam ſuperſtitionem* appellari tradit; cum præmiſiſſet, ſe veritatem novam omnibus notam facturum. Vix dici poteſt, quot & quantos viros is nactus fuerit adſtipulantes, Budæum, Tiraquellum, Velſerum, Decianum, Loſeum, Bertrandum, Lectium, D'orleans, Mendozam, Lipſium, Camerarium, Wiſſenbachium, Kortholtum, et quis recentiores enumeret, qui dogmata noſtra hic intellexerunt? Nec damnanda prorſus videtur eſſe explicatio: primo, quia pagani ſcriptores Judæorum et Chriſtianorum nomina non raro confuderunt,

ſicut

ſicut Pithœus lib. 11. Adv. c. 3. Lipſ. ad xv. Annal. c 44. Cerda Adverſ. c. 72. & Cuperus ad Lactant. pag. 126. teſtimonio non uno docuerunt. Illud maxime ad rem facit, quod Flavia Domitilla, quam Dio Caſſius, Ulpiani æqualis, ad ritus Judæorum tranſiiſſe ſcribit, lib. 67. apud Hieronymum, *pro confeſſione nominis Chriſtiani*, in exilium pulſa dicitur, in epitaphio Paulæ. Præterea & hoc dudum præclare obſervarunt alii, Chriſtianorum religionem *ſuperſtitionem* dictam eſſe. Otioſum foret in re aperta teſtimonia inculcare, igitur tres tantum teſtes ciebo. Tacitus *ſuperſtitionem externam* vocat, lib. XIII. Ann. 32. & *exitiabilem*, lib. XV. An. 44. *Novam & maleficam*, Sueton. Ner. cap. 16. *Pravam & immodicam* Plin. x. ep. 97. qui & in panegyr. neſcio quæ *peregrinæ ſuperſtitionis* myſteria irridet. Inſcriptio Neroni poſita, apud Gruterum pag. 238. n. 9. QUI. NOVAM. GENERI. HUM. SUPERSTITION. INCULCAB. alia Diocletiano dicata: SUPERSTITIONE. CHRIST. UBIQUE. DELETA. ET. CULTU. DEOR. PROPAGATO. apud Baron. ad Annal. Chr. 304. n. 8. & Pagium in crit. ad A. 64. num. 4. atque ita factum eſt, quod Divus Paulus prædixerat, doctrinam de Chriſto crucifixo Græcis ſtultitiam fore, offendiculum Judæis 1. Corinth. 1. verſ. 23.

Licet

Licet vero hæc & alia ſpecioſe pro Alciato proferri poſſent; mallem tamen novas ſuas cogitationes amaſſet, ſine rivali. In alia omnia jam olim ivit Ant. Auguſtinus ad Modeſtini *l.* 15. *§.* 6. *D. de excuſ.* Baronius *in Ann.* Mornacius *ad l. pen. C. de Hæret.* Covarruv. in *clem. ſi furioſ. p.* 1. *§.* 2. *n.* 8. Balduin. *ad edicta Princip. pro Chriſt. p.* 93. Petitus *de jure Princ. edict. Eccl. quæſ. c.* 6. Jac. Gothofred. *ad l.* 3. *C. Th. de Judæ.* Cujacius, Grotius, Spanhemius, Bynckerhoekius, Schultingius, qui rectius, ut verba ſonant, Ulpianum de Judæis acceperunt. Quanquam enim ab his, in Eccleſia plantanda, Chriſtiani vix diſcerni potuerint; partim quod prima Chriſtianorum propago, ex Judæis enata, legem Moſaicam ſtrenue aſſerebat, & in Eccleſiam trahebat majorum inſtituta; partim etiam, quod multi poſtea formidine malorum, quæ Chriſtianos diris temporibus manebant, latere voluerint, ſub nomine Judæorum, quibus impune licebat ſacris ſuis vacare. Tamen, Severi & Antonini tempore, notius utriuſque diſciplinæ erat diſcrimen, quam ut ab Ulpiano, homine Tyrio, confunderentur. Jam ſupra obſervavimus ipſum, in hoc de officio Proconſ. opere, de Judæorum privilegiis, & pœnis Chriſtianorum egiſſe ſeorſim: ſicut con-

contra hos multa Principum extabant reſcripta, quæ illis minime fuerunt moleſta. Vel unica circumciſio ſectas diſcernebat, & in promptu fuit corporis Judaici nota: quemadmodum Suetonius ſe adoleſcentulo refert, frequentiſſimo concilio, à Procuratore inſpectum nonagenarium ſenem, an circumſectus eſſet, in vita Domitian. c. 12. Hadrianus Chriſtianos à Judæis nominatim, & Archiſynagogum Judæorum, à presbytero Chriſtianorum diſtinguit, in epiſtola, apud Vopiſcum Saturnin. cap. 8. De Severo Spartianus c. 17. *Judæos fieri ſub gravi pœna vetuit: idem de Chriſtianis ſanxit.* de Alexandro Lamprid. cap. 22. *Judæis privilegia reſervavit. Chriſtianos eſſe paſſus eſt.* Prætereo inexpiabile odium, quo Judæi Chriſtianos perſequebantur. Barchochebam, factionis Judaicæ ducem, multos Chriſtianorum ſupplicio affeciſſe, Euſebius refert: & Juſtinus, in epiſtola ad Diognetum ſcribit: *Adverſus Chriſtianos Judæi bellum gerunt, & Græci eos perſequuntur.* Vel hoc unicum ſufficit, nullibi iſthoc Severi & Antonini ævo Chriſtianorum religionem, Judaicam ſuperſtitionem appellari. Add. Ferret. & Muret. ad Tac. lib. 11. Ann. 85. quæque Sitzmannus & Burmann. ad Rutil. lib. 1. vſ. 397. contra Pithœum, Lipſium & Huetium in re ſimili diſputarunt.

§. X.

§. X. Jam porro quis in hiſtoria Eccleſiaſtica adeo hoſpes eſt, ut neſciat, duriorem longe Chriſtianorum, ſub Severo & Caracalla, fuiſſe ſortem, quam ut privilegia, ab Ulpiano memorata, ad eos tum temporis referri queant. Novis quippe cruciatibus nunc ſæviri cœpit in Chriſti gregem, ut perſecutionis quintæ (ſecundum Sulpicium Severum ſextæ) initium, anno Severi decimo, ab Euſebio aſſignetur, in Chron. lib. poſt. pag. 172. *Perſecutione inter Chriſtianos facta, Leonides, Origenis pater, glorioſa martyrii morte transfertur. Quinta perſecutio.* Tertullianus quidem ad Scapulam cap. 4. ait: *Ipſe etiam Severus, pater Antonini, Chriſtianorum memor fuit: nam & Proculum Chriſtianum, qui Topacion cognominabatur, Euhodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requiſivit & in palatio ſuo habuit, uſque ad mortem ejus; quem & Antoninus optime noverat, ipſe lacte Chriſtiano educatus. Sed & clariſſimas fæminas, & clariſſimos viros Severus, ſciens hujus ſectæ eſſe, non modo non læſit, verum & teſtimonio exornavit, & populo furenti in os palam reſtitit.* Sed Spartianus cap. 17. auctor eſt, Chriſtianos fieri ſub gravi pœna ab eo vetitum eſſe, & perſecutionis argumentum præbet, quod

R idem

idem in vita Antonini Caracallæ ſub initium ſcribit: *Septennis puer, quum colluſorem ſuum puerum, ob Judaicam religionem, gravius verberatum audiviſſet, neque patrem ſuum, neque patrem pueri, velut auctores verberum, diu reſpexit.* ubi Caſaubonus Judaicæ religionis nomine Chriſtianam intelligit, cui addictum Antoninus colluſorem aut collactaneum habebat, *ipſe lacte Chriſtiano educatus*, ut ait Tertullian. dict. cap. 4. Quis ergo putet funeſtis hiſce temporibus ab eodem perſecutore permiſſum fuiſſe Chriſtianis, ut ab oneribus curiarum & honorum pro lubitu feriari liceret? Credat id Judæus Apella: non ego. Tantum enim ab eo abeſt, ut pœnæ loco curiis addicerentur ad Conſtantinum uſque, qui hoc correxit, auctore Sozomeno lib. I. cap. 8. Reduxit Julianus Apoſtata *l.* 50. *C. Th. de decur.* his reſcripti verbis: *Decuriones, qui ut Chriſtiani declinant munia, revocentur.* Sed in univerſum quotquot horum ad munera vel honores vocati eos fugiebant, dataque pecunia ab iis ſeſe avertebant. Ambroſius lib. II. adv. Symm. *Si privilegium quærat ſacerdos, ut onus Curiale declinet, patria atque avita, & omnium facultatum poſſeſſione cedendum eſt.* De fuga Ædilitatis elegans exſtat Tertulliani teſtimonium, in Apolog. cap. 46. ibi

enim

enim oſtenſurus aliam veterum Philoſophorum, aliam Chriſtianorum eſſe diſciplinam; hos ex veritate & opera, illos ſententia tantum philoſophari: *Ecce*, inquit, *Pythagoras apud Thurios, Zenon apud Prienenſes tyrannidem affectant, Chriſtianus vero nec Ædilitatem.* Jacobus Pamelius in annotat. obſervat, veteres excuſos & Vaticanum mſt. habere *civitatem.* Cujacius lib. XIV. Obſ. cap. 13. ex vetuſtis libris legit & probat *Ædulitatem*; exiſtimans veteres ædulitatem & ædilitatem promiſcue ſcripſiſſe. Sed illud omnino ab indocta manu eſt, pariter ac in *l.* 17. *D. de compenſat.* vox Ædilitatis barbaro ſæculo in *edulitatis* commutata eſt; & quovis pignore certarem, Tertullianum, hominem verborum, legum & Magiſtratuum peritiſſimum, *Ædilitatem* ſcripſiſſe; ea enim vox, nec alia Ciceroni, Livio & optimis quibusvis auctoribus pro Ædilium magiſtratu uſurpata eſt. *Non affectare* alias eſt nihil ſtudii aut operæ impendere, ad rem aliquam conſequendam; non *data opera affectare*, ait Ulpian. in *l.* 5. *D. ex quib. cauſ. maj.* hic vero per litoten, ſive extenuationem notat, Chriſtianos Ædilitatem declinare, fugere, deſerere, abominari, ut Julianus & Ambroſius, in verbis modo allatis, & Minucius cap. 31. *Nec de ulti-*

ma ſtatim plebe conſiſtimus, ſi honores veſtros & purpuras recuſamus.

§. XI. Hujus autem recuſationis cauſſas ſi quis requirat, eas haud difficile inveniam. Neque enim propter labores tantum ſumtusque lucrandos Ædilitatem reſpuebant Chriſtiani, ſed inprimis, quia cum ſacrorum ſuorum injuria erat obeunda, multa item gentilitiæ ſuperſtitionis in fraudem & injuriam piorum exercenda, & maxima denique pars Magiſtratuum gentiles erant, quos inter honoribus fungi ſibi non putabant eſſe conſultum. Quod ſi enim eorum officia infra conſiderabimus, ſatis apparebit, a nullo Chriſtianorum ea geri potuiſſe, niſi palam ethnicorum ſe conſacraneum profiteretur. Ibi capitolia & templa ab Ædilibus curanda videbimus, in quibus deorum, immo dæmonum, ſimulacra colebantur: quocirca Tertullianus capitolium omnium dæmonum templum vocat, & Arnobius lib. 4. *Nonne vides in capitoliis omnibus* (etiam coloniarum) *virginales eſſe ſpecies Minervarum.* In templis etiam hærebat pagana ſuperſtitio; neque Chriſtus in iis, ſed vana numina cæſis hoſtiis colebantur; quarum viſu, contactu, ne dicam curatione, inquinatos ſe credebant Chriſtiani; qui & Deorum ſimulacra

cra deſpuebant. Prudentius lib. 1. contra Symm. vſ. 579.

- - - Quota in urbe eſt,
Qui Jovis infectam ſanie non deſpuat aram?

Minucius Octav. cap. 8. *Templa ut buſta deſpiciunt, Deos deſpuunt, rident ſacra.* Hinc eos ad cuſtodiam templorum apponi vetant Valentinianus & Valens, in *l.* 1. *C. Th. de fide Cath.* & Theodoſius M. curam eorum non tantum imponi, ſed & ultro ſuſcipi prohibuit, in *l.* 112. *C. Th. de decur.* ſubjecta ratione: *indecorum eſſe immo (ut verius dicamus) inlicitum, ad eorum curam templa & templorum ſollennia pertinere, quorum conſcientiam vera ratio divinæ religionis imbuerit, & quos ipſos decebat tale munus, etiamſi non prohiberentur, effugere.* Atque hæc quidem ſola abominandam ſatis reddebant Ædilitatem Chriſtianis: ſed major longe ratio in ludis ſita, quorum curatio, pro palmario officio Ædilibus imponebatur. Hos vero Chriſti cultores, tanquam cacodæmonum inventa, deteſtabantur, nihilque voluptatis in inſania circi, aut turpitudine theatri, vel in arenæ atrocitate ponebant. Hinc Chriſtianus, apud Tatianum, ait: *Præturam recuſo*: quia & hæc in munerum editione conſiſtebat. Et, ſodes, quam cruentæ erant venationes, quam tetra gladiatorum ſpe-

ſpectacula? Homines ſine crimine in hominum occidebantur voluptatem, carnibusque humanis ferarum alvi cum lætitia explebantur. Ipſi profani, impia hæc & crudeliora reputantes, gladiatores a ludis diſtinxerunt, ne res tam dura clementi vocabulo notaretur. Cicero crudelitatem gladiatorii ſpectaculi à nonnullis ait accuſari, lib. II. Tuſc. quæſt. cap. 17. & ipſe damnat lib. VII. famil. epiſt. I. *Quæ poteſt homini eſſe polito delectatio, cum aut homo imbecillus a valentiſſima beſtia laniatur, aut præclara beſtia venabulo transverberatur?* Quanto magis ergo Chriſtianos a deteſtando hoc negotio abhorrere decebat: nam & Ædiles facti ipſos fratres ſuos, veritatis teſtes, qui ſub vexationum temporibus paſſim in ludum dabantur, inhumanis ſuffragiis conficiendos, ac a beſtiis dilacerandos, præbere debuiſſent. Tertullianus in eodem Apolog. cap. 12. *Ad beſtias impellimur; certe quas Libero, & Cybele & Cereri applicatis.* Quod ſi vero ad ſcenicos oculum advertimus, par certe eorum fugiendorum ratio: quanta namque in his morum labes? quam ſcurriles paraſitorum joci? quam pudendæ hiſtrionum geſticulationes & figuræ? quarum adſpectu animus ad libidinem inflammabatur. Tertullianus theatrum libidinis conſiſtorium vocavit: talia

lia enim ſpectandi conſuetudo imitandi quoque licentiam ſumit, quia vitiis noſtris in animum per oculos via eſt. Præclare Minucius cap. 37. *Nos igitur, qui moribus & pudore cenſemur, merito malis voluptatibus & pompis veſtris & ſpectaculis abſtinemus, quorum & de ſacris originem novimus, & noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis Curulibus quis non horreat populi in ſe rixantis inſaniam? in gladiatoriis homicidii diſciplinam, in ſcenicis etiam non minor furor; turpitudo prolixior. Nunc enim minus vel exponit adulteria, vel monſtrat: nunc enervis hiſtrio amorem dum fingit, infligit.* Sed & ideo ſpectacula edere Chriſtianis non conveniebat, quod omnis eorum apparatus ex idololatria conſtabat, ac ludi votorumque celebritates in honorem Deorum ferme inſtituebantur. Patet hoc ex Quintiliano lib. III. Inſtit. orat. cap. 8. Auguſtin de civ. Dei lib. I. cap. 32. Cypriano de ſpectac. aliisque a Caſcellio lib. I. var. cap. 12. ut & à Petro Fabro lib. III. Semeſtr. cap. 1. & in Agoniſt. lib. 1. cap. 3. 16. laudatis; quibus accedat Varro ſcriptorum Eccleſiaſticorum Arnobius lib. 7 p. m. 238. *Honorantur*, inquit, *ludis Dii, & ſi quas ab hominibus continent offenſionum memorias illatarum, abjiciunt, excludunt, redduntque*

ſe nobis, redintegrata familiaritate, fautores &c. Lactantius lib. VI. div. inſtit. cap. 20. *Ludorum celebrationes Deorum feſta ſunt: ſiquidem ob nativitates eorum, vel templorum novorum dedicationes ſunt inſtitutæ.* Salvianus lib. 6 de gubern. Dei: *Colitur namque & honoratur Minerva in gymnaſiis, Venus in theatris, Neptunus in circis, Mars in arenis, Mercurius in palæſtris, & ideo pro qualitate auctorum cultus eſt ſuperſtitionum.* Ex his igitur liquet, graviſſimis de cauſſis Chriſtianos in municipiis degentes Ædilitatem fugiſſe: quippe per quam tunc temporis ſtabat pagana ſuperſtitio, ſtabant voluptatum illecebræ; quas autem tanto odio proſequebantur Chriſtiani, quanto eas niſu Apoſtolus, Patres et Imperatores ex animis eorum evulſam volebant. Vide 2. Corinth. VI. vſ. 14. Cyprian. lib. 2. epiſt. 2. *l.* 4. *C. Th. de ſcen. l. ult. C. Th. de ſpectac.* et ad eam Barnabæ Briſſonii commentarium: nec non Jacobi Gothofredi epiſtolam ad Rivetum, de interdicta Chriſtianorum cum gentilibus communione. Contra gentiles, ad ludorum religionem caligantes, multo cachinno pia hæc Chriſtianorum ratiocinia ridebant: rudes, ſucos inertes, Deorum contemtores eos appellabant, qui anili ſuperſtitione reip. munera declinarent, genusque libertatis pu-

putarent odiſſe ordinem, a majoribus prudenter inſtitutum. Occupavit hoc argumentum Chriſtianus Kortholtus, in pagano obtrectatore, cujus ſcrinia non compilo. Illud vero non ab re erit adjeciſſe, quomodo crimen hoc a Celſo ſibi objectum eliſerit Origenes: *Chriſtiani*, inquit, *non ab his ſe excuſant, quod communia vitæ miniſteria defugiant, ſed quod ſemet ſervent diviniori magisque neceſſario miniſterio.*

§. XII. Supereſt de auctoribus conſtitutionis noſtræ pauca adjiciamus; quos Accurſius, Ruſſardus, Charondas, & alii his Pandectes Florentini verbis exprimunt: *Divi Severus & Antoninus permiſerunt.* Lectio autem illa tolerari non poteſt, ſi verum eſt Ulpianum, ut pleraque alia ſuorum operum, ita & de officio Proconſulis libros, vivente & regnante Antonino Caracalla, Severi filio, elaboraſſe; id quod ex *l. 6.* §. 3. *D. de off. Proconſ. l.* 1. §. 10. 15. *D. de quæſt. l. 6. D. de legat.* atque plurimis aliis liquet. Putem igitur legendum eſſe, *Divus Severus & Antoninus*, ut in *l.* 18. *D. de min.* erroremque ex ſiglo *D.* enatum eſſe, quod librarii in *Divi* mutarunt; atque ita Celeb. Schulting. Juriſpr. Antejuſtin. pag. 552. legi debere monuit. Quamvis enim Septimius Severus lugentibus omnibus conſecratus ſit, ejuſque ἀπο-

θέοσιν Herodianus deſcribat lib. IV. cap. 2. licet etiam filius ejus Antoninus Caracalla, monſtrum illud Principis, nullo ſuo merito, ſed militibus id efficientibus, ex SCto, inter Ἥρωας, ſeu *Divos* relatus ſit, teſte Dione lib. 78. & Spartiano cap. 11. ejuſque conſecrationis memoria in nummis exſtet, Marcianus quoque & Modeſtinus eum crebro in Pandectis Divum dixerint; vix tamen ipſo vivo Ulpianus infauſtum hoc mortis omen uſurpavit: *nam Deûm honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines deſierit*, ait Tacit. lib. XV. Ann. cap. 44. Tertullianus *maledictum eſt, ante apotheoſin, Deum Cæſarem nominare*, in apolog. cap. 34. & Minucius in Octavio: *Invitis his Divorum nomen adſcribitur: optant in homine perſeverare, fieri ſe Deos metuunt, etſi jam ſenes, nolunt.* Non me fugit, Auguſtum vivum & videntem conſecratum ferri ac templa meruiſſe: Horatius lib. III. Od. 5. *præſens Divus habebitur Auguſtus.* & Propert. lib. III. eleg. 4. *Arma Divus Cæſar dites meditatur ad Indos.* ſed privato Poëtarum adulantium aut provincialium cultu: *De mendacio non erubeſcit adulatio, ejusmodi Deum apellans*, ait Tertullian. d. l. Ab Senatu vero, quem penes de conſecratione fuit ſtatuendi facultas, non antea

Divus

Divus vocatus videtur, quam diem ſuum obierit: *moriens Divus appellatus eſt*, ait Eutropius lib. 7. Scio etiam, Franciſcum Angelonium, in Hiſt Aug. pag. 38. ex nummis Titi & Trajani, probare conatum eſſe, alios, præter Auguſtum, Imperatores ſuperſtites Divos appellatos eſſe: Reineſium quoque in Epiſt. ad Gudium 3. provocaſſe ad inſcriptiones Gruteri pag. 113. n. 4. 153. n. 9. & 226. n. 9. in quibus Auguſtus, Claudius & Titus DIVI dicuntur: ſed nobis ſufficit, JCtos, non non niſi conſecratis poſt mortem, prænomen hoc tribuiſſe, nec deeſſe, quæ Angelonio reponantur. vid. Joann. Vignolium de column. Anton. Pii cap. 5. De Juſtiniano vero non miramur, ipſum vivum ſe *Divum* appellare, in *l.* 25. *C. de donat. int. vir.* ſi verum eſt, paſſum ſibi a Triboniano perſuaderi, ſe non moriturum, ſed vivum in cœlum raptum iri, ut Procopius, Suidas & Heſychius tradidere. Inclementer in Juſtinianum hac propter invectus eſt Scipio Gentilis lib. II. de donat. int. vir. cap. 2. ſed Voſſius de vit. ſerm. lib. VI. docuit, trifariam ſcriptores voce Divi abuti ſolere, & Symmachum *Divo noſtro Theodoſio*, Gunctherum *Divi, pater optime, Regis* dixiſſe.

§. XIII. Ex his igitur apparebit, quid ſtatuendum ſit de Alciato, qui lib. III. Diſpunct. cap. 8.

cap. 8. ad firmandam ſententiam ſuam, quod Imperatores ſub Judaica ſuperſtitione Chriſtianam religionem intellexerint, occaſionem benignitatis petit a victoria, quam Divi fratres, precibus Chriſtianorum, in Marcomannico bello, ſunt conſecuti; utque Antoninum & Verum haberet, pro *Severus* legit *Verus*, duabus prioribus literis expunctis, in noſtra *l.* 3. *§. fin. D. de decur.* At quamvis *Veri* & *Severi* nomina a librariis ſæpe mutata ſint, uti Salmaſius ad Lampridii Commodum cap. I. compluribus exemplis oſtendit; nimis tamen hæc mutatio repugnat ſolenni Juriſconſultorum mori, qui nuſpiam Verum generum, Marco Antonino, ſocero ac ſeniori Imperatori præponunt, ſed *Impp. Antoninum & Verum*, *Divum Marcum & Verum*, *Fratres Imperatores*, & plerumque *Divos fratres* appellare ſolent. Præterea temporis ratio repugnat: bellum enim Quadicum incidit in annum Marci decimum tertium, vel quartum: Verus autem anno nono aut, ut alii, decimo Marci, in vehiculo cum fratre ſedens, apoplexia correptus periit, minimum aliquot annis ante pluviam illam miraculoſam. Atque hoc argumentum, Alciato refellendo, *firmiſſimum* eſſe, jam olim vidit Joſeph. Caſtalio de columm. triumphal. tom. IV. Theſ. Græv. pag. 1948. ut minime

opus

opus ſit, de legione fulminatrice multa dicamus, de qua variæ Eruditorum ſententiæ apud Celeberr. Witſium & Matthæum Larroquanum, in diſſertationibus de legione fulminatrice legi poſſunt. Nolim ſane fidem omnem derogari Tertulliano & Euſebio, ad literas Marci provocantibus; verum quia gentiles Hiſtorici, gloriæ Chriſtianorum forte invidentes, Jovi Pluvio, in columna Antoniniana expreſſo, vel Marci meritis, vel Arnuphis magi Ægyptii carminibus mirandam illam liberationem tribuunt, nullum inde favorem Chriſtianis enaſci potuiſſe liquet. Claudian. conſ. VI. Honor. vſ. 348.

- - - Chaldæa mago ſeu carmina ritu
Armavêre deos: ſeu, quod reor, omne Tonantis
Obſequium Marci mores potuere mereri.

Fabulam utique olere, quod legio hæc tum demum fulminatrix appellata ſit, Scaliger, Valeſius & Rupertus obſervarunt; conferri etiam merentur, quæ de commentitia Thebæa legione Joannes Dubourdieu ſingulari diſſertatione Gallica expoſuit.

§. XIV. Ultimo loco non ſine nota prætereundi videbantur alii, qui textum noſtrum corruperunt, ut Ruſſardus & Contius, pro *quæ* legentes *qui*: nec Maſc. de

Su-

Suſanis in tract. de Judæ p. 2. c. 6. n. 18. particulam *non* expungens: verum cum hi fide manuſcriptorum codicum & *l.* 15. *§.* 6. *D. de excuſat.* ſatis refellantur, ad Franciſcum Balduinum me converto, qui ad Edicta Principum Rom. de Chriſtianis, exiſtimavit, Ulpianum, cum videret Alexandrum Severum nullo modo impelli poſſe, ut adverſus Chriſtianos aliquid ediceret, impiorum tyrannorum reſcripta vetera collegiſſe, quo Proconſules ex iis ſuum hoc in genere officium æſtimarent; Judæorum vero privilegia ſimul addidiſſe, quo magis Chriſtianos ureret, ſicut Julianus odio Chriſtianorum faviſſe Judæis dicitur. At tota hæc conjectura cadit, ſi in memoriam revocetur, quod ſupra oſtendimus, libros Ulpiani de officio Proconſulis, regnante Caracalla, ante Severi tempora conditos eſſe. Necquicquam præſidii ex Alexandri prono in Chriſtianos animo ejus ſententiæ accedit. Quamvis enim mater ejus Mamæa ad fidem Chriſtianam converſa videatur, quam Euſebius θεοσεβεστάτην, & Hieronymus *religioſam* feminam appellavit. Etſi quoque non dubitem, hanc effeciſſe, ut filius non modo Chriſtianis benignum ſe exhibuerit, eosque in aula habuerit, ſed Chriſtum inter Deos etiam referre voluerit, ejuſque & Abrahami imaginem in larario habuerit; haud tamen inde ſe-

ſequitur, Ulpianum infenſo admodum animo in Chriſtianos fuiſſe. Econtrario magis mihi dicendum videtur, non potuiſſe Alexandrum tanto favore Chriſtianos complecti, niſi auctorem ejus animi habuiſſet Ulpianum, qui ipſius tutor, parens, præfectus prætorio fuit, & omnium rerum gerendarum primus miniſter. Huic acceptum fero, quod Alexander *Judæis privilegia reſervavit, & Chriſtianos eſſe paſſus eſt*, ut ait Lamprid. ej. vita cap. 22. Hic quoque erga Judæos propenſior, Severi & Antonini conſtitutionem, in gratiam eorem latam, libris ſuis de officio Proconſulis inſeruit: quamvis enim Severus Septimius olim Judæos mulctaſſet, quod pro Nigro diu in armis ſteterant, Antonino etiam à Senatu Judaicus triumphus decretus fuerit, tamen quos ante oderant, poſtea dilexerunt; adeo ut Hebræorum quidam verba Danielis cap. XI. vſ. 34. *Et corruendo adjuvabuntur auxilio parvo*, de ipſis intellexerint, auctore Hieronymo in Daniel. lib. II. cap. 11. Cetera, quæ de Alexandri Severi Chriſtianiſmo, contra Baronium, Crombachium & Bucherium hic adferri poſſent, Joh. Andreas Boſius de Pontif. max. Imp. Rom. cap. 3. occupavit.

CAPUT VIII.

VARIA ÆDILIUM GENERA PROPONIT.

I. *Ædiles alii ex decreto Decurionum, alii ex lege municipali, alii à Principe creati. l. 3. D. quod cujusque univ. explicata.* II. *Quatuorviri in coloniis contra Manutium & Gothofredum oſtenſi. Inſcriptio l. 1. C. de ſolut. emendatur. Ædiles II. viri, III. viri, IIII. viri, VIII. viri. Schurtzfleiſchius notatus.* III. *Magiſtratus in coloniis annui, etiam Ædiles: nec licita fuit continuatio.* IV. *Ædiles Quinquennales civitatum erant Cenſores. Notatus circa hos Lipſii, Scaligeri, Turnebi, Velſeri, Corradini & Harduini lapſus.* V. *Ædiles alii juridicundo, alii annonæ: Ad hos pertinebant alimentarii, qui pueris alimentariis alimenta erogabant. Sertorius Urſatus notatus. Ulpianus, Spartianus, Inſcriptiones & Nummi veteres illuſtrantur.* VI. *Ædiles, ut in Urbe, alii Plebeji, alii Curules, alii Cereales, ita in quibusdam coloniis & municipiis. Eorum veſtigia Patavii & Venetiis.* VII. *Plebejis ſimiles, qui in præfecturis. Locus Ciceronis diſcuſſus. Valerius Chimentellius reprehenſus. Paulus in ſententiis exponitur.*

Viſis

Viſis illis, qui ab Ædilitate excuſantur, vel ad eam coguntur, nunc ad explicationem diſcriminis, quod inter Ædiles alios atque alios, cum effectu datos, interceſſit veniamus. In qua primus locus erit de modo eos conſtituendi, alter de numero, tertius de duratione, quartus de officiis, & poſtremus de dignitate. In his enim quam maxime inter ſe differebant Ædiles, &, ut alibi Ovidius:

- - *facies non omnibus una,*
Nec diverſa tamen: qualem decet eſſe ſororum.

Ad primum quod attinet, ſi quis ex me quærat, quibus modis Ædiles in his, vel in illis coloniis & municipiis facti fuerint, ei paucis reſpondebo, cum Cicerone in Bruto: *Difficile eſt plus intelligere, quam quantum ex monimentis ſuſpicari licet.* Nil certi enim hic ſtatuere licet; cum pro civium antiquo more, Præſidis aut Senatus Romani permiſſione, & legibus ſub initium coloniæ a Triumviris datis, variarint hac in re civitatum inſtituta; ut in tanta antiquitatum veterumque ſcriptorum penuria, ſingularum regionum, multo minus oppidorum, mos liquido tradi non poſſit. *Nonnunquam enim longa conſuetudo, in ea re obſervata, reſpicienda erit*, inſit Calliſtratus in *l.* 11. *D. de decur.* Siculus Flaccus de condit. agror. *Conſuetudines maxime regio-*

num intuendæ, & ex vicinis exempla ſumenda ſunt. Idque Trajanus Imp. Plinio reſcribit lib. X. epiſt. 114. *Id quod ſemper tutiſſimum eſt, ſequendam cujusque civitatis legem puto.* Forſan non errabimus, ſi idem hac in re ſequemur, quod Ulpianus de Syndicis civitatum, in *l.* 3. *D. quod cuj. univ.* ſcribit: *Nulli permittetur nomine civitatis vel curiæ experiri, niſi ei, cui Lex permittit, aut Lege ceſſante Ordo dedit, cum duæ partes adeſſent, aut amplius, quam duæ*: ubi Legis nomine ſtatuta municipalia intelligenda ſunt, pariter ac in *l.* 11. *D. de decur.* & *l.* 12. *D. de appell.* Ordo autem abſolute poſitus ordinem Decurionum, ſive Curiales notat, ut in *l.* 6. *l.* 14. 37. *C. Th. de decur.* Horum non minus, quam duæ partes, ſolenniter in curiam convocatæ, adeſſe debebant, ne per infrequentiam, ut Livius ait, electio perageretur, *l.* 2. *l.* 3. *D. de decret. ab. ord.* Id quod exemplo Senatus Romani receptum eſt, in quo certus Senatorum numerus, ad Sctum faciendum, neceſſarius fuit; uti Hotmanus ex Livio, Feſto & Prudentio oſtendit, de Senatu c. 7. tom. 2 Theſ. Græv. pag. 1900. Eundem ergo in modum nobis dicere liceat, Ædiles plerosque a municipibus, decreto Decurionum accedente, creatos eſſe; ut tamen aliquando lex mu-

municipii honores diſtribueret, ſecundum album curiæ, quandoque etiam dignitates Principis judicio conferrentur *l.* 1. *&* 2. *D. de albo ſcrib.* Nec tamen adſtipulor Juſto Fontanino de antiq. Hortæ cap. 2. n. 4. & Rocco Vulpio vet. Latii lib. 4. cap. 8. putantibus, ab Auguſti tempore, probationem Duumvirorum & Ædilium, a decurionibus electorum, Romæ a Principe petendam eſſe, ob Suetonii verba lib. 2. cap. 46. *excogitato genere ſuffragiorum, quæ de magiſtratibus urbicis decuriones colonici Romam mitterent*: quid enim vetet, quominus ſuffragia de eligendis magiſtratibus Romanis intelligamus? Ceterum ad leges illas, quas dixi, municipales Fabrettus cap. VI. retulit inſcriptionem municipii Teate n. 93. MECONIO. AED. IIIIVIR. LEG. COR. id eſt *lege Cornelia*, & n. 159. RVLLVS IIIIVIR P. L. P. *per legem Pompejam*, ſed clariſſima eſt n. 160.

M. IVNIVS
SABINVS
IIIIVIR. AEDILICIÆ POTEST
E. LEGE. IVLIA. MVNICIPALI

§. II. Ad numerum Ædilium quod attinet, ſatis conſtat, duos vel plures plerumque adlectos eſſe, ut, ſi unus malus eſſe voluiſſet, alter parem habens poteſta-

tem inſolentiam ejus reprimere, &, ſi res poſtularet, intercedere poſſet. Fortaſſis etiam, quum coloniæ deducerentur, Magiſtratus IIviri tantum, ad imitationem urbis dominantis; poſtea vero, aucto civium ambitioſorum numero, Quatuorviri, Seviri & Octoviri deſignati ſunt, quo plures partem reip. capeſſerent, & multos etiam quandoque difficilis rerum ſtatus poſcebat. Atque ita conciliari poteſt, quod in una eademque urbe modo *Duumviri*, modo *Quatuorviri*, in marmoribus antiquis occurrunt; ut Noriſius monuit, ad Cenot. Piſana diſſert. I. cap. 3. Minime vero aſſentiri poſſum Paullo Manutio, qui ad Ciceron. pro Sextio cap. 8. & ad lib. VI. epiſt. fam. 18. Quatuorviros in municipiis, in coloniis vero Duumviros tantum exſtitiſſe putat: id quod etiam repetiit Dion. Gothofredus ad Ciceron. lib. V. Att. 2. Verum ipſe Cicero lib. XIII. epiſt. 76. ſcribit: *Quatuorviris & decurionibus Fregellanis*; & Imperator Alexander in *l.* 1. *C. de ſolut. deb. civ. Quatuorviris & decurionibus Fabraternorum:* ita enim legendum puto: Fregellæ autem & Fabrateria erant coloniæ, ut ex Vellejo conſtat. Accedit inſcriptio Gruter. 5. pag. 410. IIIIVIRUM. IN. COLONIA. SIGNINA. alia Nemauſi reperta, apud Reineſ. cl. VI. n. 60. IIIIVIR.

IV-

IVRIS. DICVNDI. aliæ apud Fabrett. pag. 456. 460. IIIIVIRO BOVILLENSIVM & denique in uberrima inſcriptionum Aquilejenſium collectione, apud Philippum a Turre, de colonia Forojulienſi, nuſquam Duumviri, ſæpius IIIIviri laudantur. Bononiæ vero, quæ prius colonia, poſtea municipium, Seviros præfuiſſe, Malvaſia contendit, Marmor. Felſin. ſect. IV. cap 9. Nec deſunt, qui Antium, Ciceronis ætate, a xxviris annuo imperio curatum eſſe velint, cum Vulpio, dicto cap. 8. pag. 179. at Ciceronem lib. II. Att. ep. 6. de xxviris agro Campano dividundo, a Cæſare creatis loqui, Manutius aliique oſtenderunt. Ex quibus apparet, nullam hactenus inter magiſtratus municipales & colonicos differentiam eſſe conſtituendam: Æ-diles enim in coloniis & municipiis promiſcue IIviros invenio. T. Avidiaccus & Blæſius Natalis AEdiles coloniæ Peltinorum memorantur, apud Gruter. 6. pag. 443. Similiter Claudianus & Lepidius AEdiles municipii Cæritum, apud eundem pag. 214. Arpinum vero municipium *Tresviros* AEdiles habuit, ut Cicero docet, in epiſtola ad Brutum, cujus verba deinde adferentur. Totidem in lapide Fundano occurrunt apud Grut. pag. 168. Sed Cati-

nius Severus duplici munere AEDIL. ET. III. VIR. IN. COL. AUXIM. laudatur, apud Reineſ. cl. 6. n. 22. alius vero apud Fabrett. cap. 9. n. 35. conjunctim AEDILIS. III. VIR. Frequentius *Quatuorviri* AEdiles collegæ in ſaxis Gruteri cernuntur: IIII. VIRI. AED. in 8. pag. 422. vel IIII. VIRI. AED. POTST pag. 461. & 471. n. 5. vel breviore ſcriptura IIII. VIR. A. P. hoc eſt *Quatuorvir Ædilitia poteſtate*, ut Scaliger explicuit; non *Quatuorvir appellationum*, ut Andreas Alciatus ad *l.* 239. *de V. S.* contendit, reprehenſus eo nomine a Gudio ad Gruter. Equidem Cl. Schurtzfleiſchius Orthogr. Rom. pag. 15. A. pro AE. poni negat, jocum eſſe exiſtimans, ubi Cajus Cannius, apud Ciceronem, litteram A. de Aemilio exponit: ſed extra jocum in tot lapidibus A. P. AEdilitiam poteſtatem notat, & ſi in re nummaria ſingulariæ illæ litteræ A. A. A. F. ponuntur pro *Auri*, *Argenti*, *Aeris flator*, quidni in re alia? In urbibus Reate & Interamna Octoviri laudantur: VIII. VIR. AEDIL. PLEB. POTESTAT. Grut. pag. 71. n. 2. 449. n. 1. 451. n. 4. & Fabrett. cap. V. n. 132. VIII. VIR. AED. POT.

§. III. Quemadmodum porro Reſpublica

ca Romana annuo imperio adminiſtrabatur, ſic & in coloniis & municipiis Magiſtratus annui fuerunt. Paulus in *l.* 35. §. 1. *D. de obligat.* Papinianus in *l.* 13. *D. ad municipal.* & Conſtantinus in *l.* 18. *C. de decur.* ubi onera magiſtratuum fuga declinantes duplicato tempore biennium ea ſubire cogit. Martialis annuos Narbonis coloniæ faſces laudat lib. VIII. ep. 72. & Synodus Illiberitana can. 56. *Magiſtratum uno anno, quo agit duumviratum, prohibendum placuit, ut ſe ab Eccleſia abſtineat.* Sic Calvius Pollio, in decreto Senatus Aquilej. apud Turrium pag. 349. ſtatuam equeſtrem auratam in foro meruit, quod prona voluntate & honeſtiſſimo animo, ultro IIII. VIRATUM. I. D. IN. PROXIMVM. ANNVM. PROFESSVS. SIT. Elegans denique eſt inſcriptio Grut. 7. pag. 380. CENS. ET. DVOMVIRATV. BENE. ET. E. REP. ACTO. ANNO. Non ab re quidem ait Livius lib. 41. cap. 15. *Interrumpi tenorem rerum, in quibus peragendis continuatio efficaciſſima eſſet, minime convenire; inter traditionem imperii novitatemque ſucceſſoris, quæ noſcendis prius, quam agendis rebus imbuenda ſit, ſæpe bene gerendæ rei occaſiones intercidere.* Graviter etiam pro continuatione magiſtratuum diſſerit Iſocrates in oratione, quæ

Νικοκλῆς inſcripta eſt: nec putem ante occupatàm remp. tempus municipalibus Magiſtratibus definitum, ſed Duumviratum alibi quadrimeſtrem, alibi ſemeſtrem, alibi annuum, alibi etiam perpetuum fuiſſe: tunc autem magis annuus cœpit eſſe ubivis, & Severus municipiis reſcripſit, honores haud permiſſum eſſe continuare, in *l.* 18. *D. ad municip* & *l* 14. *§.* 5. *D. de mun.* Et magis forte civitatibus conſulitur, annuo tempore his, qui ad clavum ſedent, præfixo: ita enim certior fiebat redditio rationum, & poteſtas Magiſtratuum erat minus gravis, quum ſcirent, poſt annum ſe iterum decuriones fore. Neque tam utile quicquam, aut civile, apud Senecam videbatur Portio Latroni, quam ut quæque magna poteſtas, eſſet brevis. Ad Ædiles noſtros quod attinet, ii omnino ſingulis annis creati. Alfenus in *l.* 30. *§.* 1. *D. locat.* *Ædilis in municipio balnea conduxerat, ut eo anno municipes gratis lavarentur.* Cicero, conſtituendi municipii Arpini cauſſa, *hoc anno*, inquit, *Ædilem filium meum fieri volui*, lib. XIII. ep. fam. 11. Nec quicquam clarius fragmento illo Faſtorum municipalium apud Gruter. pag. 1087. in quo Duumviri & Ædiles, ſingulis annis, ſi Faſtos Conſulares conferas, creati dicuntur. Non omnia deſcribemus nomina, ſed quæ-

quædam retuliſſe ſatis erit: *L. Caſſivs. Longinvs M. Vinicivs Cos. M. Sentivs. Rvfvs. Q. Vibidivs. Sedatvs. II. VIR. P. Svbidivs. Pollio. Sex. Parianvs. Serenvs. Aed. Ti. Caeſar. Avg. V. cos. T. Oppivs. Procvlvs. M. Stativs. Flaccvs. II. VIR. iter. Q. M. Atinivs. Florens. A. Clvvivs. Celer. ſted Cn. Domitivs. Ahenobarbvs. Cos. M. Valerivs. poſtvmvs. Q. Luceius. Clemens II. VIR. C. Sentivs. Severus. L. Ippilivs. Atticvs. Aed.* Neque fas erat Ædilibus Magiſtratum continuare, ultra annum: iterum tamen iterumque AEdilitate fungi licebat, poſt temporis aliquod intervallum. Hinc AED. BIS apud Fabrett. cap. IX. n. 515. & AEDILICIVS. TER. apud Grut. 7. pag. 1096. Qua in re municipales differebant ab AEdilibus, ſive Aſtynomis Athenienſium, quibus id muneris ſemel tantum gerere licebat: ne forte quod ob publicam utilitatem inventum erat munus, in privatum compendium verteretur. Legem producit Petitus ad leges Att. lib. III. tit. 2. ex Demoſthenis procemio: ΑΝ ΤΙΣ ΑΣΤΥΝΟΜΗΣΗ ΔΙΣ. *Si quis ſemel atque iterum Aſtynomus fuerit.*

§. IV. Quid vero eſt, quod AEdiles in lapidibus paſſim *Quinquennales* vocantur? ut A. Paccius Ruſus AED. Q. Grut. pag.

447. n. 2. & Q. Cornelius Fronto Brixiæ AEDIL. Q. pag. 396. n. 3. An forte omnes Quinquennales fuerunt AEdiles? Ita viſum fuit Juſto Lipſio lib. I. Saturn. c. 10. mihi non item. Separatum vides utrumque honorem in epigrammate Grut. pag. 488. ubi P. Vibidius Valentinus AE-DIL. ET. QQ. *Ædilis & quinquennalis* vocatur. Rurſus apud Smetium fol. 82. n. 11. M. GRANIVS. II. VIR. TER. QVINQ. AED. Q. & omnino Quinquennalitatem peculiarem fuiſſe dignitatem, indicat *l.* 1. *C. Th. de Med. & Prof.* ubi *a Magiſtratibus vel Quinquennalibus exactus*, & inſcriptio Gruteri 8. pag. 175.

TI. CLAVDIVS
CHRESIMVS. OB. HON
QVINQVENNALITATIS
REDDEDIT

Accedit Apulejus lib. 10. *Thyaſus oriundus patria Corintho, quod caput eſt totius Achajæ provinciæ, gradatim permenſis honoribus, Quinquennali magiſtràtui fuerat deſtinatus:* hic autem non AEdilis, ſed IIVIR factus, ut illi in nummo Corinthiorum, apud Vàillant p. 9. P. AEBVTIO. C. IVLIO. HERACO. IIVIR. QVINQ. ITER. Apud eundem pag. 78. C. PAETUS QUINQ. ITER. eſt *Quinquennalis iterum*, non vero *Quinquennalia iterum*, ut

ut Harduinus explicat, de numm. pop. & urb. pag. 102. In Poſtumiæ gentis nummo, apud Spanhem. diſſ. x. pag. 103. M. POSTVM. ALBIN. IIVIR. Q. Spartianus etiam cap. 19. Hadriani honores municipales recenſens eum, per Latina oppida, ait, fuiſſe AEdilem; in patria vero, Italica Bæticæ, & Adriæ *Quinquennalem*. ubi Salmaſius ex Gloſſis vet. in cap. de Magiſtratibus, Quinquennalem πενταετηρικὸν dici monet; quod pulchre confirmat inſcriptio Græca Reineſii cl. I. n. 203. Deinceps præter AEdiles, etiam II. VIRI & IIII. VIRI QVINQ. in litterarum monimentis ſcriptis, ſculptis & impreſſis toties occurrunt, ut putidum foret iis inhærere. Prorſus ergo imperite eruditus Lipſius AEdiles cum Quinquennalibus confundit, qui diverſa munera geſſerunt, quanquam ea, ut ſtatim dicemus, aliquando eſſent conjuncta. Videamus ergo quid cauſſæ ſit, cur Magiſtratus alii vocentur Quinquennales, alii non item. Berterius Pithan. diatr. 1. cap. 10. Quinquennales interpretatur Defenſores civitatum, quorum munus ante Juſtiniani *Nov.* 15. integro quinquennio exercebatur *l.* 4. *C. de defenſ. civ.* ſed notatus eſt merito a Jac. Gothofredo ad *l.* 1. *C. Th. de Med. & Prof.* quia defenſores ſub Valentiniano & Valente primum ſunt inſtituti,

ti, in *l.* 1. *C. de defenſ. civ.* Quinquennalium autem Magiſtratuum antiquior eſt memoria in lapidibus & nummis. Mage probabilis eſt ſententia Em. Petri Marcellini Corradini, vet. Latii lib. II. cap. 13. pag. 111. AEdiles vel Duumviros Quinquennales fuiſſe, quibus honos, ex indulgentia Principis, ad quinquennium erat prorogatus. Idem fere ante ipſum ſedit Bulengero lib. VII. de imp. Rom. cap. 15. per quinquennium magiſtratu functos, & omnium principi Turnebo lib. XI. Adverſ. cap. 10. ob ſpectatam virtutem, AEdilitatis munus legibus vel inſtitutis oppidorum in quinquennium mandatum aut prorogatum eſſe. Hoc autem crebris teſtimoniis, ſupra adductis, nec non analogiæ, quæ inter colonias & urbem matrem fuit, repugnat; magisque pertinet ad rempublicam Athenienſium, in qua Quæſtores annui, approbatis rationibus, iterum iterumque ad quinquennium usque, magiſtratum gerere poterant. Propius ad verum accedit, quod Ill. Scaliger, Auſon. lect. lib. II. cap. 23. Quinquennalium appellationem ab Olympiadibus derivat, per quas anni in municipiis numerati fuerint, ſecundum inſcriptionem Auſonio Burdigalenſe Conſule poſitam: DEC. AVSON. COS. OLYMPIAD. LXXXIII. Urget præterea, in lapidibus muni-

municipalibus Quæſtores anni primi, & Curatores anni ſecundi reperiri, ſub talibus Duumviris vel Quinquennalibus; in aliis rurſus luſtri vocem occurrere, cujus idem tempus fuerit, quod Olympiadis: Auſonius ad Proculum:

Fors erit, ut luſtrum cum ſe cumulaverit iſtis
Confectam Proculus ſignet Olympiadem.

Ego vero ita habendum puto. Quemadmodum Romæ ſingulis luſtris, ad populum cenſendum, e Conſularibus creabantur Cenſores, qui cives & bona ad eos pertinentia ſolemniter deſcriberent: ſic quoque in coloniis & municipiis omni quinquennio e Magiſtratibus, Duumviris, vel AEdilibus aut magiſtratu functis delectos eſſe, ad quorum arbitrium populus cenſeretur. Miſſos quidem per provincias Cenſores ſcribit Liv. lib. XXIX. cap. 37. quales ad cenſus Galliarum P. Vitellium & Antium, refert Tacitus lib. II. Annal. cap. 6. Præſides quoque & Legatos cenſum in provinciis egiſſe conſtat: LEG. AVG. CENS. ACC. HISP. CIT. apud Reineſ. cl. II. n. 26. IX. n. 99. AVG. DISPENSATOR. AD. CENSUS PROVINCIAE. LVGDVNENSIS. Similes lapides habet Gruterus, in quibus EQ. R. A. CEN.

CENSIBUS, vel AD. CENSVS PROVINC. & CENSITOR. occurrunt pag. 355. n. 6. 403. n. 5. 427. n. 5. Procuratores quoque generales tributis per totam Provinciam exigendis miſſi: unde Britanni queruntur apud Tacit. Agric. cap. 15. *Procuratores in bona ſævire*: aliquando etiam unius coloniæ, ut Cn. Munatius Baſſus, CENSITOR. CIVIVM. ROM. COLONIAE. VICTRICENSIS. QVAE. EST. IN. BRITANNIA. CAMALODVNI. Grut. pag. 439. n. 5. & Fabrett. cap 1. pag. 29. Sui tamen ſingulis civitatibus erant Cenſores ſingulares, quibus civium facultates magis eſſent perſpectæ, auctore Plinio lib. X. epiſt. 113. & inſcriptionibus, apud Gruterum pag. 366. 2. & 171. n. 8. ubi Bæbius Reip. Neapolitanæ, & Betilienus Aletrii Cenſores laudantur: & alius ΤΙΜΗΤΙΚΟΣ, Cenſorius nominatur pag. 1083. n. 10. Adde, quod municipales Romam non debuerint proficiſci ad cenſum profitendum, ſed domi id peragere potuerint; quamobrem Cicero meminit Cenſoriarum tabularum municipii Larini, pro Cluent. cap. 14. & II. Verr. cap. 53. *Jam vero*, inquit, *Cenſores quemadmodum in Sicilia illo Prætore creati ſunt, operæ pretium eſt cognoſcere. Ille enim eſt magiſtratus apud Siculos, qui diligentiſſime*

me mandatur a populo, propter hanc cauſſam, quod omnes Siculi ex cenſu quotannis tributa conferunt: in cenſu habendo poteſtas omnis æſtimationis habendæ ſummæque faciundæ Cenſori permittitur. & ſtatim: *deſcribebat Cenſores binos in ſingulis civitatibus Timarchides.* Hi vero Cenſores municipales, ad exemplum urbanorum, Quinquennales dicti, de quibus Feſtus: *Quinquennales Cenſores appellabantur, qui luſtrum conderent quinto quoque anno, a quo nominari cœptos.* Et quidem in urbibus, quarum monumenta conjunctas has voces AED. QVINQ. præferunt, una hæc dignitas fuiſſe videtur: ubi vero leguntur diſtinctæ, diverſos honores indicant; pariter ac in notis PONT. ET. QVINQ. Turrius obſervavit, in monum. vet. Antii pag. 364. Sed nondum ſecuræ res ſunt. Illud enim non leviter doctorum ingenia torſit, num Quinquennales noſtri Cenſoribus Romanorum primis, ad quinquennium creatis, an vero poſterioribus, qui omni tantum quinquennio poſt legem AEmiliam electi, aſſimilandi ſint? Johannes Vaillantius fluctuat, in nummis colon. pag. 7. ſententiæ incertus. A priore vero, præter eos, quos ſupra laudavi, ſtant Velſerus Rer. Aug. Vind. lib. V. pag. 273. Reineſ. ad cl. 1. n. 8. & Gundiſalvus Tellez. ad concil. Illiberit. lib.

III.

III. pag. 439. affirmantes, per quinquennium Quinquennales magiſtratum geſſiſſe, pariter ac Livius ait lib. IV. cap. 24. *alios magiſtratus annuos eſſe, quinquennalem cenſuram*; & Quinquennales vel Quinquennalicii collegii fabrorum Oſtienſium, Tignariorum, Marmoriariorum, Negotiantium, Piſcatorum, & Piſtorum, ab integri quinquennii cura, aliquando & perpetua, ſed poſt aliquot luſtra ad eundem recurrente, in veteribus inſcriptionibus crebro occurrunt, apud Grut. pag. 126. 368. n. 1. 435. n. 8. 477. n. 3. 483. n. 3. quæ ex *l. 7. C. Th. de piſtorib.* & ex *l. 9. C. Th. de ſuar.* non parum lucis mutuantur. Contra in municipiis Quinquennales dictos, qui quinto illo anno in orbem reverſo, quo cives cenſebantur, magiſtratum gerebant, ſtatuit Jac. Gothofredus ad *l. 16. C. Th. de decur.* Cui ut calculum adjiciam, facit ſolida ratio, quod QVINQ. PERPETVO, id eſt, luſtro quovis recurrente Quinquennali, lapis ſacratus legitur Gruteri pag. 414. n. 2. & alibi ANNVS QVINQVENNALITATIS habetur. Apud eundem pag. 380. n. 7.

L. CAESIO
L. F.
AED. II. VIRO
POLLIONI

CENS.

CENS. ET. DVOMVIRATV
BENE. ET. E. REP. ACTO
ANNO.

Tandem, quid opus eſt verbis? nonne eodem ſenſu *quinquennalis* celebritas ludorum, apud Ciceron. III. de orat. c. 32. *quinquennale* certamen apud Sueton. Neron. cap. 12. & ludi *quinquennales* Plinio lib. IV. cap. 5. & Floro lib. 2. c. 7. dicuntur? Nec aliter Iſthmia Auſonio vocantur *Quinquennia ſacra* Idyl. 25. & *Qvinquennalia* abſolute apud Ammianum lib. 21. cap. 1. non quod per totum quinquennium, ſed quinto poſt anno iterum ederentur, unde & qui ſacris iſtis per vices præerant FLAM. QVINQ. PONT. QVINQ. & QVINQ. PONT. apud Gruterum dicuntur pag. 261. n. 4. 437. n. 5, 449. n. 2. Relinquitur ergo, quod AEdilitas annuus ſit magiſtratus, quodque AEdiles Quinquennales non temporis duratione, ſed acceſſorio Cenſuræ munere, a non Quinquennalibus fuerint diſcreti.

§. V. Ratione munerum vero ipſi AEdiles interſe differebant. In aliis quippe civitatibus juris dicundi poteſtas & annonæ cura junctim mandabatur, in aliis diſcretim, prout civium amplitudo id poſtulabat. Unicum teſtimonium proferam, ſed omni exceptione majus, ex tabula mar-

morea, quam Romæ apud Cardinalem Maphæium vidit Smetius, & poſt eum exſcripſit Gruterus pag. 214. in qua duum generum Ædiles municipii Cære reperiuntur. Verba ejus ſunt hæc: IN. CVRIAM. FVERVNT. PONTIVS. CELSVS. DICTAT. SVETONIVS. CLAVDIANVS. AED. IVRIDIC. ET. M. LEPIDIVS. NEPOS. AEDIL. ANNON. Ad poſteriorem claſſem haud invitus retulerim Ædiles *alimentarios*, quorum memoria conſervata eſt, apud Gruter. pag. 344. AEDIL. Q. ALIM. Horum vero partes non erant pupillis alimenta decernere, pro modo facultatum, ut in Urbe Prætoris, *l.* 3. *D. ubi pup. educ.* neque ab his alimenta legata recipienda erant, quemadmodum Sertorius Urſatus, ad notas Romanorum nugatur: quis enim putet huic negotio ſingularem magiſtratum in municipiis præpoſitum? potius dixerim, a frumento diſtribuendo eos nomen tuliſſe: quemadmodum in Urbe lex illa, quæ Ædiles metiri, ſive frumentum dividere jubebat, *alimentaria* a Cœlio, lib. VIII. epiſt. Ciceron. 6. & frumentum, quo Trajanus Italiæ civitatibus in annonæ penuria ſubvenit, ALIMENTA ITALIAE in nummis appellatur. Didius etiam Julianus *curam alimentorum* in Italia meruit, auctore Spartiano in ejus vita cap. I. Sed omnium maxime, ad verum

rum accedit, quod Turnebus lib. XI. Adverſ. c. 10. AEdiles alimentarios interpretatur, qui alimenta providebant alimentariis pueris. His namque & Procuratores, Quæſtores, Curatores, Villici *alimentarii* præfuerunt, ut ex multis inſcriptionibus diſcere licet, apud Reineſ. ad cl. VI. n. 24. Enimvero ne parentes egeni, gravis annonæ tempore, ſanguinolentos infantes feris avibusque exponere, necare vel vendere cogerentur; optimi Principes Nerva, Trajanus, Hadrianus, Antoninus Pius, Marcus & Severus pauperes pueros puellasque non in Urbe tantum, ſed per omnem Italiam in Coloniis & Municipiis, ſumptu publico, vel e privatorum donis, ali juſſerunt. Primus hoc inſtituit Coccejus Nerva, cujus PVELLAS, cum Q. alimentorum & pecunia alimentaria, memorat lapis antiquus. Aurelius Victor, in Epitome: *Puellas puerosque, natos parentibus egeſtoſis, ſumtu publico per Italiæ oppida ali juſſit.* De Trajano Xiphilinus in Excerptis lib. 68. *Civitatibus Italiæ multa largitus eſt ad educationem liberorum, in quos magna beneficia contulit.* Idque publici parentis beneficium in nummis non unis exprimitur paſſim, atque idem multis laudibus exornat Plinius, in illo perfectæ artis panegyrico, cap. 26. & 37. qui & ipſe,

in alimenta ingenuorum ingenuarumque, ſeſtertià ter centum dedit, agrumque actori publico ex ſuis mancipavit, teſte lapide Mediol. 5. pag. 1028. & ipſo lib. VII. epiſt. 18. Hadrianus deinde *pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit*, auctore Spartiano cap. 7. Hujus filius adoptivus Antoninus Pius, in honorem mortuæ conjugis Fauſtinæ, iisdem alimenta decrevit, ut præter Capitolinum teſtantur duo præclari nummi, apud Spanhem. de præſt. & uſu numiſm. diſſ. XI. pag. 289. in quibus plures figuræ cum puellis occurrunt, addita inſcriptione PVELLAE FAVSTINIANAE. Ejuſdem temporis eſt inſcriptio, apud Rubenium lib. II. Elect. cap. 36.

T. AELI. HADRIANI
ANTONINI. AVG
PII. PONT. MAX
TRIB. POT. XIII
IMP. II. COS. IIII. PP
FILIO
PVERI. ET. PVELLAE
ALIMENTARII

Pium enim æmulati ſunt Marcus & Verus, auctore Capitolino cap. 7. *Pueros & puellas novorum hominum frumentariæ perceptioni adſcribi præceperunt*. Rurſus de Alexandro Severo Lampridius cap. 57.

Puel-

Puellas & pueros, quemadmodum Antoninus, Fauſtinianas inſtituerat, Mamæanas & Mamæanos inſtituit. Ex Juriſconſultorum libris multa quoque huc pertinentia depromere liceret, niſi ab aliis jam eſſent occupata. Ulpianus ejusmodi alimenta a Fiſco peti ſcribit, in *l.* 7. *§.* 19. *D. de tranſact.* Paulus ad honorem civitatis pertinere ait, id quod in alimenta infirmæ ætatis, puta ſenioribus vel pueris puellisque relictum *l.* 122. *D. de legat. lib.* 1. Rurſus Ulpianus, ut probet alimenta ad pubertatem relicta ad annum octavum & decimum deberi, ſumit argumentum ab eo, quod Hadrianus univerſali beneficio ſtatuerat in *l.* 14. *§.* 1. *D. de alim. & cibar; leg.* cujus verba, quæ huc faciunt, adſcribere non piget: *Si quis*, inquit, *exemplum alimentorum, quæ dudum pueris ac puellis dabantur, velit ſequi, ſciat Hadrianum conſtituiſſe, ut pueri usque ad decimum octavum, puellæ usque ad quartum decimum annum alantur; & hanc formam ab Hadriano datam obſervandam eſſe, Imperator noſter reſcripſit.* Plura non coacervabo, ne ſatietatem afferat copia. Videantur Lipſius lib. 1. Elector. cap. 8. Rubenius lib. 11. Elect. cap. 36. & Pancirollus lib. 11. theſ. variar. lect. cap. 95. Pio autem huic negotio præfuerunt quibusdam in oppidis AEdiles, qui

ex reditibus legatis, aut e Fiſco ſubminiſtratis ſumtus alimentorum & inſtitutionis diſpenſabant, ac diebus feſtis nuces juglandes, vini potiones, aliaque bellaria erogabant. Colligo hoc ex lapide antiquo apud Gruter. pag. 461. qui ad hujusmodi AEdiles referendus eſt. Verba ejus finalia ſunt iſta: *Ædilium. cura. favorabilis. eſt. ſi. pver. plebeis. ſine. diſtinctione. libertatis. nucum. ſparſion. mod. XXX &. ex. vini. vrnis. VI. potionum. eminiſtration. digne. incrementis. præſtiterint.* Signate dicitur *incrementis:* forte quia hæc ex liberalitate illius danda erant præter alimenta, quorum appellatione cibaria, veſtiarium, habitatio, & ea tantum continentur, ſine quibus ali corpus non poteſt; cetera non item. Ad ἄυξησιν vero ipſorum alimentorum videtur referri debere, quod Spartianus ait, Hadrianum pueris alimentariis *incrementum liberalitatis* adjeciſſe; niſi quis ibi cum Emundo Merillio lib. III. Obſerv. cap. 29. tempus alimentis diutius ad annum octavum & decimum fruendis prorogatum, hoc vocabulo indicari putet; quæ explicatio & ſuam Venerem habet. Caſaubonus ait, hujusmodi largitiones incrementa vocari; & Servius à vulgo alimenta incrementa dici, monuit ad Ecl. IV. vſ. 49.

§. VI.

§. VI. A muneribus diverſimode mandatis, ad ordines Ædilium progredimur, qui reſpectu officiorum erant diverſi. Quemadmodum enim Romæ alii Ædiles creabantur Plebeji, alii Curules, alii Cereales, & hi functionibus, poteſtate & dignitate inter ſe differebant; ſic etiam in Coloniis & Municipiis ſplendidioribus, majores a minoribus auctoritate & muniorum amplitudine diſcernebantur. Illi quidem Curulium nomen adoptare non auſi, quia ſella curuli caruere; differentiæ cauſſa autem AEdiles *juridicundo*, vel AEdiles *Curiales* dicebantur. Apud Gruter. pag. 214. CLAVDIANVS. AED. IVRI. DIC. & apud Reineſium cl. VI. n. 85. LIBO. AED. SCR. CVRIalium Neapoli. Minores AEdiles in municipiis quibusdam *Cereales* dicti: Petrus namque Diaconus in notis litterarum IIIVIR. AED. CER. *Triumviros Ædiles Cereales* interpretatur: quod neutiquam pertinet ad AEdiles urbanos, a Julio Cæſare inſtitutos; hi enim non Tresviri, ſed Duumviri creabantur, ut ex Suetonio & Dione notum eſt: pertinet ergo ad AEdiles municipales, qui frumento præerant, quique alibi AEdiles annonæ vocabantur, ut M. LEPIDIVS. NEPOS. AEDIL. ANNON. municipii Cæretani, apud Gruter. pag. 214. Neſcio autem ab his an diverſi fuerint AE-

diles plebeji, qui ſæpius in ſaxis Gruterianis AEDIL. PLEBEJÆ POTESTATIS; etiam AEdiles PLEBEJI appellati, apud Gruterum, & AED. PLEB. CERIAL. in lapide Taurin. apud Sponium. Miſcell. pag. 164. Hujusmodi AEdilem præfert inſcriptio antiqua, anno ante Chriſtum natum decimo Cremonæ poſita, apud Franciſcum Ariſium in Cremona litterata pag. 18.

M. AVR. FELIX. D. CREMON
QVÆSTOR. PEC. PVB. AEDIL. PLEB
II. VIR. IVR DIC. OFF. OMNIBVS
FVNCTVS. VIVENS. POS. SIBI.

Plane Sertorius Urſatus in monimentis Patavinis lib. 1. ſect. 7. pag. 272. tres iſtos AEdilium Romanorum ordines in coloniis & municipiis maximis fuiſſe, nullus dubitat, eorumque veſtigia Patavii apparere docet. Curulium enim loco ibi eſſe, ait, *Deputatos ad Eccleſias*, qui Prætorium, templa, fora, vias & ædificia publica procurant. Plebejorum munera implere duos cives, qui *Cavalieri del Commune* appellantur: ad quos pertineat annonæ univerſæ curam agere, ac ſtudioſe invigilare, ne impuniti maneant, qui annonæ ubertati officiunt. Denique Cerealium vices gerere *Deputados alle biade*, qui ad copiam frumenti procurandam eliguntur. Eandem antiquæ Romæ ejusque AEdilium imaginem

nem in inclyta Venetiarum civitate oſtendit Guerinus Piſo Soacius, Juriſconſultus Patavinus, in libello de Romanorum & Venetorum Magiſtratuum inter ſe comparatione num. 86. ubi inprimis AEdilitatis officio fungi, ait, *Divi Marci Procuratores*, ordinis Patricii viros, templi ac ſacrorum, qui in eo ſunt, theſaurorum curam habentes: tum *Proviſores ſalutis*, quibus urbis ſalubritas commiſſa eſt, ne quid putridi vendatur, neve cadaver in vias publicas projiciatur. Dein *Veteris & novæ juſtitiæ Ædiles*, qui cibariis pretium adſcribunt, rerumque venalium pondera, ſi iniqua deprehenduntur, frangunt. Et denique *Proviſores frumenti*, præparando convehendoque frumento, oleo, ſale, aliisque cibariis conſtitutos; ne civitas horum inopia prematur. Hos Cerealium munus implere ait, inque plures claſſes eſſe diſtributos, ut vitæ alimonia in multis rebus conſiſtit.

§. VII. Denique, ne quid hic prætereatur, ab AEdilibus municipalibus ſeparandos puto AEdiles, qui iis in oppidis, quæ nec municipia proprie, nec coloniæ, ſed in præfecturæ formam redacta erant, conſtituebantur. Horum enim conditio ut ignobilior fuit, ſic etiam non potuerunt non AEdiles in iis fuiſſe ignobiliores. Si-

quidem irrumpente in Italiam Hannibale, urbes, quæ Pœni partes ſequutæ, & iterum iterumque datam fefellerant fidem, poſtea cum in ditionem Romanam rurſus redactæ, legibus, curia & magiſtratibus multabantur, atque a Præfecto Roma quotannis miſſo regebantur; unde & vulgo præfecturarum nomen tulerunt. Hujus autem regimen populis municipali juri adſuetis grave erat, nec multum a provinciæ formula diſtabat. Clariſſimum ejus rei documentum in Capua vetere habemus, quæ, cum a Romanis bello Punico defeciſſet, Præfectum ad jura reddenda quotannis Romà accepit; Nullum vero corpus civitatis, nec Senatum, nec plebis concilium, nec magiſtratus habuit, habitata tantum tanquam urbs, & ſine conſilio publico frequentata, auctore Livio lib. XXVI. cap. 16. quem ſuffragio ſuo juvat Cicero agrar. I. cap. 6. *Majores noſtri*, inquit, *Capua Magiſtratus, ſenatum, conſilium commune, omnia denique reip. inſignia ſuſtulerunt, neque aliud quidquam, niſi inane nomen, Capuæ reliquerunt.* Plures ejuſdem conditionis civitates, ſed mitiori lege habitas, recenſet Diaconus, in epitome Sexti Pompeji, cujus verba, cum multum materiæ huic illuſtrandæ conducant, apponere non gravabor: *Præfecturæ eæ appellabantur in Italia,*

lia, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum reſpublica, neque tamen magiſtratus ſuos habebant: in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent, quarum genera fuerunt duo: alterum in quas Præfecti, qui auctore viginti ſex virum numero pro populi ſuffragio creati erant (vel ſi mavis cum Cujacio lib. XI. Obſerv. cap. 24. *Præfecti quatuor ex XXVI. viris, qui populi ſuffragio creati, ibant*) *in hæc oppida: Capuam, Cumas, Caſilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Sueſſulam, Atellam, Calatiam. Alterum in quas ibant, quos Prætor Urbanus quotannis in quæque loca miſerat legibus: Fundos, Formias, Cære, Venafrum, Alliſas, Privernum, Anagniam, Fruſionem, Reate, Saturniam, Nurſiam, Arpinum, aliaque quamplura.* At vero quia hæ civitates, omni publico concilio orbatæ, incolumes eſſe non poterant, ideo conventum habebant curiæ ſimilem, in quo præfecti jus dicebant; quemadmodum extra Italiam in urbium provincialium capitibus Prætores conventum ſive forum agebant. Cicero pro Sextio cap. 4. *Qua de cauſſa & tum conventus ille Capuæ, qui propter ſalutem illius urbis conſulatu conſervatam meo, me unum patronum adoptavit, huic apud me*

P.

P. Sextio maximas gratias egit, & hoc tempore (poſtquam lege Julia Coloniæ honorem acceperat) *iidem homines nomine commutato, coloni decurionesque fortiſſimi atque optimi viri.* &c. Retinebant etiam Ædiles, qui ſine jurisdicundi poteſtate, nudæ ſimplicisque adminiſtrationis gratia, quotannis creabantur, ut v. c. annonam, ædificia publica, cloacas & vias curarent, vaſa minora in nundinis obſervarent, & ejusmodi alia reip. munera ſubirent. Ad hanc claſſem Sigonius lib. II. de antiq. jure Ital. cap. II. Ædiles Arpinatum refert: quia, auctore Feſto, Arpinum inter eas præfecturas habebatur, quæ præfectum juridicundo quotannis a Prætore accipiebant. Meminit eorum Cicero ad Brutum lib. XIII. epiſt. II. his verbis: *Nam conſtituendi municipii cauſſa, hoc anno Ædilem filium meum fieri volui, & fratris filium & M. Cæſium, hominem mihi maxime neceſſarium: is enim Magiſtratus, in noſtro municipio, nec ullus alius creari ſolet.* Ego vero de hiſce Ædilibus *amplius* pronunciandum puto, donec certo doceatur, Arpinum hoc tempore adhuc in præfecturis numeratum eſſe, quod ipſe Cicero *municipium* appellat. Neque veriſimile eſt Ciceronem, gloriæ cupidiſſimum, filium & fratris filium, nudos in patria curatores conſtitu-

ſtituiſſe: neque putem C. Marium, illum, qui poſt Africam ſubegit, præfecturæ honoribus judicatum iri potuiſſe inferiorem, ut ſcribit Valerius Maximus lib VI. cap. 9. n. 14. Et tamen nullum vitium habet, ſi dicamus Arpinum jure buleutarum caruiſſe, quamvis cum Formianis Fundaniſque jus ſuffragii acceperat, quod præfecturis fuit negatum. Non enim novum eſt, eadem ut urbs ſit municipium, & ſimul præfectura, hoc eſt, curiæ jure orbata, id quod ex ſubjectis exemplis apparebit. Cicero pro Plancio cap. 8. Atinam urbem, haud procul Arpino ſitam, præfecturam vocat, eodem vero capite plebem Atinatem comitiis interfuiſſe ſcribit: ſtatim cap. ſeq. de Atina eadem, tanquam de municipio loquitur, & omnino municipium eam fuiſſe ex lapide, qui ibi repertus ſit, confirmat Cluverius Italiæ antiq. lib. III. 8. Idem Tullius Italiæ umbilicum Reate in numero præfecturarum ponit, Catilinaria III. cap. 2. Suetonius autem avum Veſpaſiani municipem Reatinum dixit cap. I. in ejus vita. Rurſus Cicero, in deperdita oratione pro L. Vareno, Fulginiam Umbriæ oppidum mox præfecturam, mox municipium appellavit, ut fragmenta, quæ apud Quintilianum lib. V. cap. 13. & Priſcianum lib. 7. ex ea ſuperſunt, clare ſatis teſtantur. Ratio non

obſcura eſt. Cum enim univerſi Italiæ populi civitate a Pop. Rom. donabantur, etiam præfecturæ jus ſuffragii & magiſtratus Romæ petendi ſunt conſequutæ; ut tamen, quod ad juriſdictionem, manerent præfecturæ, id eſt curiarum jure & ſuis magiſtratibus juridicundo deſtitutæ. Fruſtra ergo eſt Valerius Chimentellius, cum ad marmor Piſanum, de honore biſellii cap. 4. nobis perſuadere conatur, præfecturas jam dudum ante Ciceronis tempora ſublatas eſſe. Neque enim lex Julia omnes oppidorum differentias abrogavit, ut ex Gellio ſupra jam vidimus, & Dio Caſſius lib. 54. in A. V. DCCXLI. Quatuorviros præfectos, qui ex XXVI. viris in Campaniæ præfecturas mittebantur, tum demum abrogatos eſſe tradit: οἵ τε τέσσαρες οἱ ἐς τὴν Καμπανίαν πεμπόμενοι, κατελέλυντο. *& quatuor, qui in Campaniam mittebantur, tunc abrogati erant:* non quod præfecturæ jam deſiiſſent, ſed quia eæ urbes, in quas antea miſſi, jam a Cæſare & Auguſto Coloniæ Romanæ erant factæ. Et ſi Ciceronis ævo nullæ ſupererant, cur, quæſo, toties earum meminit? in Piſonem cap. 22. *Meus quidem reditus is fuit, ut a Brunduſio uſque Romam, agmen perpetuum totius Italiæ viderem. Neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque PRAEFECTVRA, aut* co-

colonia, ex qua non publice ad me venerint gratulatum. Idem Philippica II. c. 24. *Horum flagitiorum iſte veſtigiis omnia municipia, PRAEFECTVRAS, colonias, totam denique Italiam impreſſit.* Quin Paulus Juriſconſultus earum mentionem facit lib. IV. tit. 6. §. 2. *Teſtamenta in municipiis, coloniis, oppidis, præfecturis, vico, caſtello, conciliabulo facta.* Licet hoc loco, poſt civitatem cum omnibus ingenuis communicatam, & diſcrimina civitatum ſublata, præfecturam coloniæ alicujus vicinam regionem malim interpretari, in quam magiſtratus colonici judices mittebant; de quo genere Siculus Flaccus de conditione agrorum & Wilhelmus Goeſius, in antiq. agrar. ſunt adeundi.

CAPUT IX.

ÆDILES CURATORES CIVITATUM.

I. *Ædiles curam habuerunt ædium privatarum, ex Legibus, SCtis, Edictis. Paulus in l. 52. D. de contr. emt. & l. 46. D. de damn. inf. explicatus.* II. *Curabant opera quævis publica, muros, portas, turres, capitolia, arcus & aquæductus.* III. *Maxime ædes ſacras. Nummus*

mus Corinthiorum in medium allatus. Chiſletius reprehenſus. IV. *Balneorum frequentium inſpectio apud Ædiles. Lux Alfeno, in l. 30. D. locati.* V. *Ædiles balnea præbuere. Ulpianus in l. 55. D. de legat. lib. 3. illuſtratur. Editus buum pro lignis. Ligna cocta. Balnea inter loca Ædilem metuentia. Juſtinus aliter, quam a Salmaſio, acceptus.* VI. *Viarum cura, in municipiis, Ædilitio muneri ex lapidibus literatis & fragmento Papiniani aſſerta.* VII. *Cujacius, Auguſtinus, Jac. Gothofredus aliique diſſentientes convincuntur. Papinianus fuſe illuſtratus.* VIII. *Ædiles pleraque ſtruxerunt ærarii impendio; quod ex Principum & privatorum liberalitate, aliisque modis implebatur. Mœnia lignea apud Aggenum explicata.* IX. *Scribæ Ædilium. Indomita nominis ſubſcribendi vanitas quousque repreſſa, ad l. 2. D. de op. publ.*

Nunc tempus eſt ad munera Ædilium pergamus, quæ explicatu facillima forent, ſi Papiniani liber ſingularis de officio Ædilium, integer ad nos veniſſet: ſed quia eadem, quæ tot præclaros Juriſconſultorum libros oppreſſit ruina, hunc quoque nobis eripuit, & in ampliſſima Juſtiniani

niani meſſe, ſteriles avenæ dominantur, age, ex libri iſtius fragmento, ceterisque, quæ ex magno naufragio ſuperſunt, inſcriptionum tabulis, dicendi materiem petamus; & munerum paritas cum Ædilibus Romanîs, magnam nobis facem prælucebit, quam velut certiſſimam cynoſuram ſequemur. Tullius Ædilium Curulium officia tribus his verbis complectitur, lib. III. de leg. c. 3. SVNTO. AEDILES.CVRATORES. VRBIS. ANNONAE. LVDORUMQUE SOLEMNIVM Eadem vero in coloniis & municipiis adeo perſpicua deprehendimus, ut nihil ſit, cur de iis dubitandum videatur. Ac primum quidem cura civitatum tribus maxime partibus abſolvitur: curatione ædium, balnearum & viarum. AEdes aliæ ſunt publicæ, aliæ privatæ: utrasque inchoatas conſummari, dirutas reparari, ruinam minitantes fulciri jubebant. Præterea hoc ipſis negotii datum fuit, cavere diligenter, ne ædificia conflagrarent incendiis, neve marmora eis detraherentur; ne recumberent parietes, aut ventrem facerent in publicum, vel ſpatia platearum anguſtarentur: in ſumma, curabant, ne ſymmetria, adſpectus & facies publica, cui immane quantum ſtudebant urbes opulentæ, ullo modo deformaretur. Enim vero ſuperba in coloniis celebrioribus, etiam

privatorum, fuiſſe ædificia, quibus Romæ matris moles & machinas ſtupendas æmularentur, Joſephus docet, cum lib. XV. Antiq. cap. 13. in colonia Cæſarea, ædes continuata ſerie marmore politiſſimo exſtructas fuiſſe, ſcribit; & Strabo lib. V. cum in colonia Antiate magnifica & ſplendida ædificia, excipiendis principum virorum ſeceſſibus laudat. Ad hæc autem ubivis conſervanda, Cn. Hoſidio Geta & L. Vagellio Coſſ. ſuffectis, conditum eſt celebre illud Senatus conſultum, quo tectorum Urbis & totius Italiæ aeternitati proſpectum ivit Claudius Imperator, ſtatuendo, ut qui negotiandi cauſa emiſſet quod ædificium, ut diruendo plus acquireret, duplam pecuniam, qua id mercatus, in ærarium inferret, ac venditio irrita eſſet. Integrum illud Sctum anonymum, ex tabula ænea, Reineſius dabit cl. VII. Inſcr. 11. & epiſt. 28. ad Rupertum. Repetiit Veſpaſianus, ſi vera eſt lectio *l.* 2. *C. de ædif. priv.* Hadriani quoque tempore, Acilio Aviola & Corellio Panſa conſulibus, vetitum eſt, promercii cauſa, ædificia demoliri & tigna, marmora typosve detrahere, Spartian. ej. vita cap. 18. eoque *l.* 52. *D. de contr. emt. l.* 45. *D. de donat. int. vir. l.* 41. *§.* 1. *l.* 43. *D. de leg. lib.* 1. *l.* 11. *§.* 14. *l.* 21. *§. f. D. de leg.* 3. *& l. ult D. de damn. inf.* referri

ferri debent. Idem Hadrianus edixit, ut is, qui ſolus ædes communes dirutas vel exuſtas reſtituiſſet, ſi alter ſumtus inferre nolit, ædium reſtitutarum dominus fieret, in *l.* 5. *C. de ædif. priv.* at Marcus poſt quatuor demum menſes earum dominium addixit, *l.* 52. *§.* 10. *D. pro ſocio.* Dein cum intermiſſa eſſet harum ſanctionum obſervantia, Alexander Severus in *dict. l.* 2. & Gratianus in *l.* 19. *C. Th. de oper. publ.* eas repetierunt; cenſentes publice intereſſe, ne civitates depoſitis ædificiis fierent deformes, *l.* 2. *§.* 17. *l. ult. D. ne quid in loc publ.* Hæc vero prohibitio uti privata ædificia reſpiciebat, ita Conſtantinus, Valentinianus ſenior & Honorius publica ornamenta unius civitatis, alterius ornandæ cauſa, a Præſidibus tranſferri vetuerunt; ne unius urbis ornatus alterius nuditate redimeretur *l.* 1. *l.* 14. *l.* 37. *C. Th. de oper. publ.* ubi vid. Jac. Gothofredus, item Cujac. lib. V. Obſ. cap. 26. lib. XIX. Obſ. cap. 19. Panciról. lib. II. var. lect. cap. 65. & Burmann. de vectig. cap. 6. Hæ vero leges in mores ut deducerentur, AEdilium cura fuit: ſcribit enim Varro lib. IV. de L. L. *Ædilis, qui ædes ſacras & privatas procuraret.* ſimilemque in modum de Athenienſium Aſtynomis, Heſychius generaliter ait: Ἀϛυνόμος ὁ διοικῶν κατὰ τὸ

ἄςυ. At quia AEdiles, in coloniis & municipiis majoribus, aliis multis muneribus preſſi huic curæ non ſufficiebant, ideo curatores reipublicæ in partem veniebant, tanquam Ædilium adjutores. Ita enim intellige, quod Paulus ſcribit, in *l.* 46. *D. de damno inf. Ad curatoris reipublicæ officium ſpectat, ut dirutæ domus a dominis exſtruantur.* Et profecto non eodem more civitates omnes regebantur, nec par ubique magiſtratuum cura. De Carthagine Salvianus lib. 7. de gubern. Dei: *Illic omnes rerum diſpenſatores, & differentes inter ſe tam gradu, quam vocabulo dignitates, omnium, ut ita dicam, platearum & compitorum procuratores, cuncta ferme & loca urbis & membra gubernantes.* Contra in minoribus nulli erant magiſtratus, ſed tantum defenſores, *l.* 30. *C. de donat.*

§. II. Proprium magis Ædilibus fuit, opera quævis publica procurare, curiam, fora, theatra, ſtadia, horrea, ergaſteria, mœnia, portas, navalia, porticus, aquæductus, cloacas, & cetera, in quorum uſu *præcipua civitatis* conſiſtere dicuntur in *l.* 35. *D. ad municip.* inſtaurare, tueri ac providere, ut ea omnia ſarta tecta, integra & incorrupta conſervarentur, cunctisque ornamentis, quæ gratiam conciliare poſ-

poſſent, largiter inſtruerentur. Hæc enim rurſus melioris notæ municipia & coloniæ illuſtres ab Urbe, velut membra a capite ſuo, mutuatæ ſunt; id operam dantes, ut ſi impenſarum magnitudine ei pares eſſe nequirent, ſaltem elegantiæ laude in operibus non vincerentur. Satis hoc in Italia permanens ad hæc uſque tempora coloſſeum Veronae, integrum Pantheonis marmorei lacunar Patavii, & arcus triumphales Arimini, Anconae ac alibi teſtantur. In Galliae quoque colonia Copia Claudia Auguſta Lugdunenſium exuſta, *tot pulcherrima opera, quæ ſingula illuſtrare urbes ſingulas poſſent, una nox ſtravit*, ait Seneca, epiſt. 91. Amphiteatri & thermarum ejus publicarum meminit Euſebius, & fornices aquaeductuum a ſexto lapide, aliaque a Sponio laudata adhuc ſuperſunt. Non minus Apollinaris carm. 23. Narbonem a muris, portis, porticibus, foro, theatro, arcubus thermiſque commendavit, cujus verba brevitatis cauſſa praetermitto. Præ ceteris quidem eminebant urbes metropoles, & civitatum matres, a magnificentia *ſplendidiſſimæ* vel *ornatiſſimæ* dictæ, ut ſupra vidimus, ſed & *Atina potens Tiburque ſuperbum* appellatur Virgilio lib. VII. Æneid. vſ. 630. Cicero Puteolos *parvam Romam* vocavit,

quorum opera publica Scipio Mazzella, in tom. IX. Theſ. Ital. part. 4. quemadmodum Alexander Squadronus, in faſciculo laudum Regii Lepidi, ejus coloniæ *Campum Martium*, qui etiam Veronæ & Mediolani, deſcripſit eod. tom. part. 7. Generaliter Pauſanias lib. 10. ſive in Phocenſibus, ait: *Urbs ea eſt Phocenſium, ſi modo urbem appellare par fuerit, in qua non prætorium, non gymnaſium, non theatrum, non forum ullum ſunt, non denique ullum perennis aquæ receptaculum.* In ſingulis enim municipiis fere ſtadia, circi, theatra, amphitheatra, & porticus reperiebantur, ad ſolem pluviamque ab ambulantibus arcendam, exſtructæ & exornatæ *l. 6. D. de auro & arg. leg.* In his ſtatuæ marmoreæ, æneæ, argenteæ, auro ſuperfuſæ *l. 29. D. de reb. auct. jud. poſſ. l. fin. D. de loco publ. fru.* Lapis Gruter. 5. pag. 169. SCHOLAM. CVM. STATVIS. ET. IMAGINIBVS. ORNAMENTISQVE. OMNIBVS. FECIT. Plinius lib. XXXIV. c. 4. *Et jam omnium MVNICIPIORVM foris ſtatuæ ornamentum eſſe cœperunt, prorogarique memoria hominum, & honores legendi ævo baſibus inſcribi, ne in ſepulcris tantum legerentur.* Quid? quod eo etiam proceſſerunt coloniæ ambitioſæ, ut arcibus ſuis ob magnificentiam Capitolii nomen

men imponerent: in Italia Aquileja, Capua, Beneventum, Nola, Ravenna, Florentia & Mediolanum; in Gallia Nemauſus, Toloſa, Narbo & Auguſtodunum; in Belgica Treviri & Agrippina; in Vindelicia Auguſta; in Africa Carthago: cujus rei teſtimonia qui deſiderat, eum ad Politiani epiſt. 2. Pithœi lib. II. Adverſ. cap. 18. Velſeri R. A. V. lib. V. pag. 259. Rycq. de Capitol. cap. 47. Turr. de diis Aquilej. pag. 316. & Cuperi ad Lactant. de mort. perſ. cap. 19. obſervationes ablego, cum omnes enumerare longum ſit. In his vero ſpecioſa victoriarum monimenta erigebant coloni, arcusque triumphales, quibus ceteros ſupra mortales victores efferrentur: qualia etiamnum durantia, in Capitolio Veſontionenſi Sequanorum ſpectari, ajunt, & coloniae Arauſionum praeſtantiſſimos arcus ex parietinis depingit & illuſtrat Joſephus de la Piſe pag. 19. & ſeq: Quid denique cloacas, rivos, aquaeductus, nymphaea, & ejusmodi alia opera publica recenſeam, quae in coloniis ad ſplendorem & miracula urbis dominantis fuerunt compoſita? ad quae eleganter Poëta alluſit lib. III. Æneid. vſ. 349.

Procedo, & parvam Trojam, ſimulataque magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum

 Agno-

Agnoſco, Scæaeque amplector limina portæ.
Omnibus autem his præpoſiti erant AEdiles, ut veteres inſcriptiones ſatis declarant. Apud Reineſium cl. 2. n. 30. T. Turranius Rufus coloniæ Auguſtæ Jaderenſi, ob honorem AEdilitatis, porticum longam pedes centum, latam pedes viginti & ſcenam latrægum exſtruxit. Pariter Urbini in Piceno C. Veſidienus Baſſus AEdilis aquam novam conquirendam, ac in municipium perducendam, & Nymphæum faciendum, pecunia publica curavit, apud Gruterum 7. pag. 485. Et C. Dextius Maximus AEdilis porticum theatri cryptam perſiciundam curaſſe laudatur apud Fabrett. cap. 9. n. 160. Elegantiſſimus denique eſt lapis Fundis repertus, ſi Gruterum pag. 168. ſequimur, vel Terracinæ, ut Gudius ait pag. 73. n. 7.

L. NVMISTRONIVS. L. F. DECIAN
C. LVCCIVS. M. F. L. N. MESS
AED. PORTAS. TVRREIS
MVRVM. EX S. C.
FACIVND. COERARVNT
EIDEMQ. PROBARVNT

§. III. Illud hic etiam obſervatu dignum puto, ædes ſacras, in coloniis & municipiis, ſumtibus ambitioſiſſimis exſtructas eſſe. Plinius lib. XXXV. cap. 12. *Faſtigia templorum etiam in Urbe crebra & MV-*


NI-

NICIPIIS, mira cælatura & arte ævique firmitate certiora auro, certe innocentiora. Tacitus lib. III. Hiſt cap. 34 *Mox rediit Cremonam reliquus populus: repoſita fora templaque, magnificentia municipum.* Auſonius, de templo Narbonis coloniæ convulſo, carm. 13.

Quodque tibi quondam Pario de marmore templum
Tantæ molis erat, quantam non ſperneret olim
Tarquinius, Catulusque iterum, poſtremus & ille,
Aurea qui ſtatuit Capitoli culmina Cæſar.

Has autem AEdiles ad cultum Deorum inſanis impendiis conſtruebant, ornabant & magna cum religione conſervabant; lapſas, nutantes aut fortuitis caſibus concuſſas reparabant, priſtinumque ſplendorem reducebant. Origo vocis hoc ſatis indicat, quam ſupra variorum auctoritate aſſertum ivimus, quibus nunc tria argumenta accedant, e coloniis petita, ſed omni exceptione majora. Ex Pauſania notum eſt, coloniam Corinthum quam plurimis Deorum domiciliis ſuperbiiſſe: Jovi enim Capitolino, Minervæ, Neptuno, Iſidi, Mercurio, Veneri, AEſculapio, Dianæ & Bellerophonti delubra ibi ſacrata erant, quæ omnia curaſſe AEdiles, vel ex uno num-

mo apud Vaillantium, in nummis colon. pag. 176. conjicere licet, in quo L. Caninius Agrippa, in munere AEdilitatis, quo Corinthi functus, templum quadratum columnis ſuffultum ædificaſſe aut inſtauraſſe conſpicitur: en ejus ectypum:



Sed & Cicero AEdilitii hujus muneris locuples auctor eſt, IV. Verr. cap. 43. ubi cum tradidiſſet Apollinis & Herculis ſimulacra, quæ in templis Agrigentinorum ſanctiſſime colebantur, per vim & improbos adjutores a Verre ſublata eſſe, adjicit: *Itaque ab illis, qui principes in ea civitate erant, præcipitur & negotium datur Quæſtoribus & Ædilibus, ut noctu vigilias agerent ad ædes ſacras.* Isque mos ſequutis temporibus duravit, & quibusdam in urbibus adhuc durat, ut valde mirer, cur Claudius Chifletius, in ſtatu reip. Romanæ ſub Conſtantino, ſacerdotibus ſacrorum, AEdilibus vero publicorum tantum &

& privatorum ædificiorum curam aſſignarit: illi enim in fanis ſacra civitatum curabant, Ædiles vero ipſa fana, ſive aedes ſacras, ut ex his teſtimoniis cuique patet, quibus adjungo marmor apud Gudium pag. 70. Inſcr. n. 1. in quo de P. Lucilio Ædile coloniae AEDEM. VOLCANI. SVA. PECVNIA. RESTITVIT. IDEM. AEDEM. CERERIS. SVA. PECVNIA. RESTITVIT. IDEM. ÆDEM. SPEI. SVA. PECUNIA. RESTITVIT.

§. IV. Ad balneas igitur progredior, quarum cura terris calidis apprime fuit neceſſaria, atque in civitatibus quibuscunque Ædilitiis merito officiis annumerata. Nam quia lini & caligarum uſus apud Veteres erat rarior, nudis etiam pedibus ac tibiis plerique incedebant, omnino valetudinis conſervandae ergo, lavacris opus erat, in quibus plebs, populus, & viri principes corpus laboribus ruſticis feſſum reficerent, ac poſt exercitationes ſudorem & ſordes abluerent ex pulvere contractas. Hinc uſus earum imis juxta ac ſummis, viris & feminis fuit frequentiſſimus; praeſertim cum in voluptatum illecebras & vitiorum delinimenta degeneraſſent. Neque vero Romae tantum numerus eorum in infinitam multitudinem excrevit, ſed & in omni oppido, & quandoque vico, publica balnea, gratuita vel mercenaria aedificata

ta fuerunt: cujus rei ſi teſtimonia apponam, & meo & Lectoris otio abuti videar; cum in ditiorum etiam villis ſtata & perpetua eſſent. De balneis Tiburtinis loloquitur *l.* 35. *§.* 1. *D. de legat. lib.* 3. de Cremonenſibus Tacitus l. III. Hiſt. c. 32. de Corinthiis Pauſanias lib. II. pag. 46. de Pruſenſibus Plinius lib. X. epiſt. 34. de Anthiochenis *l.* 131. *C. Th. de decur.* & Libanius in Antiochico pag. 376. his verbis: *Verum quis lavacra non valde miraretur? quædam enim brumæ convenientia: quædam æſtati congrua: nonnulla abſque validis ſpiritibus: alia veluti meteora ſublimiave, nihil cum terra commune habentia.* Inter Italiae balnea, Patavina, Piſana, Bajana & Neapolitana valde ſunt celebrata, ex quibus, tanquam ex medico naturae promtuario, ſalus corporum eliciebatur; ſed maxime Puteolana, de quibus Joh. Franc. Lombardus & Jul. Caeſar Capacius profeſſa opera ſcripſerunt, Theſ. Ital. tom. IX. part. 4. Bononiae quoque publica & gratuita balnea Bapt. Capponius & Alexander de Nigris laudarunt, apud Malvaſ. marm. Felſin. pag. 109. ſeq. Hinc lavationes illae gratuitae vicanis, municipibus, incolis, colonis & hoſpitibus conceſſae leguntur in titulis, apud Aldum Manucium Orthogr. pag. 99. & Gruter.

pag.

pag. 180. ſeq. 376. n. 5. & 494. n. 5. quibus lapis vetus de thermis Narbonenſibus, a Sidonio laudatis, addatur apud Petrum de Marca Marc. Hiſp. lib. 1. cap. 8. n. 5. Romae quidem eorum cura pertinebat ad Ædiles: nam Seneca, temporis ſui luxuriam notans, epiſt. 86. *Dii boni*, inquit, *quam juvabat illa balnea intrare obſcura & gregali tectorio inducta, quæ ſcires Catonem tibi Ædilem aut Fab. Maximum, aut ex Corneliis aliquem manu ſua temperaſſe? Nam hoc quoque nobiliſſimi Ædiles fungebantur officio, intrandi ea loca, quæ populum receptabant, exigendique munditias, & utilem ac ſalubrem temperaturam.* In coloniis vero & municipiis eorum inſpectio Quaeſtoribus commiſſa eſſe videtur: Gellius enim lib. X. Noct. Att. cap. 3. ex Gracchi oratione, de legibus promulgatis, hæc conſignavit: *Quæſtori Sidicino à M. Mario datum eſt negotium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur.* dein: *Ferentini ob eandem cauſſam Prætor noſter Quæſtores arripi juſſit.* Scrupulus hic torſit Rævardum lib. 11. conjectan. cap. 3. verum ſicut Tullius ſupra Ædilibus Quæſtores jungit, ac utriſque negotium datum eſſe, ait, noctu ut vigilias agerent ad ædes ſacras, etſi cura earum propria Ædilium eſſet; ſic & hic Quæſtoribus præceptum fuit,

fuit, ut e balneis expellerent eos, qui lavabantur: non quod his ſolis balneorum cura impoſita eſſet, ſed forte extra ordinem, vel quia AEdilium erant adjutores; ut cuilibet muneri publico plures ſaepe praeeſſe convenit & neceſſarium eſt. Sic in urbe Praefectus annonae & vigilum, ut & Tribunus fori ſuarii & Rationalis vinorum fiſcalium adjutores erant Praefecti Urbi, Optiones in officio officinatorum monetae; Subadjuvae in Schola Agentium ſub diſpoſitione Magiſtri officiorum, & ſimiles alii. AEdiles vero balnea ad uſum & dignitatem civitatum aedificabant, hypocauſto, lavacro, frigidario, & apodyterio inſtruebant, eaque cultu etiam ſplendido publicis ſumtibus exornabant: ut hic non ab re uſurpare liceat, quod de magicis quibusdam herbis ſcribit Plinius lib. XXVI. cap. 4. *Mirum eſſet profecto, huc uſque provectam credulitatem antiquorum, ſaluberrimis ortam initiis ſi in ulla re modum humana ingenia noviſſent. Sed hæc eſt in omni re animorum conditio, ut a neceſſariis orſa primum cuncta venerint ad nimium.* Quo vero laborum molem ferrent facilius, in quibuſcunque Italiae oppidis collegia erant dendrophororum, qui ſilvam infindebant, carbones torrebant, ligna advehebant & praebebant fornacibus

ſuc-

ſuccendendis neceſſaria. Vide Gruter. 7. pag. 175. & 6. pag. 350. De Agrippa refert Dio Caſſius lib. 49. quod toto AEdilitatis anno, balneorum lavacra tam viris, quam feminis gratuito praebuerit, ne quadrans balneariam exercentibus praeſtandus eſſet: ſic etiam in municipiis AEdiles quandoque, ad populi favorem captandum, durante magiſtratu, lavationem gratuitam parabant. Ita enim in *l.* 30. *§.* 1. *D. Locati* Alfenus: *Ædilis in municipio balnea conduxerat, ut eo anno municipes gratis lavarentur.* Si balnea AEdilis gratuita praebuit, igitur & ligna, oleum pro luminaribus, inſtrumenta balneatoria, fornacatores & miniſteria, lavantibus apparentia, de ſuo dedit, ne reditus publici exhaurirentur. *Conduxerat* autem non a municipio, id enim, pariter ac in Urbe, prohibitum erat, quia ſiniſtri aliquid lex ſuſpicabatur *l.* 4. *l.* 6. *§.* 2. *D. de decur. l.* 2. *§.* 1 *D. de admiſtr. rer. ad civit. pert.* ſed a mancipe, qui per balneatores ſervos in municipio lavacra exercebat, *l.* 58. *§.* 2. *D. locati.* Hos inter Trajani aetate clariſſimos etiam poëtas fuiſſe, queritur Juvenalis ſat. VII. vſ. 4. qui propter egeſtatem, quaeſtus ſui cauſſa,

Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent.

§. V. Mancipes vero quando certis annis

nuis nummis balnea reipublicae praeſtanda conducebant, tunc AEdiles, tanquam minuti Cenſores, locationis conditiones publicis tabulis proponebant; inter alias etiam, ne balneatores virgultis oleagineis, lolio herbulisve thermas calefacerent, ut Plutarchus ſcribit lib. IV. Quaeſt. nat. cap. 10. *Ignis ex olea inimicus eſt balneis, & tabulata ac fornices funditus labefactat. Ideo periti ÆDILES non permittunt balnearum redemtoribus igneis oleagineis uti, ſicut nec lolium conjicere in ignem & herbam.* Qui locus me admonet, ut deſultorum in morem, ad elegans Ulpiani fràgmentum tranſiliam, illudque ab intempeſtiva cujusdam emendatione liberem. Ait is in *l.* 55. *§.* 5. *D. de legat. lib.* 3. *Ligni appellatione, in quibusdam regionibus (ut in Ægypto, ubi arundine & ligno utuntur, & arundines & papyrum comburunt) & herbulæ quædam, vel ſpinæ, vel vepres continentur.* Pro *herbulæ* quidam malebat *ſtipulæ*, quod his tanta in quibusdam Italiae oris fuit firmitas, ut eis pro lignis uterentur, auctore Plinio lib. XVII. cap. 4. *Inter argumenta* (optimae terrae) *ſtipulae craſſitudo eſt, tanta alioqui in Laborino Campaniæ nobili campo, ut ligni vice utantur.* Sed apage ſtipulas! Plutarchus enim ſatis aperte ſcribit, balnearum redemtores, ad fornaces ſuccen-

cendendas, herbulas pro lignis uſurpaſſe: id quod vetuerunt AEdiles, in legibus locationis caventes, ne herbulae ligni appellatione continerentur, ſecus quam in legatis. Pergit Ulpianus, eodem capite §. 6. *In quibusdam provinciis & editu buum ad hanc rem utuntur*, id eſt, ſtercoribus egeſtis; vel ut Gloſſa exponit, quae comedunt & poſtea ſtercorant. Vox rara, ſed res veriſſima eſt. Idem enim prodit Livius lib. XXXVIII. cap. 18. *Axylon ab re nomen habet, non ligni modo quicquam, ſed ne ſpina quidem, aut ullum aliud alimentum fert ignis. fimo bubulo pro lignis utuntur*. Fugiebat me olim quæ ſint *ligna cocta, ne fumum faciant*, quorum Ulpianus proprium genus conſtituit, in *§. ſeq.* & in *l.* 167. *D. de V. S.* quæ ex eodem lib. XXV. ad Sabinum, quanquam nimis dure & imperite, judicio Auguſtini & Labitti, deſumta eſt. Sed didici a Catone, ligna amurca macerata & in ſole cocta nullius fumi tædio ardere, de Re ruſt. cap. 130. *Codicillos oleagineos, & cetera ligna amurca cruda perſpergito, & in Sole ponito, perbibant bene: ita neque fumoſa erunt, & ardebunt bene.* Idem ex Plinio Barrientus annot. cap. 16. & Rævardus lib. II. conj. cap. 13. obſervarunt. Martialis lib. XIII. ep. 15. & Galenus lib. I. de antid. cap. 8.

ligna ἄκαπνα vocant, quod fumum non emittunt. Huc item pertinet, quod Helvius Succeſſus, Pertinacis pater, dicitur tabernam *coctiliariam* exercuiſſe, apud Capitolin. ej. vit. cap. 3. quodque Valerianus apud Trebellium vita Claudii cap. 14. inter lignorum ſpecies refert *coctilium quotidiana batilla quatuor*: ubi plura interpretes doctiſſimi & Scaliger ad Euſeb. 2209. Addamus & hoc obiter; quemadmodum in Urbe Ædiles, in balneis verſantes meretrices coercebant, & Seneca cap. 7. de vita beata, balnea & ſudatoria vocat *loca Ædilem metuentia*: ſic iidem in coloniis & municipiis quæſtuaria mancipia e balneis exegiſſe videntur. Ita Ulpianus in *l*. 4. §. 2. *D. de his qui not. inf.* ſcribit: *Sive balneator fuerit, velut in quibusdam provinciis fit, in balneis ad cuſtodienda veſtimenta conducta habent mancipia, hoc genus obſervantia in officina, lenocinii pœna tenebitur.* Corinthi ſane, antequam colonia Romana eſſet, Dionyſius junior *apud Ædiles adverſus lenones jurgabatur*, teſte Juſtino lib. XXI. c. 5. atque idem poſtea officium apud hos manſiſſe nullus dubito: nam & ritus colonorum patrius id ita popoſcit, cujus diligentior cuſtodia in coloniis plerumque manebat, auctore Vellejo lib. II. cap. 4. Perperam vero Salmaſ. ad jus Attic. cap. 25.

ex

ex dicto Juſtini loco probare nititur, Ædiles meretricibus jus dixiſſe, mercedem pactam & non ſecutam petentibus. Quid enim? nonne alias jurgii cauſas captare potuit homo, cum perditiſſimo quoque de minimis rebus diſceptare ſolitus? & nonne rei partibus fungi debebat, ſi in mora ſolvendi fuiſſet? Plutarchus in Timol. cap. 19. ipſum joco cum meretricibus certaſſe ſcribit. Vid. Præfat. ad tom. 11. Theſ. jur. Rom.

§. VI. Sequitur ut poſtremam Aſtynomiæ partem Ædilibus etiam noſtris aſſertum eamus, nimirum curam viarum publicarum. Hæc enim ut ab ipſis mundi cunabulis omni populo, reipublicæ aut civitati, ob multijugam utilitatem, fuit commendatiſſima; ſic in coloniis & municipiis inter primas numerabatur. *Publice enim intereſt ſine metu & periculo per itinera commeari.* Didicerant hoc rurſus ab Urbe parente, quæ magnis impendiis, non ſilice tantum, ſed etiam ſaxis pretioſiſſimis, Lacedæmoniis, Porphyreticis, & id genus aliis plateas & vias militares adeo adornabat, ut Dionyſius & Strabo earum magnificentiam inter tria Urbis decora referre non dubitarint. Hanc, inquam, licet non paſſibus æquis, æmulabantur coloniæ, omnem moventes lapidem, ut ne vias ha-

 berent

berent ſcabras, cœno lubricas, aut lacunoſis incilibus voraginoſas, quæ civium itum & reditum morari poſſent. Indicat nobis inſcriptio Gruter. 2. pag. 149. vias omnes Arimini ſtratas fuiſſe. Auſonius de Burdigala:

Diſtinctas interne vias mirere, domorum
Diſpoſitum, & latas nomen ſervare plateas.

Clamant hoc etiam ſollicita Imperatorum edicta, ne viæ per Italiæ oppida inſignes ſoleis equorum ferreis læderentur, aut vehiculorum ſupra modum onuſtorum pondere corrumperentur. Suetonius de Claudio lib. v. cap. 25. *Viatores, ne per Italiæ oppida, niſi aut pedibus, aut ſella, aut lectica tranſirent, monuit edicto.* Spartianus in Hadriano cap. 22. *Vehicula cum ingentibus ſarcinis Urbem ingredi prohibuit. Sederi equos in civitatibus non ſivit.* De Marco Capitolinus cap. 23. *Sederi in civitatibus vetuit equis, ſive vehiculis.* Vopiſcus denique de Aureliano, Antiochiam ingreſſuro, cap. 5. *quia invidioſum tunc erat vehiculis in civitate uti, equus ei Imperatoris applicitus.* Juriſconſulti quoque Hermogenianus & Javolenus viæ publicæ munitiones ad civitatum munera retulerunt, in *l.* 1. *§.* 2. *&* *l.* 12. *D. de muner.* & Chariſius in *l.* 18. *§.* 7. *&* 15. *eod.* electos ait, qui vias facerent, & vicinos poſſeſſores com-

compellerent ad refectionem. Paulus urbis vias ad magiſtratus pertinere ſcribit, in *l.* 2. *§.* 24. *D. ne quid in loc. publ.* Romæ, nimirum, ad Cenſores, Quatuorviros & AEdiles: quorum illi vias militares & urbanas ſternebant, hi vero, exemplo Aſtynomorum Athenienſium, purgamenta, ſordes, ſtercora, animalia noxia, & quicquid platearum uſui officeret removebant, uti multis probavi, de tut. viar. publ. part. 11. cap. 3. In coloniis autem et municipiis non una viarum fuit conditio: nam publicæ & militares publico ſumtu a Principibus, Præſidibus et Curatoribus per milites legionarios muniebantur, Liv. lib. 39. cap. 2. Tacit. lib. 1. Ann. c. 20. Vicinales autem vias, quæ de publicis ad agros divertuntur, curabant magiſtri pagorum, et operas à poſſeſſoribus agrorum exigebant, aut cuique certa ſpatia aſſignabant, auctore Siculo Flacco de condit. agror. pag. 9. In ipſis autem municipiis Magiſtratus vias ſternebant purgarique jubebant: et licet quandoque hujus rei inſpectio extra ordinem curatoribus mandata fuerit, ſtatus tamen et certus magiſtratus Viocurus erat Ædilis. Nec verbis opus eſt, rem teſtem dabo. Refert Capacius inſcriptionem elegantem, adverſus quam non audienda erit contraria pro-

 batio,

batio, Neapoli in ædibus Bernardini Rotæ inventam:

IVLIVS. FRONTO. AED. DVXIT
VIAM. A. FORO. FECIT ---
FECIT CLIVOM -----

Alia eſt apud Fabrettum cap. IX. 517. Urbini viſa: C. VESNIVS. AEDIL. IIII. VIR. VIAR. CVRANDAR. & pulcherrima Beneventi reperta, apud eundem num. 72. et Gudium pag. 72. n. 5.

C. ENNIVS. M. F
C. BERGONIVS. Q. F
AEDIL
VIAM. STRAVERVNT
ET. LACVVS. FECERVNT

Rurſus pag. 70. n. 1. Gud. P. Lucilius AEdilis coloniæ VIAM SILICE STRAVIT, & alia Cremonæ, in via publica deſcripta pag. 73. n. 1.

T. PRAESENT.
IVS. Q. F. P. HE.
LVECIVS. P. F.
AED. OB. HONOREM
IN. VIAM. H. S.

Papinianus etiam, in libro ſingulari de officiis Aſtynomorum, cujus fragmentum in titulo Digeſtorum *De via publica & ſi quid* ſupereſt, AEdilibus curæ fuiſſe ait, uti mundæ eſſent viæ publicæ, & lapidibus

bus adæquentur, ab iis qui proximas ædes poſſident; ut ponticulos conſtruant, ubi res exegerit, quibus τέλος ἀδοςρωσίας incumbit; neve fimus, ſtercora aut cæſorum animalium exuviæ projiciantur, aut quicquam in via publica fiat, quo populo iter ſit deterius. Purgamenta enim in trivio omnibus non tantum impedimento erant, ſed & adeo inviſa, ut ea vel pede calcaſſe nefarium haberetur, & mali alicujus præſagium. Vid. Cl. Burmann. ad Petron. cap. 134. Juvabit ipſum Papinianum eo magis Græce loquentem audiſſe, quod ejus verba in plerisque, etiam in præſtantiſſima illa, quam Simon Leuvvius adornavit, editione deſiderantur: Οἱ ἀςυνομικοὶ ἐπιμελείσθωσαν τῶν κατὰ τὴν πόλιν ὁδῶν, ὅπως ἂν ὁμαλισῶσι, καὶ τὰ ῥεύματα μὴ βλάπτῃ τὰς οἰκίας, καὶ γέφυραι ὦσιν, οὗ ἂν δέῃ. §. I. Ἐπιμελείσθωσαν δὲ ὅπως οἱ ἴδιοι τοῖχοι ἢ τῶν ἄλλων, ἢ τῶν περὶ τὰς οἰκίας ἃ εἰς τὴν ὁδὸν φέροι μὴ σφαλερά· ἢ ἵνα ὡς δεῖ, καθαίρωσιν οἱ δεσπόται τῶν οἰκιῶν, καὶ ἐπισκευάζωσιν. Ἐὰν δὲ μὴ καθαίρωσι, μηδὲ ἐπισκευάζωσι, ζημιούτωσαν αὐτοὺς, ἕως ἂν ἀσφαγῆ ποιήσωσιν. §. II. Ἐπιμελείσθωσαν δὲ ὅπως μηδεὶς ὀρύσσῃ τὰς ὁδοὺς, μηδὲ χωννύῃ, μηδὲ κτίσῃ εἰς τὰς ὁδοὺς μηδέν. εἰ δὲ μὴ, ὁ μὲν δοῦλος ὑπὸ τοῦ ἐντυχόντος μαςιγούσθω, ὁ δὲ ἐλεύθερος ἐνδεικνύσθω τοῖς ἀςυνόμοις: οἱ δὲ ἀςυνόμοι ζημιούτωσαν κατὰ τὸν νόμον, καὶ τὸ γεγονὸς καταλυέτωσαν. §. III. Ἐπισκευάζειν δὲ τὰς ὁδοὺς τὰς δημοσίας κατὰ τὴν αὐτοῦ οἰκίαν ἕκαςον, καὶ τὰς ὑδρορρόας ἐκκα-

ἐκκαθαίρειν τὰς ἐκ τοῦ ὑπαιθρίου, καὶ ἐπισκευάζειν οὕτως, ὡς ἂν μὴ κωλύῃ ἅμαξαν ἐπ εἶναι. Ὅσοι δὲ μισωσάμενοι οἰκοῦσιν, ἐὰν μὴ ἐπισκευάζῃ ὁ δεσπότης, αὐτοὶ ἐπισκευάσαντες ὑπολογιζέσωσαν τὸ ἀνάλωμα κατὰ τὸν μισὸν. §. IV. Ἐπιμελείσθωσαν δὲ καὶ ὅπως περὶ τῶν ἐργαστηρίων μηδὲν περικείμενον ᾖ, πλὴν ἐὰν κναφεὺς ἱματία ψύγῃ, ἢ τέκτων τρόχους ἔξω τιθῇ. τιθέσθωσαν δὲ καὶ οὗτοι, ὥστε μὴ κωλύειν ἅμαξαν βαδίζειν. Μὴ ἐάτωσαν δὲ μηδὲ μάχεσθαι ἐν ταῖς ὁδοῖς, μηδὲ κόπρον εκβάλλειν, μηδὲ νέκρα, μηδὲ δέρματα ῥίπτειν. *ÆDILES ſtudeant, ut quæ ſecundum civitates ſunt viæ, adæquentur, & effluxiones non noceant domibus, & pontes fiant, ubicunque oportet. §. 1. Studeant etiam, ne eorum aut aliorum parietes, etiam domorum qui ad viam ducunt, ſint caduci: ſed ut oportet, emundent domini domorum, & conſtruant. Si autem non emundaverint, neque conſtruxerint, multent eos, quouſque firmos effecerint. §. 2. Curent autem, ut nullus effodiat vias neque ſubruat, neque conſtruat in viis aliquid. Si autem ſervus quidem fuerit ab obviante fuſtigetur: ſi liber, demonſtretur Ædilibus: Ædiles autem multent ſecundum legem, & quod factum eſt diſſolvant. §. 3. Conſtruat autem vias publicas unusquisque ſecundum propriam domum, & aquæ ductus purget, qui ſub dio ſunt, & conſtruat ita, ut non prohibeatur vehiculum tranſire. Quicunque autem mercede habitant, ſi non conſtruat*

ſtruat dominus, ipſi conſtruentes computent diſpendium in mercedem. §. 4. Studeant autem ut ante officinas nihil (projectum ſit, vel) propoſitum, præterquam ſi fullo veſtimenta ſiccet, aut faber currus exterius ponat. Ponant autem & hi, ut non prohibeant vehiculum ire. §. 5. Non permittant autem rixari in viis, neque ſtercora projicere, neque morticina, neque pelles jacere.

§. VII. Quæ ſingula ſi quis cum iis, quæ de Athenienſium Aſtynomis Plato lib. VI. de Rep. & de Romanorum AEdilibus Plautus, Dio et Ulpianus, in *l.* 40. *& ſeqq. D. de Ædilit. edicto* tradiderunt conferat, vivam utrorumque imaginem in AEdilibus municipalibus deprehendet. Neque aſſentior Jac. Gothofredo, qui ad *l.* 2. *C. Th. de itin. mun.* fragmentum illud ad AEdiles urbanos retulit: quid enim cauſæ fuiſſet, cur Papinianus eorum munus Græca lingua exponeret? et cur Aſtynomos ſuos jubet ſtudere, ut viae ſecundum quamque *civitatem* exaequentur, et qui vias effodiunt, ſecundum cujusque municipii *legem* multentur? niſi quod AEdiles Græcanicarum civitatum de munere ſuo inſtruit; ad quos etiam hunc librum pertinere recte Heraldus ſenſit, animadv. in Salmaſ. jus Attic. lib. V. cap. 18. n. 11. Aliorum vero, ut Joſephi de Ruſticis et

Mynſingeri pravas interpretationes rejeci in vita Papiniani cap. 4. §. 3. et cap. 12. §. 5. Quid autem faciemus ſummo Cujacio, qui tum in notis ad hanc legem Papiniani, tum lib. XXII. Obſerv. cap. 31. ordinario munere ad AEdiles, ſive Urbanos, ſive municipales, viarum curam pertinuiſſe negat, quod alius ſit AEdilis, alius vero Aſtynomus? Quid regeremus Antonio Auguſtino, in notis ad Modeſtini *l. 6. §. 8. D. de excuſat.* viarum inſpectionem ad AEdilitias curas vix extendendam exiſtimanti? Quid aliis denique reſpondebimus minorum gentium interpretibus, qui ut grus gruem hos ſupremi ordinis viros ſequuntur? Sed non eſt quod Delphos hac propter mittamus: demſimus enim jam ſupra velum, ut aliquid lucis hic affulgere poſſit, ubi ex Gloſſis veterum, ex Arriano, variisque rationibus demonſtravimus, AEdiles in Graecanicis civitatibus promiſcue Agoranomos vel Aſtynomos vocatos eſſe. His auctarii loco nunc addatur Libanius declamat. 36. ubi moroſus pater, filium abdicans, apud utrosque Athenis queritur de fori immunditie: verba ejus pag. 794. ita ſeſe habent: Ἀγορανόμοι ἢ καὶ ἀστυνόμοι οὕτω καταφρονοῦντας αὐτῶν οὐ κολάζετε. οἳ τοσοῦτον νέμουσιν ἐπιμελέιας τῇ πόλει, ὥστε λίμνας ὅλας ἐν αὐτῇ συνεστᾶναι, καὶ ὀλίγους εἶναι τῆς ἀγορᾶς πολλαχοῦ.

vertit

vertit Morellus: *Fori autem & annonæ præfecti atque Ædiles, ita leges deſpicientes non caſtigatis? qui tantum urbi curæ impendunt, ut paludes totas in ea conſtituant, & loci paſſim occurrant in foro perlubrici.* Hoc itaque ſubducto fundamento, in fumum abit quicquid Cujacius ei ſuperſtruxit. Quod ſi quis autem huic nondum ſatisfactum putet, dabimus in quo acquieſcat. Ait Papinianus in § 4. Aſtynomis ſtudendum eſſe, ne quid ante officinas in via publica projectum ſit, aut propoſitum. Idem vero Paulus de Ædilibus affirmat, in *l.* 12. *D. de peric.* & *comm. rei vend. Lectos*, inquit, *Ædilis, cum in via publica poſiti eſſent, concidit.* Dixit Papinianus in §. 5. Aſtynomos operam dare oportere, ut ſtercora, fimus & quisquiliæ ejiciantur. Id ipſum rurſus ad Ædilium officia retulit Plautus in Sticho Act. II. ſc. 2. vſ. 27. cum Dinacio ſervulo comice imperanti:

Cape illas ſcopas, tu hoc converte.

Gelaſimus paraſitus, apud ſe vel ad auditores converſus, belle ſubjicit, quod nunc in adagio eſt:

Sine ſuffragio populi hic quidem Ædilitatem gerit.

Ad Ædiles etiam digitum intendit Geta in Truculento Actus II. Sc. 7.

Qui

Qui bona ſua pro ſtercore habet, foras jubet ferri: metuit
Publicos. mundiſſimu' ſt.

§. VIII. Reſtat ut ſumtus, quibus pretioſa illa, quæ enarravimus, opera publica curarunt Ædiles, videamus. Et plerumque quidem ex reditibus civitatis pecunia iis ſubminiſtrata eſt, arg. *l. fin.* §. 5. *D. de mun.* atque ideo apud Gruter. n. 7. pag. 485. C. Viſidienus Baſſus, Ædilis municipii Urbini, Nymphæum PECunia PVBLica faciundum curaſſe dicitur. Huc pertinebant multæ, quæ plerumque ad opera publica deſtinatæ, ac ab AEdilibus erogatæ ſunt: pariter ac in Urbe Domitius AEnobarbus & C. Scribonius AEdiles plebis, pecuariis ad populi judicium adductis, ex condemnatorum multatitia pecunia, ædem in inſula Fauni ædificarunt, auctore Livio lib. XXXIII. cap. 28. & ſæpe alibi. A Principibus quoque ſubventum eſſe, non tantum nummi coloniarum teſtantur, in quibus ſæpe ædificia Imperatorum liberalitate exſtructa videas: ſed & Tacitus de Claudio refert lib. XII. Ann. cap. 58. *Bononienſi coloniæ igni hauſtæ ſubventum, centies ſeſtertii largitione.* & lib. XVI. cap. 13. de Nerone: *Cladem Lugdunenſem quadragies ſeſtertio ſolatus eſt Princeps, ut amiſſa urbi reponerent.* Suetonius

in

in Veſpaſiano cap. 17. *Plurimas per totum orbem civitates, terræ motu aut incendio afflictas, reſtituit in melius.* De Hadriano Pauſanias lib. II. *Balneæ paſſim Corinthiis & aliæ è publica pecunia exſtructæ, & quas impenſa ſua Hadrianus Imp. exædificavit.* Capitolinus in Antonino Pio cap. 8. *Multas civitates adjuvit pecunia, ut opera vel nova facerent, vel vetera reſtituerent.* Addo lapides. Murum & turres Jaderæ coloniæ dedit Auguſtus, in 7. Grut. pag. 84. Diocletianus Conſtantiæ, in 7. pag. 166. balneum & plateas reip. Ricorenſi Trajanus apud Reineſium cl. 2. n. 7. Minorum porro civitatium reditus ad utilitatem majorum derivari juſſi, *l.* 18. *l.* 26. *C. Th. de oper. publ.* unde Julianus Imperator epiſt. 36. Argivos, ait, ſub Conſtantio Corinthiis aſſignatos, & vectigales factos. Erant item ſilvæ ſub diſpoſitione Ædilium. Aggenus Urbicus comment. in Frontin. de limitibus pag. 58. *In tutelam rei urbanæ aſſignatæ ſunt ſilvæ, de quibus ligna in reparationem publicorum mœnium traherentur:* hoc eſt portarum, turrium, pontium, etiam murorum: vide Nehem. II. vſ. 8. Cæſarem lib. VII. de bello Gall. cap. 23. & Strabonem lib. V. qui Palibothram civitatem mœnibus ligneis et perforatis circumdatam fuiſſe, tradit: ſicut Appian.

civil.

civil. 1. Aquulani, Hirpinorum oppidi, mœnia trabibus conſtitiſſe, ait. Add. Vitruv. lib. 1. cap. 5. et l. 2. c. 9. Poſſes etiam ædificia publica intelligere, quæ voce *mœnium* ſignantur, in *l.* 1. *&* 39. *C. Th. de oper. publ.* quia *mœnire*, ut veteres loquebantur, vel *munire* eſt ædificare. Sic Florus ait, Ancum *mœnia muro amplexum eſſe*, id eſt ædificia; & alibi Helvetios veniſſe ſedes petitum, *incenſis mœnibus ſuis*, Eandem vocem apud Ovidium, Trogum, Curtium & Claudianum ſimiliter explicat Joh. Fred. Gronov. lib. 11. Obſ. cap. 12. ac apud Victorem, Symmachum et Ambroſium, Jac. Gothofred. ad *l.* 32. *C. Th. de op. publ.* et in Gloſſar. nec aliter Servius ad Virgil. lib. 1. AEn. vſ. 11. *altæ mœnia Romæ*, ædificia ingentia interpretatur. Idem ad 11. AEneid. vſ. 234. et de tartaro, ſive carcere inferorum AEneid. VI. vſ. 549.

Mœnia lata videt triplici circumdata muro.

Denique ſingulis municipiis & coloniis publica prædia erant, agri vectigales, immo vectigalia, *l.* 6. *§.* 2. *D. de decur. l.* 2. *§.* 1. *D. de adm. rer. ad civitat. l.* 10. *C. de vectig. l.* 48. *C. Th. de oper. publ.* Sic Ulpianus, in *l.* 13. *§.* 6. *D. de action. emti*, fundum aliquem pluribus municipiis vectigalia (non legata, ut vulgo) debere, ait.

ait. Suetonius cap. 46. ſcribit, Auguſtum colonias in Italia ab ſe conditas, *operibus, ac vectigalibus publicis plurifariam inſtruxiſſe.* Veſpaſianus Decurionibus Saborenſibus in Hiſpania apud Gruter. pag. 164. reſcribit: VECTIGALIA. QVAE. AB. DIVO. AVGVSTO. ACCEPISSE. DICITIS. CVSTODITO. & Alexander Severus, teſte Lampridio, in ejus vita c. 21. *Vectigalia civitatibus ad proprias fabricas deputavit.* Vide Noriſ. ad Cenot. Piſana diſſert. I. cap. 3. pag. 35. & Cl. Burmanni diſſ. de vectig. pag. 17. & 128. His civitatum viribus opera quævis publica inſtaurata eſſe, vel unicus Cicero nos docebit lib. XIII. famil. epiſt. 11. ubi de municipibus ſuis Arpinatibus: *Quorum quidem omnia commoda, omnesque facultates, quibus & ſacra conficere, & ſarta tecta ædium ſacrarum locorumque communium tueri poſſint, conſiſtunt in his vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia.* Adde donationes & legata, quæ a civibus, egregii publici amantibus, crebro proficiſcebantur; nam apud Celſum, in *l.* 30. *D. de leg.* 2. quidam *Reipublicæ Graviſcanorum legat in tutelam viæ publicæ.* Alius Trebianis pecuniam in opus novi theatri, legaſſe fertur, apud Sueton. lib. III. cap. 31. alius in lavationem gratuitam utriuſque ſexus,

apud

apud Malvaſ. pag. 123. rurſus in colonia Concordienſi apud Fabrett. pag. 672.

A. RITIVS. A. L. TERTIVS AVGVSTALIS
TESTAMENTO. VIAM. STERNI. IVSSIT
IN. QVOD. OPVS. EROGATA. SVNT. H. S. XXX.

§. XI. Omnem vero hanc pecuniam, ex tam variis fontibus collectam, expendebant Ædiles, auctore Cicerone lib. XV. ad Attic. epiſt. 15. *Tu nummos Arpinatum, ſi L. Fadius AEDILIS petet, vel omneis reddito; præter Fadium nemini.* Ideoque forſan, in municipio Cæritum, C. Suetonius Claudianus AEdilis, ſimul fuiſſe dicitur Præfectus ærarii, in ſæpe laudato marmore apud Gruter. pag. 214. quia ærarii impendio munera AEdilitia explebantur. Huic quoque fini ſcribas habuerunt AEdiles, qui publicarum rationum, accepti & expenſi, tabulas conficerent. Apud Reineſium cl. VI. n. 85. in lapide Neapoli reperto, C. SEPTIMIVS. C. F. LIBO. AED. SCR. AED. & Gruter. 3. pag. 483.

L. VARRONIO. L. F.
PAL. CAPITONI
SCRIBAE. AEDILIC.

Rationes has exigebant, examinabant & diſpungebant Prætores vel Proconſules. Plinius lib. X. epiſt. 56. ad Trajanum: *Quum vellem Apameæ, domine, cognoſcere publicos debitores,*

bitores, & reditum & impendia, reſponſum eſt mihi, cupere quidem univerſos, ut a me rationes coloniæ legerentur; nunquam tamen eſſe lectas ab ullo Proconſulum: habuiſſe privilegium & vetuſtiſſimum morem, arbitrio ſuo remp. adminiſtrare. Ceterum, quamvis illi ſatis de civibus ſuis mererentur Ædiles, qui accepta ex ærario pecunia, fidem, vigilantiam & induſtriam in tuendis operibus publicis approbabant: alii tamen liberalitatis famam captantes, toto ære ſuo, opus unum aut alterum in Ædilitate ſtruxiſſe gaudebant; quo per titulum ei adſcriptum, vel honoribus in baſi ſtatuarum legendis, nomen æternitati mandarent, ac ſeri nepotes ad ſimilia his velut facibus accenderentur. Enimvero omnium municipiorum foris ſtatuas ornamentum eſſe cœpiſſe, ævo ſuo ſcribit Plinius lib. 34. cap. 4. & Paulus ait, concedi ſolere, ut imagines & ſtatuæ, quæ ornamenta Reip. ſunt futuræ, in publicum ponantur, in *l. 2. D. de loc. publ. fru.* ſicut Claudius edixerat, ne quis privatus ſtatuas poneret, niſi Senatus permiſſu, Dio lib. 60. Pomponius ſtatuarum in municipiis poſitarum meminit, in *l. 14. D. de cond. & dem.* & Plinius dicto lib. cap. 6 matronis, quæ a civitatibus patronæ adſcitæ erant, ſtatuas mature poſitas refert: *Catonis in Cenſura*

vociferationes fuerunt, mulieribus Romanis in provinciis ſtatuas poni. Indomitam quoque nominis inſcribendi licentiam Horatius perſtrinxit lib. III. od. 24. Sed hoc ad eos, qui muneris ſolicitudinem munificentia cumulaſſent, non pertinet: nam Macer ait, operi publico ſumtu facto nomen Principis inſcribi debere; at Magiſtratui vel privato, cujus pecunia id opus factum ſit, titulos dedicari poſſe, in *l.* 3. *in fin. D. de oper. publ.* & Ulpianus in *l.* 2. *D. eod. Qui liberalitate, non neceſſitate debiti, reditus ſuos interim ad finienda opera conceſſit, munificentiæ ſuæ fructum de inſcriptione nominis ſuis operibus, ſi qua fecerit, capere per invidiam non prohibetur.* Exempla Ædilium noſtrorum in promtu ſunt. Apud Gruter. 11. pag. 159. in tabula lapidea æneis litteris Saloneus AEDILIS PAVIMENTVM. DE. S. P. F. C. & apud Reineſ. cl. 1. n. 29. in Caſtellana Faliſcorum civitate:

SEX. AVINIVS. SEX. FIL.
MAEC. CRESCENS.
AED. PAVIMENT.
DE. SVA. PEQ. FAC. CVR
IVNONI
COELESTI

C A-

CAPUT X.

ÆDILES CURATORES ANNONAE.

I. *Sitonæ, olearii, epiſcopi, parochi & curatores erant annonæ præfecti. Dionyſii Gothofredi ἁμάρτημα. Papinianus in l. 20. D. de compenſ. illuſtratur.* II. *Ædilibus annonæ rerumque venalium curatio Apuleji & Petronii teſtimoniis aſſerta.* III. *Iidem examinabant pondera & menſuras. Varro a Lipſii manu vindicatur.* IV. *In municipiis pariter ac Romæ pondera publica. Modius Ædilitius ex Livio, nummo & marmore oſtenſus. Juriſconſulti a Stoicis imbuti.* V. *In coloniis diverſas a Romanis fuiſſe menſuras, contra Villalpandum evincitur.* VI. *Papiniani l. 17. D. de compenſat. perperam a Budæo, Rævardo & Schiltero ad Ædiles urbanos relata. Rationes Juriſconſultorum ſæpe non adæquatæ.* VII. *Ædiles differunt a curatoribus annonæ. Papinianus & Lampridius a Duareni, Donelli &c. correctione prohibiti.*

DE primo Ædilium munere, ſive de Aſtynomia, quod ſcivi tantum eſt. Eadem nunc diligentia expendendum, tantane etiam AEdiles inter & Agoranomos in-

interceſſerit ſimilitudo: &, niſi me omnia fallunt, annonæ curam noſtris tam perſpicue vindicabo, ut non lac lacti videatur ſimilius, quam AEdilis municipalis Athenienſium Agoranomo. Præmittemus autem pauca de concurrentibus annonæ curatoribus, qui cum AEdilibus non ſunt confundendi. Siquidem coloniæ & municipia optime ſciebant, quanti ſua intereſſet frumenti habere copiam, quantaque incommoda ex immoderata ejus penuria gignerentur, ſecundum tritum illud:

- - - *Irarum cauſas & ſumma favoris Annona momenta trahi.*

Hac propter varios, pro re nata, utiliſſimo huic muneri proponebant, *Sitonas* & *Olearios*, qui frumentum, ſal, oleum, vinum, panem & reliqua, ad quotidianum uſum neceſſaria, nummis a fiſco acceptis, compararent, ſuſciperent & donec diſtribueretur aut exportaretur, in horreis publicis aſſervarent *l.* 6. *§.* 8. *D. de excuſat. l.* 1. *l. fin. §.* 5. *D. de muner.* Hinc munus Sitoniæ in *l.* 2. *pr. D. de vacat. & excuſ.* Coëmptio *lib.* 10. *C. Juſt. tit.* 27. publica comparatio *lib.* 11. *C. Th. tit.* 15. ubi Doctiſſimus interpres, poſt Auguſtinum ad Modeſtini *d. l.* 6. *§.* 8. & Cujacium l. 1. Obſerv. cap. 35. videatur. Præter hos *Epiſcopi* panificio & ceteris venalibus rebus præ-

præerant, auctore Chariſio, in dictà *l. fin.* §. 7. *D. de muner.* Hi enim quæ in foro ad quotidianum victum neceſſaria proſtabant ſpeculabantur; unde ab ἐπισκοπῶ, quod & pro *video* & pro *curo* uſurpatur, quaſi inſpiciendo curantes, nomen tulerunt. Scholiaſtes Ariſtophanis in Veſpis vſ. 1398. ἀγορανόμους. τοὺς ἐπισκοποῦντας τὰ τῆς πόλεως ὤνια, καὶ διοικοῦντας αὐτά. Recte animadvertit Duarenus I. diſputat. anniv. cap. 57. ad hos pertinere, quod Valentinianus & Valens ſcribunt in *l.* 1. *C. de Epiſc. aud. Negotiatores, ſi qui ad domum noſtram pertinent, ne modum mercandi videantur excedere, Chriſtiani provideant epiſcopi.* Dionyſius tamen Gothofredus ad *l.* 3. *D. de lege Julia de ann.* hos verbi divini miniſtros interpretatur; non animadvertens eam legem miſere interpolatam eſſe a Triboniano, ut ex collatione ejus cum *l.* 1. *C. de commerc. & mercat.* quæ eſt eorundem Imperatorum, ad eundem Julianum, docuit Wiſſenbachius. Vindicantur quidem nonnulla in Codice Epiſcopis Antiſtitibus, quæ ad ſacra nil attinent, & notum eſt, primos eorum ab Apoſtolis ita eſſe vocatos, quod orphanos, peregrinos & viduas egentes curarent, e ſacris Eccleſiarum theſauris, qui ex venditis & ad pedes Apoſtolorum poſitis facultatibus piorum conflabantur

 I. Petr.

I. Petr. V. vſ. 3. I. Timoth. III. vſ. 1. Sed hoc loco Imperatores de iis cogitaſſe parum eſt veriſimile. Neque adeo nova eſt ejus vocis in priore ſignificatu uſurpatio; quia Cicero, ubi Capuam ſibi in Italiæ diſtributione tuendam & cuſtodiendam ſumſiſſe ſcribit, ſenſu non prorſus abſimili, hac voce utitur lib. VII. ad Att. epiſt. 11. *Vult me Pompejus eſſe, quem tota hæc Campana & maritima ora habeat* ἐπίσκοπον, *ad quem delectus & ſumma negotii referatur.* Erant & *Parochi* in municipiis & villis, qui Romanis, in provincias vel legationis cauſſa peregre abeuntibus, neceſſaria quævis ſuppeditabant. Horatius lib. I. ſat. 5. verſu 45.

Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit, & Parochi, qui debent ligna ſalemque.

Arcadius Chariſius eos Xenoparochos vocat, in *l. ult.* §. 10. *D. de mun.* quia loca publica, quibus præerant, hoſpitibus deſtinata, xenodochia & xenones appellantur, v. *l.* 18. *C. de SS. Eccl.* & *l.* 37. *C. de Epiſc. & Cler.* Denique *Curatores frumento comparando* erant conſtituti, quorum meminit Paulus in *l.* 21. *pr. D. ad municip.* qui & CVRATORes ANNONAE in inſcriptione Gruteri 12. pag. 489. & CV-

CVRATOR. FRVMENTI apud Fabrett. cap. 10. n. 28. appellantur. His Papinianus ait, expeditionis tempore negotium *copiarum* mandari ſolitum eſſe in oppidis, quibus earum præſtatio incumbebat. *l.* 20. *D. de compenſ.* Cum enim milites in armis procedebant, commeatus præbebatur a civitatibus. Siculus Flaccus de condit. agror. *Quoties militi prætereunti aliive cui comitatui annona publica præſtanda eſt, ſi ligna aut ſtramenta deportanda, quærendum quæ civitates quibus pagis hujusmodi munera præbere ſolitæ ſint.* Copiæ vero notione caſtrenſi ſunt panes buccellati, acetum, laridum, caro vervecina, pabulum, & id genus, quæ vulgus munitiones vocat. Cicero pro Dejotaro cap. 5. *Ille exercitum Cn. Domitii ſuis copiis & tectis ſuſtentavit.* Plinius panegyrico cap. 29. *Emit Fiſcus quicquid videtur emere, inde copiæ, inde annonæ.* Tacitus lib. IV. Hiſtor. cap. 35. *Nihil æque exercitus noſtros, quam egeſtas copiarum fatigabat.* Hæc de annonæ curatoribus hactenus.

§. II. Illud vero generaliter tenendum eſt, in civitatibus primariis, omnes hos ÆEdilium adjutores fuiſſe; nec magiſtratu, ſed perſonali munere functos. *l.* 1. §. 2. *l.* 3. §. 12. *D. de mun. & honor.* Pariter enim ac Athenis Metronomi, Sitonæ, Si-

tophylaces, Opſonomi, & emporii curatores partes Agoranomiæ geſſerunt, & cum AEdilibus, qua aſtynomis, Curatores reip. & alii concurrerunt: ſic & alibi annonæ curatio cum aliis, utilitate id exigente, fuit communicata; & Decurionibus curam illam impoſitam, indicat Theophylactus in cap. 15. Marci: *Decurio dignitas quædam erat, ſeu potius munus & onus civile: quo honore præditi cogebantur rebus in foro venalibus proſpicere, & inde multis ſæpe periculum propter caritatem annonæ creatum eſt.* AEdilium autem erat proſpicere, uti omnium rerum, non frumentariæ tantum, ſed & ceterarum adeſſet copia, ut juſto pretio venirent, neve rancida aut vitioſa pro ſinceris, fracta pro integris venum exponerentur. Pulchre hoc ob oculos ponit Pytheas, in Theſſaliæ civitate Hypata AEdilis, apud Apulejum libro I. Metam. cis finem, cujus verba, cum multa fugitivæ antiquitatis veſtigia contineant, apponere lubet: *Sed quid iſtud? voti gaudeo. Nam & lixas, & virgas, & habitum prorſus magiſtratui congruentem in te video. Annonam curamus, ait, & ÆDILATUM* (alii Ædilem) *gerimus; & ſi quid obſonare cupis, utique commodabimus. Abnuebam: quippe qui jam cœnæ affatim piſcatus proſpexeramus.*

mus. Sed enim Pytheas, viſa ſportula, ſucuſſiſque in aſpectum planiorum piſcibus; At has quisquilias quanti paraſti? Vix, inquam, piſcatori extorſimus accipere viginti denarios. Quo audito, ſtatim arrepta dextra poſtliminio me in forum cupedinis reducens, & a quo, inquit, iſtorum nugamenta hæc comparaſti? Demonſtro ſeniculum in angulo ſedentem. Quem confeſtim, pro ÆDILITATIS imperio, voce aſperrima increpans, inquit: Tam jam nec amicis quidem noſtris, vel omnino ullis hoſpitibus parcitis? Quid tam magnis pretiis piſces frivolos venditatis, & florem Theſſaliæ regionis inſtar ſolitudinis ſcopuli edulium caritate ducitis? ſed non impune. Jam enim ſaxo ſcias, quemadmodum ſub noſtro magiſterio mali debeant coerceri. Et profuſa in medium ſportula, jubet officialem ſuum inſuper piſces inſcendere, ac pedibus ſuis totos obterere. In primis autem frumento præerant *Ædiles annonæ*, qui cum hoc epitheto quibusdam in coloniis peculiariter conſtituebantur. Horum namque partes erant, frumentum a curatoribus annonæ advectum explorare, condere, dividere, dardanarios cohibere, pondus & munditiem panis a piſtoribus exigere, ſanitatem carnis præſtare, & cavere, ne plebs annonæ caritate laboraret. Vidimus hujusmodi AEdilem municipii

Cæretani M. Lepidium Nepotem ſupra; ſed ejusdem generis AEdiles Campanos fraudis & avaritiæ increpat Ganymedes apud Petronium cap. 44. his verbis: *Interim nemo curat, quid annonam mordet. Non me-Hercules hodie buccam panis invenire potui. Et quomodo? Siccitas perſeverat: jam annum eſurio. ÆDILES male eveniat, qui cum piſtoribus colludunt: ſerva me, ſervabo te. Itaque populus minutus laborat, nam iſtæ majores maxillæ ſemper Saturnalia agunt.* Deinde: *Hei, hei! quotidie pejus hæc COLONIA retroverſus creſcit, tanquam coda vituli. Sed quare non? Habemus ÆDILEM trium caunearum, qui ſibi mavult aſſem, quam vitam noſtram. Itaque domi gaudet, plus in die nummorum accipit, quam alter patrimonium habet.* Et merito indignatur: turpe enim erat, in hac felice ora, quæ omni fertilitate terræ prima in Italia fuit, annonæ inopia plebem fatigari. Cicero *pulcherrimam populi Romani poſſeſſionem, ſubſidium annonæ, horreum belli* vocat in 1. Agrar. cap. 7. & Florus *Cereris & Bacchi certamen* appellat lib. 1. cap. 16. Digni ergo hi qui, ceu tres ficus cauneas vix valentes, æterna ſtigmata ferant; contra immortalitati commendentur alii, qui ex fide ſpartam ſuam ornarunt; ſimiles urbanis Curulibus illis, de qui-

quibus Livius lib. XXXI. cap. 4. *Frumenti vim ingentem, quod ex Africa proconſul Scipio miſerat, quaternis æris populo, cum ſumma fide & gratia diviſerunt.*

§. III. Nondum in his provida AEdilium cura ſubſtitit. Nam quo plene proſpectum eſſet ementibus, & vendentium rabies cohiberetur, pondera quoque & menſuras examinabant, grave ſcelus eſſe judicantes, eas aut modum excedere, aut æquiſſimi ponderis juſtitiam non habere; cum & hæ, ſi falſæ ſint, iniquæ & adulterinæ onerent annonam, *l. 6. §. 1. D. de extr. crim.* Athenis Μετρονόμοι huic rei erant præpoſiti, de quibus Harpocration pag. 243. *Magiſtratus erant Athenis, qui menſuris præfecti, teſte Dinarcho in orat. adverſus Calliſthenem: fuere autem quinque in Piræeo, quindecim in urbe, curabantque ut menſuræ vendentium juſtæ eſſent.* His vero in coloniis Romanis ſimiles noſtri forum ſæpius circumeuntes ſingulas olei, vini, frumenti menſuras, metretas, amphoras, modios, congios, ſextarios, variaque quibus utebantur pondera, ænea, ferrea, lapidea diſcutiebant, juſtoque trutinæ examine penſabant:

Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coëat, nihil ut declinet amuſſis.

At

At unde hujus rei fides? unde, niſi ab optimis auctoribus? quos inter primas dabo Ulpiano, in *l.* 13. *§.* 8. *D. locati.* ubi hæc ejus ſunt verba: *Si quis menſuras conduxerit, easque magiſtratus frangi juſſerit, ſiquidem iniquæ fuerint, Sabinus diſtinguit, utrum ſcit conductor, an non: ſi ſcit, eſſe ex locato actionem: ſi minus, non: quod ſi æquæ ſunt, ita demum eum teneri, ſi culpa ejus id fecit AEDILIS, & ita Labeo & Mela ſcribunt.* Ædilem hic municipalem intelligi, vel ſola vox *magiſtratus* oſtendit; quum Romani plerumque cum adjectione Populi Rom. nominentur. v. *l.* 3. *§.* 1. *D. quod met. cauſ. l.* 11. *l.* 13. *l.* 38. *§.* 2. *D. ad munic.* Idem Juvenalis & Perſius confirmant verſibus elegantiſſimis, qui infra ubi de poteſtate Ædilium, proferentur. In præſens unico, ſed graviſſimo Marci Varronis teſtimonio rem omnem conficiemus, eique, pro ingenii modulo, ſuppetias feremus. Is vero in ſatira, cui titulum fecit: *Longe fugit, qui ſuos fugit*, Stoicum ſapientem depicturus, in hæc verba, apud Nonium in *convenire*, ſcribit: *Solus rex, ſolus rhetor, ſolus formoſus, fortis, æquus, vel ad Æditium modium purus putus; ſi quid ad hunc characterа Cleophantus conveniet, cave attigeris hominem.* Hoc modo iſtum locum, ut cetera omnia, quæ ad nos pervene-

venerunt, ſatirarum ejus fragmenta, lacerum & corruptum conſtituit, atque ad vitam revocavit Turnebus lib. XXIX. Adverſ. cap. 20. In omnia alia tamen abiit Joſ. Scaliger in Varron. de R. R. pag. 248. legens, *ſecurus, vel ad Ædilitium*, ſcilicet munus, etſi in duobus Nonii codicibus manuſcriptis invenerit *ad Ædilitium mundus*. At Juſtus Lipſius lib. I. var. lect. cap. 17. cum ſcriptum reperiſſet: *ſecurus, vel ædilicium modius purus*, ſententiam effectum iri putavit commodiorem, ſi *munus* a Scaligero ſubauditum pro *mundus* in textum recipiatur: *ſecurus, vel ad Ædilitium munus purus putus:* quaſi Varro dicere voluiſſet, Sapientem illum, quem ridebat, ſecurum fore, etiamſi ad AEdilitium munus, id eſt ad beſtias condemnaretur. Acute ſatis pro ætate! (vix enim novemdecennis erat cum varias daret) ſed præter rem ea verba ſollicitari, monuit Cl. Burmannus ad Petron. cap. 43.

§. IV. Fabricius Peireſcius, qui integrum de ponderibus volumen manuſcriptum heredibus reliquit, auctore Gaſſendo in ejus vita, & Raphaël Fabrettus cap. VII. inſcript. pag. 524. ex accurata ponderum & vaſculorum inſpectione obſervarunt, veteres adeo fuiſſe ſollertes, nullum ut vas conficerent, quod non & præſcriptam

ptam menſuram & certum pondus contineret. Cum igitur alii avaritia ducti menſuras ſibi facerent minores, aliorum vero legitima vaſa longo uſu attererentur; ideo publicis opus fuit, ad quae velut ad Lydium lapidem cives ſua componerent, ut ne ex earum iniquitate ipſis vel emtoribus damnum gigneretur. Romæ ea fini ad Jovis Capitolini amphora erat ſacrata; pedis Italici modulus in æde Monetæ fuit, & pondera in templo Martis Ultoris cuſtodita ſunt, ad quæ ceterorum fides exigeretur. Præfecto etiam Urbi ponderum ſtatuendorum jurisdictionem aſſignat Amm. Marcellinus lib. XXVII. cap. 9. *Pondera per regiones univerſas ſtatuere, cum aviditati multorum ex libidine trutinas componendi occurri nequiret.* Hæc ille de Prætextato: ſed & infinita pondera cum nomine Turci Aproniani, Præf. Urbi ſuperſunt: quædam etiam æqualis Junii Ruſtici nomen præferunt, qui ſub Conſtante eadem dignitate functus eſt. Theodoſius M. juſſit menſuras & pondera publice conſtitui in ſingulis ſtationibus, ut fraudibus occurreretur *l.* 19. *&* 21. *C. Th. de ſuſcept.* repetiit Honorius in *l. ult. C. Th. de ſuperexag.* & tandem Valentinianus modium æneum, ſeu ἀρχιμόδιον ad horreum Conſtantinopolitanum ſtatuit; ut eſſet examen ceterorum mo-

modiorum, quibus in urbe frumentum venderetur, *l.* 21. *&* 32. *C. Th. de ſuſcept.* & *ad quem fides menſuræ comprobaretur*, ut in lapide Grut. 6. pag. 647. Conſimiliter coloniæ & municipia ædes publicas ſtruxere, in quibus venditores merces ſuas penderent, ac privatus quisque ſua pondera ad publicorum normam conformaret, *l.* 9. *C. de ſuſcept.* & *Nov.* 118. c. 15. *Menſuras*, ait Imperator, *& pondera in ſanctiſſima uniuscujuſque civitatis eccleſia ſervari* Sic Memmii Rufi pater & filius, Herculanii, ſive Pompejis fecerunt PONDERALE. VT. VITIEIS. PONDERVM. OCCVRRERENT, apud Reineſ. cl. VII. n. 15. & C. Umbrius Eudraſtus Fontunatus, IIII VIR. Compſæ in Hirpinis, MENSVRAS. LEGE. CIVITATIS reſtituit proprio ſumtu, apud Gruter n. 1. pag. 223. Inter has vero modius primum finem habebat, ſicut libra in ponderibus; & quemadmodum amphoris vinum, metretis oleum metiebantur, ſic modiis frumentum, *l.* 35. *§.* 5. *D. de contrah. emt.* Per hos etiam Ædiles, in provinciis, pariter ac in Urbe, frumentum populo dividebant. Livius lib. XXXI. cap. 50. *Annona eo anno pervilis fuit, frumenti vim magnam ex Africa advectam AEDILES Curules M. Claud. Marcellus, & Sext. Ælius Pætus binis æris in MODIOS*

DIOS populo diviſerunt. Idipſum confirmat denarius Ædilitius gentis Livinejæ, in quo *modius* frumenti cum duabus ſpicis conſpicitur, apud Spanhem. de Præſt. num. diſſertat. x. pag. 151. Sed omnium maxime huc facit ingens, quod Auguſtæ Taurinorum a Philiberto Pingonio in Antiq. Taurin. tom. IX. Theſ. Ital. part. 6. pag. 62. exſcriptum, & a Grutero pag. 486. n. 2. repetitum fuit marmor, in quo vir equitans *Ædilis* jubentis ad modum, inferius vero *modius* duabus manibus apprehenſus, cum hac inſcriptione cernitur:

T. VETIVS. L. F.
POL. AEDILIS
VETIA. T. F. SECVNDA
VXOR. FECIT

Non alia ratione modius imagini Ædilis equitantis apponitur, quam quod hoc præcipue inſtrumento in AEdilitate uſus erat: idque priſcis ſollenne fuiſſe, ut ſub titulis res ipſas, quæ officii aut artis inſtrumenta fuerant, exprimerent, v. gr. cucurbitulas & ligulas Medici, faſces lictoris, decempedam materiariorum & ejusmodi alia, ex variis inſcriptionibus patet, apud Gruter. pag. 640. n. 11. pag. 517. n 7. Fàbrett. cap. 4. Inſcr. pag. 274. & Malvaſ. Marmor. Felſin. pag. 67. Atque ex his, opinor, facile ad judicandum erit de lectione loci Varroniani:

ni: patet enim in coloniis & municipiis menſuras ab Ædilibus fuiſſe inſpectas: liquet modios privatorum ad modium Æditium exactos eſſe; hoc vero quia maxima diligentia fiebat, hinc Varro ſapientem illum tanta æquitate fuiſſe tradit, ut etiam ad AEdilitii modii rigorem examinatus, juſtus & omni ex parte perfectus deprehenderetur: quo ipſo reprehendit ſtultam illam de ſuo σοφῷ Stoicorum jactationem, cujus etiam veſtigia in libris noſtris, licet plerique Jcti Stoicorum philoſophia fuerint imbuti v. c. cum Ulpianus, ait, ſacerdotes juſtitiæ veram, & non ſimulatam philoſophiam affectare, in *l.* 1. §. 1. *D. de juſt. & jure* & hoc primum Philoſophos profiteri oportere, mercenariam operam ſpernere, in *l.* 1. §. 4. *D. de extr. cogn* cum Papinianus ſcribit, vere philoſophantes pecuniam contemnere, cujus retinendæ cupidine fictam adſeverationem detegant, *l.* 8. §. 4. *D. de vacat. & excuſ.* cum Cajus non exactam gravitatem, & conſtantiam, quaſi a Philoſopho, deſiderandam eſſe putat, in *l.* 18. *D. de Ædilit. edict.* & Modeſtinus raros, ait eſſe, qui philoſophantur, in *l. 6.* §. 7. *D de excuſat.* Addo Horatium, iisdem fere verbis Stoicos ridentem, lib. I, ſat. 3. vſ. 124.

- - - *Si dives, qui ſapiens eſt,*
Et ſutor bonus, & ſolus formoſus, & eſt rex.

§. V. Illud hic non incommode quæri poſſet, num modius ille AEdilitius, pondera & menſuræ publicæ in provinciis devictis ad normam Romanarum fuerint compoſitæ, atque ut legum morumque, ſic & menſurarum paritas per orbem Romanum ſit introducta? Ita colligit Joh. Baptiſta Villalpandus tomo III. in Ezechielem part. 2. lib. 3. cap. 25. ex inſcriptione notiſſimi congii ærei, Tuderto Hetruriæ Romam perlati, cujus verba ſunt ſequentia:

IMP. CAESARE
VESPAS. VI. COS
T. CAES. A. F. IIII.
MENSVRAE
EXACTAE. IN
CAPITOLIO
P. X

Sed quis non videt ſpurium & ſuppoſititium eſſe hoc epigramma? cum Domitianus, ſive Cæſaris Auguſti filius, quartum conſulatum cum patre ſextum conſule non geſſerit. Plurium etiam errorum Villalpandi examen accuſarunt Savotus & Fabrett. de aquæd. diſſ. 11. n. 130. immo ſi maxime liberales, demus inſcriptionem le-

legitimam eſſe, non tamen ex ea efficitur; id quod erat probandum: quidni enim menſura Romana in Capitolio exacta in Hetruriam perferri potuit? Vide Joh. Harduini Hiſtor. Aug. ex nummis antiq. in Veſpaſiano ad annum Chriſti LXXV. Majori ſpecie afferri poſſet nummus, in Tiberii Claudii honorem cuſus, apud Patinum ad Suetonium pag. 284. in cujus media area libram manus tenet, ac inter utramque lancem hæ leguntur litteræ: P. N. R. S. C. quas laudatus Harduinus, in nummis urbium *Pondera Narbonenſium reſtituta Senatusconſulto* interpretatur. Narbo autem Martius ſplendida fuit Romanorum colonia; in qua menſuræ & pondera ſi Romanis fuerunt paria, magnum argumentum eſt, idem ut de coloniis ceteris credamus. Sed Patinus dicto loco ſigla illa, *Pecuniam noſtram reſtitutam SC.* explicat; nec ſi priorem ſequimur interpretationem, ex ea liquido colligitur ſymmetriam inter Romana & Narbonenſia pondera fuiſſe. Denique pro illa ſententia facere videtur, quod Valentinianus, non in urbe tantum, ſed & per manſiones ac civitates, modios æneos & lapideos, cum ſextariis ac ponderibus, & manum æream, in pœnæ argumentum, collocari juſſit; ſed *ut unusquisque ſciret, quid deberet ſuſ-*

ceptoribus dare, *l.* 9. *C. de ſuſcept.* Majorianus vero, in Novella de Curialibus præcepit, ut *a Prætoriana ſede ad ſingulas non ſolum provincias*, *ſed etiam civitates*, *pondera examinata mittantur*, *quibus tam omnis exactor*, *quam negotiator utatur.* Verum enim vero difficile fuit per omnes mundi tum cogniti partes menſurarum convenientiam introducere; magisque veriſimile videtur, pro cujusque civitatis ratione, & mercaturæ utilitate, eas ubivis eſſe factas: nam Ariſtoteles ſcribit, lib. V. Ethic. cap. 7. *Non pares ſunt ubique vini aut frumenti menſuræ: ſed ubi emuntur majores*, *ubi venduntur minores*; cui noſtrorum etiam temporum uſus ſuffragatur. Nec deſunt teſtimonia, quibus diverſa fuiſſe provinciarum pondera a Romanis probemus. Unde enim tot menſuræ, quæ in Principum vel privatorum cimeliarchiis hodie ſervantur, majoris vel minoris, quam Romanæ ferre poſſint, amplitudinis, niſi quod in provinciis uſurpatæ? Nec conjecturis opus eſt: Hyginus de limitibus, ubi quorundam pedum diverſitatem, quibus in provinciis utebantur, exhibuit, per univerſam quidem Italiam eundem cum Romano facit, extra hanc vero nullam ejus rationem haberi ſcribit. Verba ejus pag. 210. hæc ſunt; *Ubicunque extra*

tra fines legesque Romanorum, id eſt, ut ſollicitius perferam, ubicunque extra Italiam quid agitatur, inquirendum de hac re diligenter. Hygino accedit Frontinus de coloniis pag. 109. *Huic addendæ ſunt menſuræ limitum & terminorum, ex libris Auguſti & Neronis Cæſaris: ſed & Balbi menſoris; qui temporibus Auguſti omnes provinciarum formas & menſuras compertas in commentarios contulit, & legem agrariam per univerſitatem provinciarum diſtinxit & declaravit.* Symmachus denique hoc ipſum non obſcure tradit lib. X. epiſt. 26. *Mille ſexcentas auri libras decennalibus imperii tui faſtis devotus ordo promiſit, urbanis ponderibus conferendas; id eſt trutinæ largioris examine.* Adde Eiſenſchmid. de ponder. ſect. I. cap. 2.

§. VI. Hiſce annonæ curam claudere volebam, ſed ecce! manum injicit Papinianus, qui libro primo Reſponſorum de Ædile, ob arctiorem annonam præſtitam condemnato agit, &, niſi me ratio fugit, loquitur de Ædile municipali. Ipſa ejus apponam verba, ex *l.* 17. *D. de compenſ. Ideo condemnatus, quod arctiorem annonam Ædilitatis tempore præbuit, frumentariæ pecuniæ debitor non videbitur, & ideo compenſationem habebit.* Elegans profecto textus, quique multorum induſtriam exercuit;

cuit; a nemine vero adhuc ita pertractatus, ut genus Ædilium de quo agitur, indicaretur; cum tamen jurisprudentiæ multum interſit, magiſtratus urbanos & municipales non turbide miſceri, ſed probe diſtingui. Atque illud quidem pro certo mihi dari poſtulo, Papinianum hoc lib. I. Reſponſorum, ſecundum ordinem edicti perpetui, de officio magiſtratuum municipalium egiſſe, id quod tum inſcriptiones *l.* 12. 15. 17. *D. ad municip. l.* 6. *D. de decur. l.* 8. *D. de vacat. & excuſ.* tum maxime *l.* 6. *D. de offic. aſſeſſ. l.* 81. *D. de furtis l.* 3. *D. de admin. rer. ad civ. pert.* quæ omnes ex eodem libro ſunt deſumtæ, liquido affirmant. Dein nulla, aut valde reſtricta, Papiniani tempore, annonæ præbendæ cura fuit apud Ædiles urbanos: quippe quæ per tribunicias leges dudum ad frumentarios vel curatores annonæ erat translata. At, inquis, Cæſar AEdiles Cereales, qui frumento dividundo præeſſent, conſtituit, iique ad Septimii Severi & Antonini ætatem, qua vixit Papinianus, perdurarunt? Reſpondeo, fuiſſe quidem & manſiſſe; ſed Auguſtus rerum potitus præfectos annonæ duumviros creari juſſit, πρὸς τὴν τοῦ σίτου διανομὴν, *ad frumenti diſtributionem*, ut ſcribit Dio lib. 54. ſive ut Suetonius ait: *frumenti populo dividendi*, in

Au-

Auguſto cap. 37. vel, ut in Scto A. V. 743. ſub Auguſto condito habetur: PER. QVOS FRVMENTVM. PLEBEI. DATVR, apud Reineſium cl. VII. n. 6. iique, numero poſtmodum aucto, ad extrema uſque tempora, fixi & ſtatuti permanſerunt, *l. ult. §. 2. D. de lege Jul. de ann. l. 1. C. de officio præf. urb.* Lampridius in Severo cap. 22. & in lapidibus frequenter leges: PRAEF. FRVM. DAND. apud Gruter. pag. 344. n. 8. & 440. n. 2. AEdiles ergo in urbe hoc tempore explorando forte et condendo, non autem dividundo frumento præfuere. Ex quibus, tanquam in clara luce, patet, in quantis tenebris hic fuerint Budæus, in annotat. ad Pandectas, Rævardus l. III. Var. cap. 17. et Schilterus Exerc. 28. §. 35. textum noſtrum ad AEdiles Curules referentes, qui ſine dubio pertinet ad municipales, penes quos, poſteriori etiam aetate, annonae diſtributio duravit. Nunc ad rem ipſam. Agitur de AEdile, qui, cum in magiſtratu eſſet, annonam municipibus ſuis praebuerat *arctiorem*, hoc eſt, ut Scholiaſtes Graecus explicat, qui panes civiles, vel quicquid annonae nomine venit, erogarat parcius, aut injuſto pondere, aut pretium publica auctoritate conſtitutum exceſſerat, vid. *l. 53. D. de judic.* Suetonius Tiber.

cap. 8. de hoc inquam quæritur, poſtquam, ob malam adminiſtrationem, condemnatus ſive multatus erat, an pecuniæ, quam ipſi viciſſim reſpublica debebat, compenſatione uti poſſit? Et breviter reſpondet Papinianus, nil prohibere: quia non acceptæ pecuniæ, ſed datae arctioris annonae debitor erat, qualis ad hoc commune praeſidium confugiens haud a republica repelli poteſt, *l.* 2. *l.* 19. *D. de compenſ.* Videamus tamen ne ſibi ipſi contrarius ſit Papinianus, in *l.* 20. *D. eod* Ait enim: *Ob negotium copiarum, expeditionis tempore mandatum, curatorem condemnatum pecuniam jure compenſationis retinere non placuit* cur ita? *quoniam, inquit, ea non compenſatur.* At hac ratione nihil videri poſſet alſius: id enim in quaeſtione erat poſitum, cur compenſatio denegetur? Idem ergo, illi ajent, per idem decidit. Jam dudum obſervavit Conringius de prud. civ. c. 14. *Rationem latæ cujusque legis fere latere, quum rariſſime adjici ſoleret, aut quæ adderetur, in ſpeciem fere plerumque adſerri, diſſimulata vera legis cauſſa: ac proinde vix quemquam niſi ſagacem, ac rerum, temporum locorumque peritum, arcanam legis cauſſam divinando poſſe aſſequi; idque veriſſimum quoque eſſe etiam de iis rationibus, quæ aut præmittuntur aut ſubjunguntur;*

tur Juſtinianeis quibusdam, non tuto videlicet iis credi, & ſæpe numero aliud longe, quam loquantur verba, prudentiſſimum legiſlatorem intendiſſe. Atque ita eſt. Juriſconſulti enim ad augendam juris Romani dignitatem, aliquando rationes civiles clam populo habebant, ne cavillandi occaſio daretur: nam ut Seneca epiſt. 95. ait, *etiam ſine probationibus, ipſa monentis auctoritas prodeſt: quomodo Juriſconſultorum valent reſponſa, etiamſi ratio non redditur.* Quandoque etiam obvias recepti juris & regularum per manus traditarum rationes referre tædebat; aliquando eas, poſt tot ſeculorum intervalla, ignorabant, nec omnium, quæ a majoribus tradita, cauſſam dari poſſe, ipſi fatebantur. *l.* 20. *D. de leg l.* 51. *§.* 2. *D. ad leg. Aquil.* Abſit tamen putemus Papinianum, quem nihil latebat, hac in ſpecie deciſionis ſuæ rationem fugiſſe. Ipſe eam lib 1. Reſponſ. fuſius exſecutus erat, ut patet ex *l.* 17. *D. eod.* & ne hoc libro XIII. ejus repetitione lectori moleſtus eſſet, breviter ſubjecit: *quoniam ea non compenſatur*: id eſt quia utilitatis publicæ cauſa, in hujusmodi caſu, compenſatio eſt prohibita. Similì modo Marcianus in *l.* 91. *D. ad leg. Falc.* ait, in quartam hereditatis non imputari, quæ heres jure legati vel fideicommiſſi, vel im-

plendæ conditionis cauſſa accepit: *nam hæc in quartam non imputantur.* De rationibus Jctorum vid. Cujac. lib. VIII. Obſ. c. 12. & XVII. Obſ. 15. Forner. lib. III. rer. quot. cap. 23. Merill. lib. I. Obſ. cap. 3. & Fabri rational. ad *dict. leg.* 20.

§. VII. Quid ergo? Jacobus Cujacius lib. II. Obſerv. cap. 23. diſtinguit Ædiles a curatoribus annonæ, & recte! Quemadmodum enim Athenis alii erant frumentarii, alii Agoranomi, ſive Ædiles, teſte Lyſia in oratione κατὰ τῶν σιτοπωλῶν 21. pag. 630. οὕτω δὲ πάλαι περὶ τῆς τούτων πανουργίας καὶ κακονοίας ἡ πόλις ἔγνωκεν, ὥστ᾽ ἐπὶ μὲν τοῖς ἄλλοις ὠνίοις ἅπασι τοὺς ἀγορανόμους φύλακας κατεστήσατε. ἐπὶ δὲ ταύτῃ μόνῃ τῇ τέχνῃ χωρὶς σιτοφύλακας ἀποκληροῦτε. *Verum & olim de horum verſutia & malignitate ita civitas ſtatuit, ut aliis rebus venalibus omnibus Ædiles, ut cuſtodes, præficeretis. Ob hanc vero ſolam artem veteratoriam frumenti inſpectores ſeorſim conſtitueretis.* ſic in Urbe alii erant frumentarii & agentes in rebus, annonam invehentes, alii vero frumento dividundo præfecti. Rurſus ad hujus exemplum, in Coloniis & Municipiis Italiæ, Curatores annonæ frumentum ex Sardinia, Sicilia, AEgypto, Africa, Illyrico, & cadente imperio, ex Hiſpania Galliaque, quæ benigniſſimæ nutrices & horrea quaſi publica erant, comparabant;

rabant; comparatum vero AEdiles in populum eſurientem diſtribuebant. Unde in baſi marmoris candidiſſimi, ſub Præneſte inventi, apud Gruter. n. 12. pag. 489. Cn. Voëſius laudatur ÆDILIS & poſtea CVRATOR. ANNON. TRIENNIO. CONTINVO. alius lapis TETTIO. RVFO. CVRATORI. FRVMENTI. eſt inſcriptus apud Fabrett. cap. x. n. 28. Huic vero nummi ad frumentum coëmendum de publico dabantur, ut perſonæ tantum vices ſuſtineret, necquicquam de ſuo impenderet, *l. fin. §. 8. D. de mun. l. 2. §. 4. D. de adminiſtr. rer. ad civit.* Quid ſi vero hic eam pecuniam retinuit, aut in alios uſus, quam quibus erat deſtinata, convertit, poteritne civitati compenſationem opponere ejus pecuniæ, quam ſibi viciſſim reſpublica ex alio capite debebat? Negat Papinianus. Aut enim curator pecuniam non conſumſit, & furti, vel de reſiduis, ex conſtitutionibus Trajani & Hadriani tenetur, quæ omnem compenſationem excludunt, *l. 81. D. de furt. l. 4. §. 4. D. ad legem Jul. pecul.* aut eam in alios uſus, velut in opus balneorum publicorum, bona fide erogavit, & rurſus placuit eum condemnari; quia ſummus annonæ favor expoſcit, ne ſolutio pecuniæ ad annonam deſtinatæ compenſationibus retardetur, *l. 46. §. 5. D. de jure fiſci l. 3.*

C.

C. de compenſ. Nova autem actione a curatore reip. petet, id quod ſibi debetur, *dict. l.* 2. *§.* 4. nam ſitonas & curatores indemnes eſſe debere, Papirius Juſtus ex conſtitutione Divorum fratrum retulit, in *l. ult. §. 6. D. de admin. rer. ad civit.* Nulla igitur remanet difficultas, nec hiſce ferculis guſtatis ſapiunt, quæ Robert. lib. 3. ſent. cap. ult. et Lycklama lib. III. membr. ecl. 13. in medium attulerunt. AEdili quippe frumentum datur, quod ſi nequius præbuerit & ideo condemnatus ſit, fiſco vel reip. compenſationem objicere poteſt. Curatori pecunia datur, quam ſi non conſumſit, aut in alios uſus, quam decretum, erogavit, tanquam reliquator cauſſæ annonariæ, jus compenſationis non habet. Unicum ſupereſt, ut lectionem *l.* 17. propoſitam firmemus, eamque ab uncis quorundam unguibus protegamus: quæ enim Dionyſ. Gothofredus ad eam notavit ſunt confuſa. Accurſius *edilitatis tempore* ſcriptum invenit, & Edilitatem famem interpretatur. Alciatus & Haloander *edulitatis* legebant, rerum edulium largitionem intelligentes. Guilielmus vero Budæus *Ædilitatis* legere maluit, cui & vetera manuſcripta & exemplar Florentinum, & Baſiliκῶν libri ſuffragantur, in quibus lib. XXIV. tit. 10. eſt: ἐν τῷ ἀγορανομεῖν, ut pridem

dem docuit Cujacius lib. II. Obſ. cap. 23. & lib. XIV. cap. 13. Nec quisquam quidem paullo nunc eſt humanior, ubi temporum beneficio major hiſtoriæ & antiquitatum lux radiat, qui num *Ædilitatis* præferendum ſit dubitare poſſit. Nihili enim ſunt voces *edilitatis* vel *edulitatis*, nullumque fundum habent, neque auctorem incorruptæ latinitatis. Accurſium barbaries temporis excuſat, quod *edilitatem* ideo famem interpretatur; quia homines plus edunt illo tempore, quam alio: neque *edulitas* poteſt ferri, jejunis & eſurientibus neceſſaria, licet du Frenius in Gloſſ. Papinianum ita, ſi diis placet, ex Petro Blæſenſi, ſeculi duodecimi ſcriptore, explicet, qui epiſt. 141. *Deſævit morbus peſtilens, & edulitas invaleſcit.* Ego apud Symmachum *edilia* menſarum invenio, & *edulia*, in *l.* 6. *§. ult. D. de Off. Proconſ.* cetera nuſpiam; nec dubito, quin ex prava orthographia portentum illud vocabulorum enatum fuerit; *edilitatis* enim ſcripſit librarius, ſicut EDILIS CASTRORVM, in lapide apud Vignolium pag. 183. dicitur, qui peregrino militi annonam præbebat. Acriter tamen pro *edulitate* contendunt Duarenus lib. I. diſp. anniv. cap. 26. & Donellus lib. XVI. Comm. 15. audacem ſimul Cujacii accuſantes manum, quæ apud Lampridium *edu-*

li-

litatem, id eſt eduliorum largitionem, in *vilitatem* mutarit. Sed eundem in modum ex libris regiis & Puteani membranis emendavit Caſaubonus, & ex utroque Palatino Gruterus: magisque ſententia loci jubet, ut cum Marcello Donato tom. VI. Fac. crit, pag. 965. moderamen & diminutionem pretii eſculentorum explicemus. Ipſa Lampridii verba appono, in vita Alexandri cap. 22. *Quum vilitatem* (male edulitatem) *P. R. ab eo peteret, interrogavit per Curionem, quam ſpeciem caram putarent. Illi continuo exclamaverunt, carnem bubulam atque porcinam. Tunc ille non quidem vilitatem propoſuit, ſed juſſit, ne quis ſuminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem; tantum que intra biennium, & prope annum, porcinæ carnis fuit & bubulæ, ut quum fuiſſet octo minutalis libra, ad duos unumque utriusque carnis libra redigeretur.* Uſus ergo eſt voce vilitatis, prorſus ac Cicero pro domo cap. 6. *Subito illo ipſo die cariſſimam annonam nec opinata vilitas conſecuta eſt.* Capitolinus in Pertinace cap. 7. *ex omnium continentia vilitas nata eſt.* Ammianus lib. XXII. cap. 14. *popularitatis amore vilitati ſtudebat venalium rerum.* Idem denique error & alibi ſæpe irrepſit, v. c. in *l.* 6. *C. Th. de numerar.* Jac. Go-

tho-

thofredus reſtituit: *vilitatem veterem abolebit*, cum Pariſienſis antea *utilitatem* legiſſet.

CAPUT XI.

ÆDILES CURATORES LUDORUM.

I. *In coloniis & municipiis ludi gladiatorii, ſcenici & Circenſes magno apparatu editi: inde rudera amphitheatrorum in urbibus Italiæ & Galliæ.* II. *Spectacula a Magiſtratibus, Sacerdotibus, Principibus & privatis, maxime vero ab Ædilibus dabantur. Nummus Calaguritanus illuſtratus.* III. *Ludi apparati in honorem Deorum, diebus feſtis, ab Ædilibus, tunicas albas indutis: Juvenali lux. Quid ſit pompa Ædilitia.* IV. *An AEdilibus noſtris curæ fuerit, ne quis ante annum quadrageſimum ad ſacerdotium admitteretur. Theophilus adverſus Auguſtini & Fabroti cenſuram excuſatus.* V. *Principibus ludos faciebant Neocori & AEdiles, die eorum natali, qui varius. Natalis J. Cæſaris. Marmor vetus & l. 233. §. 1. de V. S. explicantur.* VI. *Quid ſit venatio paſſeris. An die natali mactata ſit in honorem Genii Cæſarum victima? Cenſorinus & Perſius alitre, quam à Caſaubono expoſiti.* VII. *Ludi,*

di, cœnæ & largitiones alios AEdiles ad inopiam redigebant, alios ſtatuis ornabant, alios a munere deterrebant. Legata ad ludos relicta. l. 16. D. de uſu & uſufr. leg. illuſtratur.

Hactenus civitatum & annonæ curam perſecuti ſumus, quam a nobis fieri potuit, diligentiſſime. Reſtat de ludis dicamus; quorum curationem Tullius ultimo loco ad AEdilium officia refert, ſed qui haud poſtremam eorum partem, tam in coloniis & municipiis, quam in Urbe abſolvunt. De Romulidis Varro conqueſtus eſt, quod manus movere mallent in theatro & circo, quam in ſegetibus ac vineis: & Seneca tantam hominum turbam ad theatra confluxiſſe notat, ut tribus eodem tempore theatris, id eſt ad tria theatra, viæ ſint poſtulatæ, lib. 1. de clem. cap. 6. Eadem vero, aut certe major, quam par erat, municipum inſania fuit: quippe qui animos hiſtrionali favore gladiatorumque ſtudiis adeo habebant occupatos, ut non alia re magis, quam ludis ad pompam adornatis delectarentur, in his etiam urbis ſuæ decus & honorem ſitum eſſe putarent, *l.* 122. *D. de legat. lib.* 1. Quapropter Calliſtratus ſcribit, quibusdam in civitatibus, iis, qui vulgo juvenes appellantur, ſpectaculis

interdictum eſſe in pœnam, ſi ſeſe turbulentibus popularium adclamationibus accommodaſſent, in *l.* 28. *§.* 3. *D. de pœnis.* Juvenes ii autem pertinebant ad circum & theatra municipalia, ut ex marmoribus Capuæ, Lanuvii, Brixiæ & Spoleti repertis contendit Lipſius l. 1. Epiſt. quæſt. 1. Idem quoque lib. III. Ep. qu. cap. 18. *popularia* populi conſeſſum, & hic, & in *l.* 1. *§.* 12. *D. de off. Præf. urb.* ſicut Cujacius lib. VIII. Obſ. cap. 29. factiones agitatorum interpretatur; Caſaubonus vero ad Marcum Capitolini cap. 17. & Salmaſ. ad Spartiani Nigrum cap. 3. popularium nomine multitudinem populi urbanam vel municipalem intelligere maluerunt Fabrotus certe, ad Paratitla Cuj. ad tit. C. de off. Præf. urbi, milites ſtationarios ita dictos eſſe, minus veriſimiliter exiſtimavit, & contra *d. l.* 1. *§.* 12. Imperatores porro Valens & Gratianus ad Heſperium Africæ Proconſulem reſcribunt, tantum abeſſe ut invideant civitatibus ludos, ut potius cohortentur, amplectenda felicis populi ſtudia, gymnici ut agonis ſpectacula reformentur, *l.* 1. *C. de ſpectac.* Similiter de ludis Antiochenſibus Honorius & Theodoſius *Fruatur*, ajunt, *decora civitas tuæ proviſionis jugiter incrementis & largitione noſtræ clementiæ; ut ſub hac oblectatione*

tione populus triſtitiam ſuam conſoletur, *l.* 159. *C. Th. de decur.* Hæc noſtrorum teſtimonia vel ſola indicium faciunt, quanto ſtudio ludorum editionibus inhiaverit populus municipalis. Verum quid vetat addere & aliorum, quorum tanta eſt copia, ut modus mihi adhibendus eſſe videatur. Multa collegit Noriſius ad Cenot. Piſ. diſſert. III. cap. 3. quæ cum ibi ſat commode legantur, huc exſcribi non eſt neceſſe. Ante ipſum alias quoque urbes plurimas, in quibus Circenſes & gymnici ludi exhibiti, collegit Petrus Faber Agoniſt. lib. II. cap. 29. & lib. III. cap. 26. quibus hæc auctarii loco ſubjiciam. Munus gladiatorium Fidenatum laudat Tacitus lib. IV. Ann. cap. 62. Berytenſium Joſephus lib. XIX. Antiq. cap. 7. Pollentinorum Suetonius in Tiberio cap. 37. Veronenſium Plinius lib IV. epiſt. ult. & Juvenalis ſat. III. vſ. 35. generaliter *municipalis arenæ comites* deſcribit. Iſthmicos novæ Corinthi ludos habes apud Pauſaniam, in Corinth. pag. 88. Quinquennales Neapolitanos apud Strabon. lib. 5. Scenicos Puteolanos apud Suetonium lib. 2. cap. 44. Niceam, theatrorum voluptatibus inſignem, laudat Libanius tomo. 2. in vita ſua, & Salvianus denique, Maſſilienſis presbyter, ætate ſua, eas urbes ſolas, quæ vel in poteſtatem bar-

barbarorum redactæ, vel egeſtate ita eſſent attenuatæ, ut ſumtus facere non poſſent, iis caruiſſe refert, lib. 5. de provid. Equidem Cicero Agraria 2. populum Romanum, ne in colonias iret, dehortaturus: *Retinete*, inquit, *iſtam poſſeſſionem gratiæ, libertatis, ſuffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum.* At non ea ejus eſt ſententia, quod nulli in coloniis fuerint ludi; ſed non tam apparati, ruſtici, herboſi, & umbram tantum eorum, qui in luce reip. edebantur, referentes: immo ante Tiberii tempora raros per Italiam fuiſſe Circenſes, notat Caſaubonus ad Tranquilli lib. II. cap. 44. Verum ut prona ſemper in luxum mortalium natura eſt, ac parentum vitia liberi facilius exprimunt; præſertim ſi ſpecie quadam amœnitatis blandiuntur, ſic etiam coloniæ & municipia, pro facultatibus ſuis, urbanam pompam, in Circenſibus & Scenicis, progrediente tempore æmulabantur. Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *Cæſar*, inquit, *qui poſtea Dictator fuit, primus in Ædilitate, munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo uſus eſt; ferasque argenteis geſis inceſſivere tum primum noxii, quod etiam in MVNICIPIIS æmulantur.* Sic Thyaſus Quinquennali Magiſtratui apud Corinthios deſignatus, Theſſaliam adiit, nobiliſſimas feras & famoſos

 inde

inde gladiatores comparaturus, quo munus triduani ſpectaculi promiſſum ederet ſplendidius, auctore Apulejo lib. 10. Theatrum Niceæ exſtructum amplius centies hauſiſſe, ſcribit Plinius lib. x. epiſt. 48. & *pulcherrimum amphitheatri opus* Placentiæ conflagratum, Tacitus refert, lib. 11. Hiſt. cap. 21. His ſi non fidimus, oculi non fallunt. Vix enim colonia nobilior ſupereſt, in qua non inſanorum operum & cædium iſtarum reliquiæ. Rudera amphiteatri marmorei Capuæ, Romano ſimilis, Camillus Peregrinus de Camp. felice diſſ. iv. n. 14. Veronenſis, inter majora Italiæ pulcherrimi, ſymmetriam & januas Torellus Sarayna de urb. Veronæ amplit. tom. ix. Theſ. Ital. Nolani Ambroſius Leo, de Nola cap. 8. & Setienſis Corradinus vet. Lat. lib. 2. cap. 5. deſcripſerunt. Nec minorem amphitheatrorum copiam dedit Gallia; Nemauſenſis rudera Joannes Poldus & Albertus Daugieres; Arauſionenſis Joſephus de la Piſe; Burdigalenſis Elias Vinetus; Tintiniacenſis Baluzius; Arelatenſis Joſephus Guiſius, oratorii presbyter, & Veſontionenſis Chifletius delinearunt. De Puteolano, Mediolanenſi, Forojulienſi, Auguſtodunenſi, & Italicenſi Lipſius, de Amphitheatris, quæ extra Romam,

mam, & Montfaucon tom. III. Antiq. part. 2. lib. 2. cap. 7. ſeq. ſunt adeundi.


§. II. Ludorum procuratio pertinebat ad Magiſtratus, Sacerdotes & Curiæ primates, qui populum his remunerabantur, a quo munus publicum acceperant, & novum quandoque munus exſpectabant. Tertullianus de ſpectac. cap. 12. *Licet*, inquit, *hoc genus editionis tranſierit ab honoribus mortuorum ad honores viventium: Quæſturas dico, & Magiſtratus, & Flaminia, & Sacerdotia.* Imperatores quoque peregrinantes urbibus provincialibus quandoque ludos dabant. Tranquillus de Caligula cap. 20. *Edidit & peregre ſpectacula: in Sicilia Syracuſis Aſticos ludos, & in Gallia Lugduni miſcellos.* Spartianus de Hadriano cap. 19. *In omnibus pæne urbibus, & aliquid ædificavit, & ludos edidit.* Ipſi etiam privati, ſive genere primarii, ſive ditiores e plebe municipes, favorem vulgi famamve captantes, ludos parabant: unde Impp. in *l.* 1. *C. de ſpectac.* cohortantes gymnici ut agonis ſpectacula reformentur, *cum primates viri populi ſtudiis ac voluptatibus grati eſſe cupiant, promtius permittunt, ut integra voluptas ſit, quæ volentium celebratur expenſis.* Plebejas vero *notas per oppida buccas*, munera edentes, Juvenalis ſat. III. vſ. 35. & Martialis

ſutorum regulum cerdonem, ludos dantem perſtringunt, lib. III. epigr. 16. & eod. libro ep. 58.

Sutor cerdo dedit tibi culta Bononia munus.
Fullo dedit Mutinæ: nunc ubi caupo dabis?

Etiam libertini generis homines ſpectacula publice in municipiis edebant, teſte Plinio lib. XXXV. cap. 7. *Libertus ejus* (Neronis) *cum daturus eſſet Antii munus gladiatorium, publicas porticus inveſtivit pictura.* Talis quoque erat Atilius iſte, cujus amphitheatro cum apud Fidenam infinita hominum turba obruta eſſet, placuit vetari SCto, ne quis in municipiis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res eſſet, auctore Tacito, lib. IV. Ann. cap. 63. Sed hoc pertinuit ad eos, qui extra ordinem lætitiam populi adjuvabant, nihil ardentius optantis, quam Spectacula & Circenſes. Ordinario autem munere, Urbis exemplo, editionum neceſſitas Ædilibus injungebatur: cumque ceteri Magiſtratus, Decuriones, aut privati ludos privatos, funebres aut votivos darent, hi ſolennes, ſtatos & publicos, magna cum cærimonia, diebus anniverſariis inſtruebant. Non putem eum erraturum, qui ad hos inprimis referat, quod Conſtantius & Conſtans in *l.* 20. C. *de decur.* ordini civitatis Phœniciæ Ædeſenæ

ſenæ reſcribunt: *Circenſium Magiſtratus deſertores ad eam gravitas tua faciat neceſſitatem conditionis urgeri, ut quaſcunque pro his expenſas civitas prorogaverit, refundere protinus ac repræſentare cogantur.* Sed conjecturis non opus eſt. Ecce tibi miræ elegantiæ nummum, ſub Tiberio, in municipio Hiſpaniæ Calaguritano cuſum, apud Vaillantium, in num. ær. Imp. in col. pag. m. 102.



Caput bovis eruditus commentator ad ludos Megalenſes pertinere exiſtimat; quorum ſolemnem celebrationem, non Duumviri, ſed Ædiles municipii hujus, L. Val. Flavus & T. Val. Merula, in honorem P. Cornelii Scipionis renovarunt; is enim Proprætor in Hiſpania, inter ipſum pugnæ diſcrimen, eos olim voverat, auctore Livio lib. 36. cap. 36. qui & de ſimili-

 bus

bus in Urbe ab AEdilibus factis lib. 34. cap. 54. in hæc verba ſcribit: *Megaleſia, ludos ſcenicos C. Attilius Serranus, L Scribonius Libo Ædiles Curules primi fecerunt.* Cl. autem Weſſelingius lib. 1. Obſ. c. 25. dubitat, an Calaguritani, Scipionis Naſicæ beneficio, jus municipii impetraverint, & in ejus honorem Megalenſes ediderint; at bovis caput ludos municipales, aut ſolennia ſacrificia indicare non negat: merito etiam diſcedit ab Ill Spanhemio, qui hunc nummum ad Ædiles urbanos retulit, cum altero, de quo ſupra pag. 98. Nos addamus lapides litteratos. Apud Reineſium cl. VI. n. 121. Ordo Tænarienſium, civis præſtantiſſimi nomine publice honorat Tiberium Claudium Charitonem, ΠΕΡΙ. ΤΗΝ. ΑΓΟΡΑΝΟΜΙΑΝ, propter magnificentiam Ædilitatis, munerum editione oſtentatam. Apud Fabrettum cap. II. n. 220. C. Matrinius Aurelius coloniæ AEDILIS. ABVNDANTISSIMI. MVNERIS. SED. ET. PRAECIPVAE. LAETITIAE. THEATRALIS laudatur; & cap. IX. n. 368.

L. RVNTIO. L. F. AEM
GEMELLO
AEDILI. II. QVINQVE
QVOD. CVRAM. MVNERIS. PVBLICI
SPLENDIDE. ADMINISTRAVERIT
FVNDANI. AERE. COLLATO
L. D. D. D.

Et

Et quis neget ſplendida fuiſſe munera, quorum cauſſa Ædiles gladiatorum familias, homines truculentos & ſpecie terribiles comparabant; animalia e longinquis regionibus multa venantium cæde petebant; comœdorum quoque & hiſtrionum greges, quandoque ex ærario, ſæpius vero ſuis impendiis conducebant? Sub Præneſte, in baſi marmoris candidiſſimi, ſequentia leguntur, apud Gruter. n. 12. pag. 489.

CN. VOESIO
CN. FIL. APRO
QVAESTORI. AEDILI. II. VIRO
QVOT. IS. TEMPORE. HONORVM. CV
RARVMQVE. SVARVM. PLENISSIMO
MVNIFICENTIAE.STVDIO.VOLVPTATIB.
ET. VTILITATIBVS. POPVLI. PLVRIMA
CONTVLERIT. LVDVM. ETIAM. GLADIA
TORIVM. ET. SPOLIAR. SOLO. EMTO
SVA. PECVNIA. EXTRVCTVM. PVBLICE. OP
TVLERIT.CVIVS.MERITIS.POSTVLANTE.POPVLO
STATVAM. PVBLICE. PONI. PLACVIT. D. D

§. III. Piget tædetque plura furioſorum exempla proferre, & magis forte antiquitatum ſtudioſis proderit, cauſſam noſſe, cur præ Duumviris Ædilium cervicibus impoſita ſint ludorum onera, quæ vel ſola hominem totum nulliſque muneribus impeditum ſibi depoſcebant. Verum aut ego valde fallor, aut rationem inſtituti hujus odoratus ſum genuinam, quam omnibus

probatum iri confido. Ludos in Deorum honorem edebant Romani, quod putarent compoſitis carminibus & humano ſanguine largiter profuſo iras placari cœleſtes. Hinc feſtis plerumque diebus ſpectacula edebantur; nec ulli ſine ſacrificiis ludi, nullum ſine idolo ſpectaculum; uti multis allatis Chriſtianorum teſtimoniis cap. VII. §. II. oſtendi, quibus nunc alia ethnicorum adjicere poſſem, niſi res nota eſſet omnibus. Sane Varro, cum de rebus divinis libros aliquot componeret, unum de ludis, velut re divina, ſcripſit, referente Auguſtino lib. IV. de civ. Dei cap. 1. Aperte Livius lib. VII. cap. 2. *Ludi quoque Scenici, nova res bellicoſo populo, inter alia cœleſtis iræ placamina, inſtituti dicuntur.* Cenſorinus de die nat. cap. 12. *Nam, niſi grata eſſet* (muſica) *immortalibus Diis, qui conſtant ex anima divina, profecto ludi ſcenici placandorum deorum cauſſa inſtituti non eſſent.* Quid? quod ipſe Cicero anilem hanc rationem adfert III. Catilin. cap. 8. & elegantiore loco V. Verr. cap. 14. qui hic minime prætereundus eſt, licet de ludis & editoribus urbanis loquatur: *Nunc*, inquit, *ſum deſignatus Ædilis: habeo rationem quid a Pop. Rom. acceperim: mihi ludos ſanctiſſimos, maxima cum cærimonia, Cereri, Libero, Liberæque faciundos: mihi Floram*

ma-

matrem Pop. Plebeique Rom. ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquiſſimos, qui primi Romani ſunt nominati, maxima cum dignitate & religione, Jovi, Junoni, Minervæque eſſe faciundos. Neque aliis Magiſtratibus magis, quam Ædilibus, ludorum cura ibi mandari potuit; quia & hi ſacris erant propoſiti, atque inter alia animadvertebant, ne qui, niſi Romani Dii, neu quo alio more, quam patrio colerentur, auctore Livio lib. IV. c. 30. & XXXIX. cap. 14. Similiter coloniæ eadem, ut capite I. vidimus, cum Romanis ſacra colentes, feſtis quoque diebus ludos apparabant. Petronius cap. 45. *Et ecce habituri ſumus munus excellente inter duo die feſta, familia non laniſtica, ſed plurimi liberti:* horumque ordinarii curatores erant Ædiles. Ita Vmbritius aruſpex apud Juvenal. ſat. III. vſ. 173.

Feſtorum herboſo colitur ſi quando theatro
Majeſtas, tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, cum perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans:
AEqualeis habitus illis, ſimilemque videbis
Orcheſtram & populum: clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicæ ſummis AEdilibus albæ.

Al-

Albas tunicas, hoc eſt recentes & candidas, indutos producit Ædiles, propter dies feſtos, quibus ludi edebantur. Latinus Pacatus in paneg. cap. 37. de Hæmona: *Quid ego referam pro mœnibus ſuis feſtum liberæ nobilitatis occurſum, conſpicuos veſte nivea ſenatores, reverendos municipali purpura flamines?* Horatius lib. II. ſat. 2. vſ. 60.

Ille repotia, nataleis aliosve dierum
Feſtos albatus celebret.

Martialis lib. IV. epigr. 2.

Spectabat modo ſolus inter omneis
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus ſederet.

Iisdem diebus pompa thenſarum, cum deorum exuviis, quibus ludi fierent, ducebatur, ad exemplum pompæ, ſive proceſſionis Romanæ, quam Onuphrius Panvinius deſcripſit, & Montfauconius ex fragmentis delineavit t. III. Antiq. p. 2. lib. 3. cap. 8. De coloniarum pompa Honorius in *l.* 176. *C. Th. de decur.* ſcribit: *Ac ne quid feſtis ac legitimis diebus ſubtraxiſſe videamur, etiam illud definiendum eſſe cenſemus, ut quicunque propter pompam illius diei Carthaginem forte convenerit.* Feſtus: *Petreja vocabatur, quæ pompam præcedens in coloniis & municipiis imitabatur anum ebriam agri vitio, ſcilicet petris* ap-

appellata. Tales hodie in multis Galliæ, aliarumque regionum pagis & urbibus viſuntur, cum memoria tutelaris Divi celebratur, quam hiſce ineptiis contaminari, Jac. Gutherius ſcribit, lib. II. de vet. jure Pontif. c. 14. Sed præſtabat fateri, purioris religionis cultores omni huic gentilium pompæ rectius valedixiſſe. Ædilitia pompa dicitur in inſcriptione Tarraconenſe apud Gruter. 9. pag. 622.

M. LÆLIO.
SABINIANO.
DECVRIALI. AEDILICIAE.
POMPAE.

§. IV. Par ergo ludorum in coloniis, quæ in Vrbe, fuit ratio: ſed vix alia etiam afferri poteſt cauſa, quare Ædiles ludos ibi præ ceteris curarint, quam quod ſacrorum, ſaltem pro parte aliqua, eſſent curatores. Non huc traham Feſtum: *Optatam hoſtiam alii opimam appellant eam, quam Ædilis tribus conſtitutis hoſtiis optat, quam immolari velit;* forſan enim nonnulli de ædituis templorum eum accipient: at Veratium Severianum, Sacerdotem Cæninenſem, ſimul Ædilitatem geſſiſſe, diſcimus ex marmore Gruteri 6. pag. 484. & alius SACERDOS. TVSCVLAN. AEDILIS. BRIXIAE. in inſcriptione, apud Octa-

vium

vium Roſſium laudatur. Rurſus apud Fabret. 188. cap. X.

MARTI. GRADIVO
D. D.
L. PIVTIVS. PIVS
AEDILIS. MONITO
AVGVR. PREF. SACROR

Hac etiam ratione ſtimulati videntur, ut vigeſimam bonorum ſuorum partem Apollini, ſicut alii decimam Herculi, darent Ædiles illi, quorum fit mentio in lamina ærea, apud Vignol. inſcript. ſel. p. 339.

M. MINDIOS. L. F.
P. CONDETIOS. VA. F.
AIDILES. VICESIMA. PART
APOLONES. DEDER.

Itaque parum abeſt, quin credam, ipſos etiam ſacerdotes coloniarum & municipiorum, quodammodo AEdilium auſpiciis creari ſolitos: ſcribit enim Theophilus Inſtitutionum paraphraſtes, ad §. 7. de J. N. G. & C. *Id ad ſollicitudinem Ædilium pertinebat, ne quis ante quadrageſimum forte annum ad ſacerdotium admitteretur.* Ant. Auguſtinus ad Modeſtini *l. 6. §. 8. D. de excuſat.* alio loco ſe hoc ſcriptum non legiſſe ait, & nugatorium id eſſe, animadvertit Fabrotus, ſi de ſacerdotibus AEdilibuſque Romanis intelligas: tot namque & tam diverſi generis in Urbe erant Sacerdotes

tes, Pontifices, Augures, Auſpices, Curiones, Veſtales, Flamines, Epulones, Sibyllini, Salii, Luperci, & mirum foret, ſi nullus veterum Ædilitiæ hujus notionis meminerit. Nullum præterea anni quadrageſimi veſtigium exſtat, in monumentis antiquis. Plato quidem & Ariſtoteles valde ſenibus tantum ſacerdotia dari voluerunt, & Romulus non niſi annum quinquageſimum egreſſos eligi ſacerdotes ſancivit, auctore Dionyſio lib. II. cap. 21. Sed Henricus Stephanus lib. IV. Schediaſm. 19. eum de antiſtitibus ſacrorum capit, & præterea mendoſum eſſe ſuſpicatur. Idem vero Dionyſius lib. V. cap. 1. Regem ſacrorum e ſenioribus creatum eſſe tradit, & recentiore tempore Livius lib. XXIX. cap. fin. prodit: *In M. Pomponii Mathonis auguris & Decemviri locum creati, Decemvir M. Aurelius Cotta, augur Tib. Sempronius Gracchus admodum adoleſcens, quod tum perrarum in mandandis ſacerdotiis erat.* Ait *tum*, ſtante nimirum ſeveriore Romanorum diſciplina; poſtea vero ſacerdotia juvenibus etiam mandata ſcimus, nec unquam petendi ſacerdotii tempora, perinde ac Magiſtratuum, definita me legiſſe ſuccurrit. Mitto pueros patrimos & matrimos, qui ſacris quibuſdam adhibebantur; at Q. Fabius Maximus augur mortuus

eſt

eſt admodum adoleſcens: Cæſar annum agens ſeptimum decimum, flamen Dialis deſtinatus eſt: Ciceronis filius, vix dum unum & viginti annos natus, in ſacerdotum collegium adoptabatur: Lentulus eodem anno, quo togam virilem ſumſit, id eſt ſeptimo decimo, augur factus: Antoninus Philoſophus octavo ætatis anno in Saliorum collegium receptus; & Elagabalus denique juvenis ſacerdotio fuit conſpicuus. Nulla igitur lex annalis; & ſi fuiſſet, ſcimus ſacerdotes florente rep. a collegiis eſſe cooptatos, donec Cn. Domitius, & poſt hunc T. Labienus, Tribuni plebis, rogationem tulerunt, uti ſacerdotum ſubrogandorum jus a collegiis ad populum transferretur. Videſis Sueton. Nerone cap. 2. Sub Principibus vero ſacerdotii conferendi poteſtatem, penes Pontificem maximum, qui ipſe erat princeps, fuiſſe, Tranquillus in Claudio cap. 22. Plinius lib. IV. epiſt. 8. aliique teſtantur. Nullo itaque modo hæc Theophili ſententia ad AEdiles urbanos referri poteſt. In municipiis quoque Pontifices, Augures & Auguſtales decreto Decurionum vulgo deſignatos eſſe, ex inſcriptionibus diſcimus, Gruter. n. 3. pag. 444. AVGVRI. EX. D. D. CREATO. & pag. 409. FAVSTVS. A. DECVRIONIBVS. AVGVSTALIS.

FA-

CTVS. Fortaſſis vero penes AEdiles ſacrorum, ut vidimus, præfectos de horum ætate judicium fuit, aut ſane ad tempora ſua, id eſt Chriſtiana, Theophilus nimis reſpexit: nam ſicut, Hieronymo teſte, apud Hebræos ad ſacerdotium nemo vocabatur, niſi qui impleviſſet annum trigeſimum, ita Chriſtianis Epiſcopis ætas triginta, vel triginta quinque annorum præſtituta fuit, *Nov.* 118. *cap.* 1. & 137. *c.* 2. hinc ille de quadrageſimo *forte* anno cogitavit. In Diaconiſſis idem annus ſufficere viſus eſt, in Concil. Chalcedon. can. 15. licet Paulus præcepiſſet, ne minor annis ſexaginta vidua eligeretur, 1. Timoth. v. vſ. 9. Juſtinianus exegit annos quinquaginta, *Nov.* 6. *cap.* 6. ſed poſtea placuit diaconiſſam non ordinandam, ante annum quadrageſimum, *Nov.* 123. *c.* 11. idque Baſiliκῶν conditores, & Euſtathius de legitimis temporibus, cap. de quadraginta annis ſequuntur. Propoſui conjecturam meam, ſed nil obtrudo: mantellum tamen fideliſſimo & antiquiſſimo interpreti quæſitum vellem; id quod ſi minus placet, non video quî erroris abſolvi poſſit. Habent & optima vina ſuas fæces.

§. V. Sed in viam. Ludi non in Deorum tantum honorem edebantur, ſed ex quo Principes, Roma ſubjugata, humano

faſtigio ampliora affectarunt, civitates in provinciis, ſumma adulatione, iis vivis, etiam quandoque malis & monſtris templa araſque poſuerunt, & ludos fecerunt apparatiſſimos. Dio Caſſius lib. 51. *Cæſar hoc tempore cum alia quædam reſponſa dedit, tum templum urbi Romæ, patrique Cæſari, quem heroa Julium nominavit, Epheſi & Niceæ fieri permiſit, utque ab incolis Romanis colerentur: extraneis autem hominibus, quos Græcos ipſe appellabat, conceſſit, ut ſibi ipſi quoque templa facerent: Aſiani quidem Pergami: Bithyni vero Nicomediæ. Id ab hoc initio tractum, reliquorum in honorem Imperatorum deinceps, non in Græcis tantum provinciis factum eſt, ſed etiam apud alios omnes populos Romanis ſubditos.* Inprimis Aſiaticæ civitates illæ metropolitanæ numen majeſtatemque Auguſtorum, communi populi nomine venerantes, creabant ſacerdotes, qui templis præeſſent, flamines in officio continerent, & munera ferarum, gladiatorum vel ſpectaculorum ederent, Actor. XIX. vſ. 31. *l. un. C. de peric. ſucc. par.* Euſeb. lib. IV. cap. 15. Hos Νεωκόρους, ſive AEdiles, & de provinciæ nomine Aſiarchas, Galatarchas, Phœniciarchas, Cappadocarchas, Lyciarchas, Bithyniarchas, Syriarchas &c. appellabant. Mentio

tio horum ſit in *l.* 6. §. 14. *D. de excuſat. tut. l.* 8. *pr. D. de vacat. & excuſ. l.* 1. *C. de nat. lib. l.* 1. *C. de off. Com. Orient. l.* 2. *C. Th. de expenſ. lud. l.* 1. *C. Th. de ſpect. l. ult. C. Th. de decur.* De iisdem Joh. Vaillantius, in nummis Philippi junioris pag. 171. hæc ſcribit: Νεωκόροι *videntur eſſe ſacrarum ædium & publicorum ludorum curatores, quos Latine dixeris Ædiles.* Sed his, quia parum ad noſtros, immorari non libet, nec juvat, in re ſatis explorata, nimiam oſtentare diligentiam. Vid. Cujac. lib. II. Obſ. cap. 13. Albert. Ruben. de urb. Neoc. t. XI. Theſ. Græv. Octav. Falconer. de num. Apam. & van Dale diſſ. 4. Antiq. & marm. ill. Minoribus quidem viribus, eadem tamen adulatione, an ſuperſtitione, municipia & coloniæ Principes venerabantur; iisque templa, ſacerdotes, aras & pulvinaria juxta Deos decernebant, ſi civitatem ſuam meritis juviſſent, Strabo lib. 3. Dio lib. 54. Cum maxime vero dies Principum natales, ſive ii genitales, ſive adoptionis, ſive delati imperii, maxima cum religione celebrabant, publica diis commendantes vota, ludosque cum epulis læti inſtruentes, ut inter civitates addictiſſimas ſeſe profiterentur, *l.* 1. *C. Th. de ſpectac. l* 7. *C. de feriis.* Plinius ad Trajanum epiſt. 101. 102. 103.

103. Tertullianus cap. 6. de ſpectac. *Reliqui ludorum de natalibus & ſolemnitatibus regum, & publicis proſperitatibus, & municipalibus faſtis, ſuperſtitionem cauſſam originis habent.* Arnobius lib. 1. adv. gent. pag. 39. *Tyrannos ac reges veſtros, quos odiis acrioribus conveniebat a vobis carpi, pulvinaribus, aris, templis atque alio mactatis cultu ludorum, & celebritate natalium.* Hujusmodi autem ludorum moderatores, quemadmodum in Urbe, ſic etiam in municipiis fuerunt AEdiles. De urbanis Dio dict. lib. 54. *Ædiles natalibus Auguſti ludos equeſtres & venationem ediderunt.* De municipalibus tabula marmorea Neapoli, in S. Johannis, littera pulcherrima & florente, apud Capac. Antiq. & Hiſt. Neapol. cap. 22. reperitur (licet eam Neapolitanam venditare non audeat) & ex eo apud Gruter. pag. 484. n. 6. VERATIO. A. F. PAL. SEVERIANO. EQVITI. ROM. CVR. REIP. TEGIANENSIVM. ADLECTO. IN. ORD. DECVRION CIVI. AMANTISSIMO. QVI. CVM. PRIVILEGIO. SACERDOTII. CAENINENSIS. MVNITOS. POTVISSET. AB. HONORIB. ET. MVNERIB. FACILE. EXCVSARI. PRAEPOSITO. AMORE. PATRIAE. ET. HONOREM. *AEDILITATIS.* LAVDABILITER. ADMINISTRAVIT. ET. DIEM. FE-

LI-

LICISSIM. III. ID. IAN. NATALIS. DEI. PATRI. N. VENATIONE. PASS. DENIS. BESTIIS. ET. IIII. FERIS. DENT. ET. IIII. PARIBVS. FERRO. DIMICANTIB. CAETEROQVE. HONESTISSIM. APPARATV. LARGITER. EXIBVIT. & quæ ſequuntur. Ill. Marquardus Gudius, in notis ad h. loc. natalem Julii Cæſaris celebratum exiſtimat: at vero is natus eſt. A. U. C. DCLIV. a. d. IV. Idus Julii, tunc Quinctilis, auctore Macrobio lib. I. Sat. cap. 12. *Poſtea in honorem Julii Cæſaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio M. filio conſule, Julius appellatus eſt; quod hoc menſe a. d. quartum Idus Quintiles Julius procreatus eſt.* Ideoque natalis vel alio die cultus, vel ea voce, non dies geniture intelligendus eſt, ſed alius forte, propter res geſtas vel inſignem lætitiam Cæſari ſolennis. Natus enim Romanis dicebatur, qui clarus & nobilis evaderet; unde Imperatorum natalis dies magis habitus eſt, quo imperium conſecuti, quam quo lucis facti eſſent participes. V. Turneb. lib. XXIII. Adverſ. cap. 4. Voſſ. ad Catull. pag. 307. & Jac. Gothofred. ad *l.* 2. *C. Th. de feriis.* Alias *poſt kalendas Januarias, die tertio, pro ſalute principis vota ſuſcipiuntur*, inquit Cajus, in *l.* 233. *§.* 1. *de V. S.* id eſt tertio nonas, vel ut Gellius

ait, *ante diem III. nonas Januarias*, lib. XV. cap. 28. Aperte Capitolinus in Pertinace cap. 6. *Denique tertium nonarum diem votis ipſis milites Triarium ducere voluerunt.* Hinc in Calendario Conſtantini ad eum diem notatur: *Votorum nuncupatio*: alia etiam id genus loca, apud Lipſ. ad Tacit. lib. XVI. Ann. Exc. B. & Reineſ. lib. II. var. lect. cap. 4. legi poſſunt. Hic vero cum ad neutrum horum dierum reſpiciatur, magis credam, aliis quoque diebus & menſibus, natales Principum in provinciis eſſe celebratos. Auguſto Narbonenſes quotannis IX. kal. Oct. qui ejus erat natalis, & VII. Id. Jan. qua die primum imperium orbis terrarum auſpicatus erat, erecta in foro ara, ſacra fecerunt, teſte tabula marmorea, quam libro commentario illuſtravit Elias Vinetus, apud Grut. pag. 229. juncta Rubenii diſſ. de natali die Cæſaris Aug. tom. XI. Theſ. Grævii pag. 1378. Diocletianus vero XII. kal. Dec. Imperator erat factus, & tamen ex actis Marcelli, qui ſub eo paſſus eſt, *die duodecimo kalendarum Auguſtarum, diem feſtum Imperatoris* celebratum eſſe, conſtat. Hujusmodi ergo ludis maxime delectabantur Principes, quod Genius tutelaris, natalibus præfectus, ſacrificiis tum coleretur. Spartianus in Hadriano cap. 8.

Lu-

Ludos Circenſes, præter natalitios, ſibi decretos ſprevit, & Capitolinus in Antonino cap. 5. *Circenſes natali ſuo dicatos non reſpuit, aliis honoribus refutatis.* Poſt apotheoſin autem iisdem publica religione, veluti patriæ patres colebantur, quemadmodum parentes a liberis conſecrati, privata religione coli ſolebant; hinc in marmore noſtro DEI PATRI. N. Divinos honores Cæſarem jam affectaſſe, dum inter homines ageret, tanquam aliquid ſupra mortale faſtigium, notat Suetonius cap. 76. Poſt mortem vero in deorum numerum relatus eſt, auctore eodem cap. 88. & Propertio lib. IV. eleg. 6. vſ. 59.

At pater Idalio miratus Cæſar ab aſtro,
Sum Deus, & noſtri ſanguinis iſta fides.

§. VI. Sequitur in eodem marmore, Veratium Severianum Ædilem natales celebraſſe VENATIONE. PASS. id eſt *paſſeris* marini, ſive ſtruthiocameli, quod genus a Plauti temporibus in circo ad pugnam dabatur, ut Lipſius lib. IV. epiſtol. quæſt. 9. poſt Turnebum lib XVI. Adverſ. c. 22. animadvertit: & quamvis Conr. Ritterſhuſ. in Oppiani lib. III. κυνηγετ. vſ. 497. hac voce intelligere malit piſcem rhombo ſimilem; tamen Plauti, Feſti & Auſonii potior nobis eſt auctoritas: nam quod avis ultramarina eſſet, paſſerem marinum vo-

carunt, ut Ariſtoteles lib. V. Hiſtor. anim. ϛρȣθίον θαλάσσον vel διαπόντιον. vid Scalig. Auſon. lect. lib. II. cap. 7. & Voſſ. lib. IV. orat. inſt. c. 6. ſect. 2. Idem natalis dies porro celebratus dicitur DENIS BESTIIS. ET. IIII. FERIS. DENT. ET. IIII. PARIBVS. FERRO. DIMICANTIB. Res inſolita, die natali cruenta ſpectacula: immo manifeſte repugnat Cenſorinus de die nat. cap. 2. *Hic forſitan quis quærat, quid cauſſæ ſit, ut merum fundendum Genio, non hoſtiam faciundum, putaverit? quod ſcilicet, ut Varro teſtatur, in eo libro, cui titulus eſt Atticus, & eſt de numeris, id moris inſtitutique majores noſtri tenuerunt, ut cum die natali munus annale Genio ſolverent, manum a cæde ac ſanguine abſtinerent; ne die, qua ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent.* Quid dicemus? diemne diffindemus & nondum liquere pronunciabimus? Id non ſinant novem ſorores. Henr. Lindenbrogius, in notis ad h. l. priſcos illos die natali a cæde quidem temperaſſe, recentioribus autem temporibus id haud obſervatum fuiſſe exiſtimat. At de priſcis Juvenalis ſat. XI. vſ. 83.

Moris erat quondam feſtis ſervare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, ſi quam dabat hoſtia, carne.

Et

Et contra de ſua ætate Plinius lib. XVIII. cap. 8. *Et hodie ſacra priſca atque natalium pulte fritilla conficiuntur*. Malim ergo diſtinguere natales genuinos à reliquis, & Principes à privatis. Horum etenim natalitii libis & pulte confecti; Imperatorum vero, ad Deos propius accedentium, natales ludis gladiatoriis quaſi ſacrificiis celebrari adulatio ingeſſit. Alexander Severus, cum natalem diem commendaret, hoſtia cruenta effugit, auctore Lampridio: Getæ natalibus pugnarunt cum beſtiis martyres, in vita Perpetuæ & Felicitatis. Sic denique in Maximini natalibus Cæſareæ feras inſolitas fuiſſe, tradit Euſebius lib. VII. Hiſt. Eccleſ. cap. 6. Viderint ergo eruditi, an recte Caſaubonus ad Perſii ſat. 2. vſ. 3. *Funde merum Genio*, ſcripſerit, nuſquam legi, mactatam ullam, in honorem Genii, victimam die natali.

§. VII. Necdum hic impendiorum finis. Qui enim plenum ſibi civitatis favorem erat conciliaturus, præter ludos, populo epulum, decurionibus vero lautam parabat cœnam, hiſque viritim, illis tributim pecuniam dividebat: quod longo uſu velut legitimum evaſerat temporibus Plinii lib. X. epiſt. 120. Nec ſemel tantum: quidam ſingulis poſt mortem annis, ob honorem II. viratus vel Ædilitatis ſibi viventibus dela-

tum, Curialibus *diviſiones* dari teſtamento cavebant, auctore Marciano in *l.* 23. *D. de ann. leg.* Diviſiones autem ſunt ſportulæ, vel nummi, cruſtum, vinum aliaque id genus, uti Hieron. Magius lib. 11. miſc. cap. 2. & Ræward. lib. 11. Var. cap. 16. ad hanc & Pauli *l.* 122. *D. de leg.* 1. illuſtrandam, ex antiquis marmoribus docuerunt: quibus jungatur *l.* 117. *D. de leg.* 1. ubi idem Marcianus *diſtributionem* appellavit. Huc etiam refero *viſcerationes*, ſive largitiones crudæ carnis, quarum meminit Pomponius, in *l.* 54. *D. de leg.* 3. ubi librarii, vocis ignorantia, *hujuſce ratione* ſcripſerunt, ab Auguſtino notati, lib. IV. Emend. cap. 1. In Gloſſis explicatur ἀρτό-κρεας, vel διανομὴ κρέως; & Budæus ad *l. ult. D. ſi menſor falſ. mod.* ait, Græcos κρεανομίαν vocare, a dividenda carne. vid. Liv. lib. VIII. cap. 22. Sueton. lib. I. cap. 38. & Reineſ. ad cl. 1. n. 105. Plane Catinius Severus Ædilis coloniæ Puteolanorum omnibus, quas in opus publicum fecerat, impenſis remiſſis, cœnam inſuper populo dedit, magnamque pecuniæ vim diſtribuit, teſte lapide apud Reineſ. cl. VI. n. 22. Rurſus n. 32. Cornelius, Ædilis Surrentinus, præter gladiatores, cœnam aditialem, mulſum, aliaſque ingenioſæ gulæ delicias populo largitus fertur. Verba inſcri-

ſcriptionis nequaquam hic ſunt omittenda: *L. Cornelio L. F. Men. ... N. Flamini Romæ Ti.C. Auguſti Æd. IIvir. qu. Præf. ſabr. bis hoc joc. ... cruſtulum & mulſum populo Ædilitate ſpectaculum gladiat. Circenſ. edidit ob honor. decurionibus magnam cœnam L. Quinquennalitate ſua ludos .... huic decurion. publice locum ſuner. & ſtatuam.* Solebant vero plerique, decreto ſtatuæ contenti, honorem amplecti, ſumptum vero condonare, uti ex Plinio & tribus monumentis indicavit Rad. Fornerius lib. III. Rer. quot. cap. 3. quæ inter eminet inſcriptio Peruſina, etiam à Grutero exhibita pag. 256. n. 10. in qua *Eguatius Feſtus Ædilis II. vir, cum plebs urbana ludos publicos edenti, ad ſtatuam ponendam, pecuniam obtuliſſet, honore contentus impenſam remiſit.* Atat licet ejusmodi ſtatua, ſumtu publico vel proprio locata, liberalitatis memoriam apud poſteros foveret; viri tamen ditiſſimi hoc pacto per ludum redigebantur ad inopiam, ac dum urbis magnificentiam muneribus ſuis æmulabantur, ranæ inſtar in apologo validius ſeſe inflantis, rupto corpore jacebant. Pulchre Juvenalis ſat. III. vſ. 34.

Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ,

Munc-

Munera nunc edunt, & verſo pollice vulgus
Quum libet, occidunt populariter: inde reverſi
Conducunt foricas.

Huc item refero, quod Plinius, de Julio Piſone, lib. x. epiſt. 3. ad Trajanum ſcribit: *Plurima ſe in Rempublicam contuliſſe: ac prope totas facultates erogaſſe dicebat*: & Hermogenianus in *l.* 8. *D. de decur. Facultatibus lapſis alimenta decerni permiſſum eſt, maxime ſi ob munificentiam in patriam patrimonium exhauſerint.* Pariter ac Valerianus, apud Vopiſcum in Aurelian. cap. 11. *Levanda eſt*, inquit, *paupertas eorum hominum, qui diu Reipublicæ viventes pauperes ſunt.* Hinc Dion. orat. 38. ait, omnibus civitatibus, ſed magnis præcipue, divitibus Decurionibus opus fuiſſe, ut legitimos iſtos ſumtus ſuſtinere poſſint: & Symmachus, de ſacerdotibus agens, quorum pars major, officio exhibendorum ludorum, multas pecunias profundebat, lib. IV. epiſt. 62. *Mihi videtur validior eſſe omnibus vacationis remediis exhauſta fortuna.* Hic etiam fons tot in provinciis querelarum, curiam curas parere, nec hominum, ſed divitiarum magiſtratus eſſe. Nec aliam ob cauſam Cicero toties violentarum ſpoliationum, rapinæ et ſacrilegiorum meminit,

nit, lib. III. famil. epiſt. 8. et VI. ad Attic. epiſt. 2. ac Libanius Magiſtratus pecunias partim furantes, partim rapientes, partim harpagantes perſtringit, Orat. 19. Hinc denique viri prudentes aliorum malis cautiores facti, ſuo periculo cavere, quam per AEdilitatem ad incitas redigi malebant: ſequuti monitum Servii Oppidii, vetantis ne quis filiorum Canuſii AEdilis fieret, apud Horat lib. 2. ſat. 3. vſ. 179.

Præterea ne vos titillet gloria, jure-
Jurando obſtringam ambo: uter Ædilis fueritve
Veſtrum Prætor, is inteſtabilis & ſacer eſto.
In cicere atque faba bona tu perdaſque lupinis,
Latus ut in Circo ſpatiere, aut æneus ut ſtes,
Nudus agris, nudus nummis, inſane paternis.

In ipſa Urbe, licet AEdilitas primus ad honores ampliores eſſet aſcenſus, novum tamen non erat, ut ob penuriam eorum, qui munera AEdilitia ſubirent, Prætores vel Tribuni deligerentur. Quin ipſe Tullius, etſi cupidior gloriæ, quam ſatis eſt fuerit, trinoſque ludos ſumtu exiguo pararit, tamen poſt AEdilitatis præmia enarrata, hunc in modum ſcribit, V. Verr.

cap.

cap. 14. *Ex his ego rebus omnibus, judices, ita mihi deos propitios eſſe velim, ut tametſi jucundiſſimus eſt honos populi, tamen nequaquam tantum capio voluptatis, quantum ſtudii & laboris:* ſplendor enim ædilitatum ab optimis viris poſtulabatur, & ſuſpicio avaritiæ vitanda erat. Idem lib. II. de offic. cap. 16. prodigos vocat, qui epulis, & viſcerationibus, & gladiatoriis muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profunderent in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nullam omnino eſſent relicturi. Quanto magis ergo in coloniis & municipiis putabimus viros catos AEdilitatem reſpuiſſe, propter immenſos labores & ſumtuoſum ludorum onus, quod urbium decor & populi ſtudium AEdilibus imponebat. Fidem faciunt tum reſcripta Imperatorum, quibus civitatum ſplendor curæ fuit, tum Libanii & Syneſii epiſtolæ, quot umbraculis quæſitis municipales proceres, onera Magiſtratus pertæſi, e medio ſe ſubduxerint; aliis ad militiam, aliis ad alia confugientibus: ut in tanto honorum faſtidio invitis magiſtratus eſſent imponendi, & detrectantes per Præſides remediis competentibus cogendi, ne ſolitis populi oblectationibus quicquam detraheretur, *l. 9. D. de mun. l.* 18. *&* 20. *C. de decur. l.* 2. *C. quib. muner. excuſ.* Uti:

que

que Ammianus Marcellinus lib. XXVII. cap. 7. ſcribit, in quarundam civitatum ordinibus, Valentiniani tempore, vix ternos ſuperfuiſſe. Aliquale ſolatium erat ex legatis, quæ ad munus, venationem & ludos edendos relinquebantur, *l. 68. fin. pr. D. ad L. Falc. l. pen. D. de ann. leg. l. 4. D. de adm. rer. ad civ.* neque tamen prout privato cuique collibuiſſet, nec in omnibus oppidis, quæcunque celebrare ſpectacula licuit: nam Plinius lib. IV. epiſt. 22. refert, ſe cognitioni interfuiſſe, in qua Gymnicum agona, ex cujusdam teſtamento in Gallia apud Viennenſes celebratum tolli placuerit et aboleri; *quia mores eorum infecerat.* Ex quo lucem accipit memorabilis *l. 16. D. de uſu & uſufr. leg.* ubi conſultor Modeſtinum rogat: *Legatum civitati relictum, ut ex reditibus quotannis in ea civitate, memoriæ conſervandæ defuncti gratia, ſpectaculum celebretur, quod illic celebrare non licet. Quæro, quid de legato exiſtimes?* Reſpondit, iniquum eſſe, hanc quantitatem lucro heredum cedere, ſed diſpiciendum eſſe, in quam rem converti debeat fideicommiſſum, ut memoria teſtatoris alio et licito genere celebretur. Et recte! Quemadmodum enim nummi, ad ludos licitos legati, aliquando in uſum magis neceſſarium convertuntur *l. 4. D. de*

adm.

adm. rer. ad civit. l. un. C. de expenſ. lud. publ. aliquando etiam rata manet voluntas teſtatoris, ad opus novi theatri legantis, Sueton. lib. III. cap. 31. ita hic, cum ſpectacula in ea civitate minime edere licebat, pecunia non ceſſit heredi, ſed a primoribus ejus loci, una cum ipſo, convocatis deſpiciendum erat, in quam aliam rem pecunia converti deberet. Cujacius ad lib. 2. Quæſt. Papin. ad *l. ult. D. de his qui not inſ.* memorat, Philippum Melanthonem argumento iſtius *l.* 17. rectiſſime uſum, eamque ad mores patriæ ſuæ accommodaſſe; ut in inſtitutionem juvenum converterentur reditus, quos ad certum genus celebrandæ memoriæ defunctorum, mutata ſacrorum formula, in poſterum adhibere non licebat.

CAPUT XII.

De dignitate Ædilium.

§. I. *Municipalia quævis, Cives, Oratores, Equites, Curiales, Magiſtratus & Deos parvi pendebant Romani; Ædiles magiſtros appellabant.* II. *Contra Duumviri & Ædiles nimio ſeſe faſtu efferebant. Ædilis ſupinus, cervix reſupina aliter, quam a Calderino & Briſſonio, explicatur*

tur. III. *Dignitas Ædilium variis argumentis aſſerta. Honor ædilitius. Publicani & ſcribæ Ædilium Curulium ex ordine Equeſtri.* IV. *Ornamenta Ædilitia honoris cauſſa data. Inſcriptio vetus illuſtratur. Biga, Biſellium.* V. *IIVIRI & Ædiles prætextati, vivi & mortui. Juvenalis cum aliis compoſitus, a Velſero & Ferrario diſceſſum. Municipes tunicati vulgo, jus togæ habuere. Statius a Petiti manu liberatus.* VI. *Duumviri ſupra Ædiles. Capacii, Lipſii, Chifletii, Velſeri ea in re lapſus.* VII. *Ædilitas in oppidis vacuis magiſtratus princeps. Plura de extincto oppido Ulubrarum. Poteſtas an pro Ædile ponatur.*

EX hac diſputatione unumquemque ſatis jam intellexiſſe puto, graviſſima Ædilibus in coloniis & municipiis onera fuiſſe impoſita, quæ non multo tantum labore, ſed etiam cum patrimoniorum ruina erant obeunda. Nunc recte atque ordine progrediemur ad dignitatem, ſive ad præmia & fructus iisdem, ad mitigandam magiſtratus ſollicitudinem, datos. Alia vero horum erit facies, ſi cum ſplendidis Ædilibus Curulibus comparentur, ex judicio Romanorum, in luce orbis viventium;

tium; alia vero, ſi intra muros cujusque civitatis, Ædiles dignitate ſua conſpicuos contemplemur. Ita enim natura comparatum eſt, ut lumen majus obſuſcet minus, ac domini potentiores, ambitione in tranſverſum acti, eos, qui infra ſe poſiti ſunt, raro ſine contumelia & ſtomacho ferre queant. Varro in Menippeis, ſatira quam Margopolin inſcripſit, apud Nonium:

- - - natura humanis omnia ſunt paria,
Qui pote plus urget. piſces ut ſæpe minutos
Magnus comeſt: ut aveis enecat accipiter.

Sicut Roma communis omnium erat patria, ita Romani rerum domini, nihil par ſibi, nihil ſecundum agnoſcebant, eundemque honorem, quem parentes a liberis, a ſuis etiam coloniis ſibi deferri volebant: nec ſine ratione! Obſervavit enim Vellejus lib. II. cap. 15. multas colonias urbem matrem ſuperaſſe, & Carthaginem Tyro, Maſſiliam Phocæa, Syracuſas Corintho, Cyzicum & Byzantium Mileto genitali ſolo majores eſſe factas: idem vero ne ſibi eveniret, Quirites caput efferebant altius, ſuamque majeſtatem a fucata coloniarum ambitione non uno modo diſcernebant. Hinc urbis nomen κατ' ἐξοχὴν in unius Romæ notam ceſſit; reliquæ vero etiam florentiſſimæ civitates, municipia, colo-

coloniæ, vacua & deſerta oppida vocabantur; quamvis item ut Roma circumducto orbe conditæ, & in *litteris antiquis* urbes ſcriptæ eſſent, teſte Varrone lib. IV. de L. L. Habita etiam ratione ad majeſtatem populi Romani, civitates, non minus ac quilibet privatus, privatorum loco habentur, in uſu Juris Romani, *l.* 15. *&* 16. *de V. S.* & a Republica diſtinguuntur, in *l.* 26. *§.* 9. *D. ex quibus cauſ. major.* cum tamen quarumuis civitatum ac municipiorum populus, & ad eum pertinentia populica eſſent: unde ſexcentis locis civitates etiam Reſpublicæ vocantur; ut ſupra vidimus, & ſimiliter Siculus Flaccus coloniàs, & Apulejus Madauram ſuam vocarunt; ſalva ſubjectione & obſequio, quod civitates, pariter ac privati, debebant. Adde, quod in his non tantæ divitiæ; non is typhus & luxus opulentorum, in ſupellectile vitæque nitidioris inſtrumentis; non aureæ cameræ, argenteæ trabes, vaſa coquinaria ex auro; non equi præſepibus aureis cibati, neque mulæ aureas ſoleas indutæ, ut de Romanis ſcribit Plinius lib. XXXIII. cap. 3 & 11. ſed priſca ibi magis frugalitas, diſciplina, & ſeveritas auſtera in vaſis fictilibus & luteis retinebatur, auctore eodem lib. XXXV. cap. 12. Plautus nonnullis videri poſſet

Latii civitates *aſperas* vocaſſe, Capt. act. IV. ſc. 2. vſ. 104 cum enim ſenex Græcus Ergaſilo paraſito, per Coram, Præneſten & Signiam juranti diceret: *Quid tu per barbaricas urbes juras?* ille: *quia enim item aſperæ, ut tuum victum autumabas eſſe.* Si quis vero hæc ad aſperam nominum pronunciationem ſpectare velit, ecce! Tacitus auctoritatem non defugiet, lib. XVI. Ann. cap. 15. *Qui remotis e municipiis ſeveraque adhuc & antiqui moris retinente Italia:* nec Plinius lib. I. epiſt. 14. *Patria eſt ei Brixia, ex illa noſtra Italia, quæ multum adhuc verecundiæ, frugalitatis atque etiam ruſticitatis antiquæ retinet ac ſervat.* Hanc ob cauſam ſuperbi quosque ignotos obſcuroque loco prognatos *municipaliter natos, municipale vulgus, homines municipales* vocarunt, & Auſonius *municipalem ſcholam*, Sidonius *municipales Oratores & Poëtas*, pro ignobilibus & abjectis dixerunt: ut, præter alios, etiam a Sirmondo ad Sidon, lib. I. epiſt. 11. obſervatum eſt. Ad hæc Ciceroni novimus, velut probro datum, quod ex municipio eſſet oriundus, apud Juvenal. ſat. VIII. vſ. 237.

Hic novus Arpinas, ignobilis, & modo Romæ
Municipalis eques.

AEvo

AEvo magis vetuſto, ut Cato ad filium, in proœmio libri de Re ruſt. ſcribit, *Virum bonum cum laudabant, ita laudabant, Bonum agricolam bonumque colonum: ampliſſime laudari exiſtimabatur, qui ita laudabatur*: ſed perditis luxu moribus ſordebat Italis Italia ſua, & vita municipalis, ob ruſticum laborem, habebatur viliſſima. Plinius lib. XXXIII. cap. 11. C. Marium, aratorem Arpinatem vocat, & Martialis lib. IV. Epigr. 66.

Egiſti vitam ſemper, Line, municipalem,
Qua nihil omnino vilius eſſe poteſt.

Curialibus etiam humilitas objicitur apud Suetonium Caligula cap. 23. *Liviam Auguſtam ignobilitatis, quadam ad Senatum epiſtola, arguere auſus eſt, quaſi materno avo Decurione Fundano ortam.* & in univerſum honor municipalis non magni fiebat apud Romanos; adeo ut Seneca pater l. III. contr. in proœm. Cenſorinum belliſſime] dixiſſe ferat: *De his qui honores in municipiis ambitioſe peterent, videor mihi in ſomnis laborare.* Denique tantus magiſtratuum municipalium apud Romanos erat contemtus, ut eos non magiſtratus, ſed *magiſtros* nuncuparint; quod nominis omnibus, qui diligentiam rebus quibus præpoſiti debent, ut vicorum, pagorum, collegiorum, ſocietatum antiſtitibus commu-

ne eſt. Docuit hoc Gronovius ad Livium lib. XXIV. cap. 25. ex Suetonio in vita Auguſti cap. 2. *avus municipalibus magiſteriis contentus:* ubi Caſaubonus quoque ante eum monuit, ἀρχὰς municipales intelligi, quas ille magiſtratus nomine non dignetur; quia revera umbræ honorum magis, quam veri honores fuerint. Huc etiam apprime facit, quod Apulejus lib. 1. in fin Metam. ipſum Pytheam, Ædilem Hypatæ, ita loquentem facit: *Jam enim, faxo, ſcias, quemadmodum ſub noſtro magiſterio mali debeant coërceri.* Adeo quod Tertullianus in Apolog. cap. 24. ſcribit: Deos municipiorum Italiæ a Romanis non fuiſſe cultos, tanquam minus legitimos, etiam de magiſtratibus eorum dici poteſt. Idem lib. II. ad nat. cap. 8. *Satis rideo Deos decuriones cujusque municipii, quibus honor intra muros ſuos determinatur.*

§. II. Quod ſi vero ad ipſas colonias & municipia adeamus, manifeſto apparebit, eas ſtudioſe nimis majeſtatem urbis dominantis, ut in rebus ceteris, ſic & in magiſtratibus eſſe imitatas. Vidimus jam ſupra ordinem Decurionum nomine Senatus fulſiſſe, & Duumviros Dictatorum, Conſulum, Cenſorum vel Prætorum nomina affectaſſe: diximus etiam, viros Romanorum principes in album magiſtratuum munici-

nicipalium eſſe adoptatos; nequeReges eum honorem aſpernatos: quos inter Juba Mauritaniæ Rex IIVIR. QVINQ. PATRON. COLONIAE. Carthaginis laudatur, apud Reineſ. cl. III. n. 70. Oſtendimus porro, quod arces coloniarum capitolii nomine ſuperbiverint, neque ædificia, ſtatuæ & templa municipiorum Romanis elegantiæ laude ceſſerint: quæ ſingula totidem ambitionis municipalis indicia ſunt; ſed operæ pretium erit, eandem clariſſimis teſtimoniis heic confirmaſſe. Primas dabo Ciceroni, qui Conſidium Duumvirum, arroganter Capuæ ſpirantem, his verbis depingit, Agrar. II. cap. 34. *Jam vero*, inquit, *vultum Conſidii videre, ferendum vix erat. Quem hominem, vegrandi macie torridum, Romæ contemtum & abjectum videbamus: hunc Capuæ Campano ſupercilio ac regio ſpiritu cum videremus.* Similiter Horatius Aufidium Duumvirum Fundanum ridet, quod buccas inſolentiores, quaſi Romæ Prætor eſſet, inflaret, ſuoque nomine, ut Romæ Conſules, annum ſignaret, lib. 1. ſat. 5.

Fundos Aufidio Luſco Prætore libenter
Linquimus, inſani ridentes præmia ſcribæ.

Huc etiam pertinet recentioris ævi illud Salviani lib. 5. de gubern. Dei: *Quæ ſunt*, inquit, *non modo urbes, ſed etiam municipia atque vici, ubi non quot Curiales fue-*

rint, tot tyranni ſint? Tacitus lib. IV. Ann. cap. 62. *municipalis ambitionis* meminit; & Modeſtinus ambitum in municipiis coërcendum fuiſſe docet in *l.* 1. *D. de leg. Jul. amb. Quod ſi in municipio contra hanc legem, magiſtratum aut ſacerdotium quis petierit, per ſenatusconſultum centum aureis cum infamia punitur.* Cœca igitur honorum libido municipales ſupra modum tenuit; ut plerumque mortales, quo ſunt minores, eo majore faſtu turgere ſolent, & nani in digitos eriguntur, ut appareant altiores. Sed honos iſte municipium non excedebat, quique ſtolide nimis eum affectabant ſibilis & riſu explodebantur: quemadmodum in Otacilium quendam, vici magiſtrum Romæ pauperrimum, cum Torquato ſumme divite ſeſe conferentem, illudit Martialis lib. X. ep. 79.

Conſul Torquatus: vici fuit ille magiſter,
Nec minor in tanto viſus honore ſibi.
Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

Quid vero Ædiles? & hi quoque, ob jurisdictionem in lanios, piſtores, negotiatores, ludiones, & id genus alios, inſolentes ſeſe efferebant. Ganymedes apud Petronium cap. 44. *Habemus* (Capuæ) *Ædilem trium caunearum: qui ſibi mavult aſſem*

aſſem, quam vitam noſtram. Itaque domi gaudet: plus in die nummorum accipit, quam alter patrimonium habet. Jam ſcio unde acceperit denarios mille aureos; ſed ſi nos coleos haberemus, non tantum ſibi placeret: hoc eſt, non tam arroganter ſpiraret. nam adjicit: *nunc populus eſt, domi leones, foras vulpes.* Ipſo inceſſu arrogantiam prodentes Ædiles noſtros ridet Perſius ſat. I. vſ. 129.

Seſe aliquem credens, Italo quod honore ſupinus,

Fregerit heminas Arreti Ædilis iniquas.

Ubi Domitius Calderinus, ad Juvenalis ſat. I. vſ. 66. *ſupinum* Ædilem exponit luxurioſum, mollem, nepotem: at Perſius ſatira hac non petulantes & laſcivos perſtringit; ſed qui ob honores elati, greſſu ſcite compoſito, ſubductis ſuperciliis, altisque cervicibus incedebant. Hujusmodi enim ſtolidi & ὑφαύχενες, Caſaubono obſervante, erecto corpore, quaſi veru deglutiſſent, oculos in cœlum ferunt, non multo ſecus ac reſupinati. Eodem ſignificatu hac voce uſus eſt Seneca epiſt. 80. *Ille qui in ſcena elatus incedit, & hæc reſupinus dicit.* & Juvenalis ſat. I. vſ. 66. Mæcenatem *ſupinum* vocat, ob inceſſum, cujus Seneca meminit epiſt. 114. quumque Impp. in *l.* 5. *C. de cuſt. reor.* judicem *reſupina*

cer-

cervice titulum tantum gerentem appellant; non deſidem & in munere ſuo negligentem intelligunt, ut Briſſonius lib. 3. de V. S exiſtimabat; ſed arrogantem & animi vitium ipſo corporis geſtu palam facientem, ut recte explicavit Jac. Gothofredus ad *l. 6. C. Th. tit. eod.* Siquidem rigidæ cervices & exertum caput hominum arrogantium nota habetur. Arnobius lib. I. adv. gent. pag. m. 22. *Qui arrogantiam conſtrinxit noſtram & elatas ſupercilio cervices, modum fecit ſuæ infirmitatis agnoſcere.* Hieronymus ad Ruſticum: *Alii ſublatis in altum humeris, & intra ſe neſcio quid cornicantes procedunt in publicum, ut ſi præconem addideris, putes incedere præfecturam.* Lactantius lib. V. cap. 23. *Idem nihil tumoris atque inſolentiæ gerens, non extollit ſe altius, nec erigit ſuperbum caput.*

§. III. His præmiſſis, ipſam nunc dignitatem, quæ Ædiles adeo inflabat, videamus. Primum ejus argumentum præbent nummi quarundam coloniarum & municipiorum, in quibus, ut ſupra vidimus, Ædilium quaſi reipublicæ ſuæ procerum, nomina ſunt inſculpta: qui honos magnus, & tantus eſt, ut in Urbe Senatusconſulto opus fuerit, cum Auguſtus eum affini ſuo & viro magno Agrippæ haberi vellet, nec tum ex argento, ſed ex ære tantum, nummi

mi mediocri forma cuſi ſunt. Præterea Æ-
diles jus cogendi ordinem municipalem ha-
buiſſe, colligo ex inſcriptione Gruteri 6.
pag. 443. PELTVINI. VESTINIS. IN.
CVRIA. ORDINEM. HABENTIBVS.
T. AVIDIACCO. RESTITVTO. ET.
BLAESIO. NATALE. AEDD. QQ.
SCRIBVNDO. ADFVERVNT. QVOD.
VNIVERSI. VERBA. FECERVNT.
Marmora quoque alia quamplurima digni-
tatis Æditiliæ indices ſunt, in quibus is
honor vivis vel mortuis inſcriptus eſt. A-
pud Gruterum pag. 349. n. 1. OB. HO-
NOR. AEDILIT. pag. 488. n. 1. AEDIL.
ET. QQ. S. HONOREM. Pag. 378. in-
ter L. Cæcilii Optati elogia recenſetur,
quod Barcinone ſit CONSECVT. HO-
NORES. AEDILIC. & pag. 402. n. 3. or-
do municipii Dertoſani Seviro Auguſtali
AEDI. HONOR. DECREVIT. Item apud
Reineſium claſſe II. n. 30. L. Turranius
opera publica exſtruxit Jaderæ, OB. HO-
NOREM. AEDILITATIS. Honor vero
municipalis eſt adminiſtratio reipublicæ cum
dignitatis gradu, definiente Calliſtrato, in
l. 14. *D. de mun.* eamque dignitatem mu-
nicipalem habes, in *l.* 12. *D. de decur.* &
ſignate AEdilitiam, in *l.* 2. *C. ſi ſerv. aut
libert. ad decur. adſp.* ubi Impp. ſervum,
qui ad AEdilitatem in municipio adſpirave-
rat,

rat, puniendum eſſe reſcribunt, *propter violatam ſervili macula curiæ dignitatem.* Vel ſolæ etiam muneris partes dignitatem AEdilibus conciliabant, quæ circa res, in quibus eſt decus & ſplendor civitatium, verſabantur. Sumi etiam ſolebant ex primariis curiarum, honoratis & viris principibus, qui plerisque muneribus jam functi eſſent. Ita Veratium Severianum, ſacerdotem Cæninenſem, ſupra vidimus AEdilatum non ſpreviſſe, cum tamen non niſi ſupremis honoribus functi ſacerdotes eligerentur, auctore Euſebio lib. VII. Hiſt. Eccleſ. cap. 14. neque provinciam illam ſuſcepiſſet Veratius immunis, niſi cum dignitatis quodam gradu eam noviſſet conjunctam. Minime vero *clarum* hunc *honorem*, ut Juvenalis vocat ſat. III. vſ. 178. & dignitatem AEdilium minuit, quod qui in Vrbe AEdilium Curulium fuerant ſcribæ, in coloniis & municipiis AEdiles laudentur; vel qui Romæ inter publicanos, in coloniis eſſent AEdiles; quemadmodum ille apud Gruter. pag. 380. n. 1.

C. CAESIVS. P. F. ROM
AEDILIS. SORAE
PVBLICANVS
ROMAE

Honeſtus enim uterque fuit ordo, non a vili & ſordido hominum genere, ſed ab E-

qui-

quitibus Romanis ſuſceptus. Siquidem Suetonius in Claudio cap. 1. ait: *Corpus Druſi per municipiorum coloniarumque primores, ſuſcipientibus obviis ſcribarum decuriis, ad Vrbem devectum:* ubi Torrentius notat, ſcribas ordinem obtinuiſſe equeſtri proximum; ſed ipſos etiam Equites fuiſſe, prodit inſcriptio apud Fabrett. cap. VI. n. 78.

D. M.
C. IVLI. IVSTI. EQ. R
SCRIBAE. DECVR
AEDILIC. MAI

Publicanos quoque ex equeſtri ordine lectos, Cicero planum facit, pro Plancio c. 9. eos vocans *florem Equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reipublicæ.* & Tacitus lib. IV. Ann. cap. 6. *Frumenta & pecuniæ vectigales, cetera publicorum fructuum, ſocietatibus Equitum Romanorum agitabantur.* Videſis Cl. Burmanni diſſert. de vectig. P. R. cap. 9.

§. VI. Evidentiora dignitatis AEdilitiæ veſtigia apparent in ſede, veſte, comitatu, aliiſque inſignibus, quæ AEdilitatem ornabant, quorumque ſplendore municipum animi ad obſequium perducebantur. Cajus in *l.* 15. §. 39. *D. de injur.* magiſtratibus municipalibus ornamenta tribuit, his verbis: *Unde quærit Labeo, ſi magiſtratus*

tus municipalis ſervum meum loris ruperit, an poſſim cum eo experiri, quaſi adverſus bonos mores verberaverit? Et, ait, judicem debere inquirere, quid facientem ſervum meum verberaverit, nam ſi honorem, ORNAMENTAQVE petulanter adtemtantem ceciderit, abſolvendum eum. De ornamentis noſtrorum AEdilium elegans eſt inſcriptio Tarracone reperta, quam integram appono, ex æterno Gruteri opere pag 407. n. 5.

P. FABIO. P. F. SER.
LEPIDO. F.
QVAE. EX. D. D. TARR.
QVOD. FACTVM. POST
MORTEM. EIVS. POSITA. EST
ADIECTIS. ORNAMENTIS
AEDILICIIS

Ecce! ornamenta AEdilitia ſtatuæ P. Fabii, ob bene merita, a decurionibus adjiciuntur, quamvis homo plebejus eſſet, nec unquam AEdilitatem geſſiſſet. Hoc modo in Urbe ducibus, re feliciter geſta, & aliis ornamenta Conſularia, Prætoria, vel AEdilitia, prout meruiſſent, ab Imperatoribus conferebantur. Tacitus lib. IV. Hiſtor. cap. 4. *Muciano triumphalia de bello civili data; ſed in Sarmatas expeditio fingebatur. Adduntur Primo Antonio conſularia, Cornelio Fuſco & Arrio Varo prætoria inſignia.*

ſignia. Capitolinus in Antonino cap. 10. *Multos ex amicis in ſenatum allegit, cum ædilitiis aut prætoriis dignitatibus, multis ſenatoribus pauperibus ſine crimine dignitates tribunicias ædilitiaſque conceſſit.* Auſonius in paneg. cap. 13. *Quintilianus conſularia per Clementem ornamenta ſortitus, honeſtamenta nominis potius videtur, quam inſignia poteſtatis habuiſſe.* Eodem modo in coloniis & municipiis, decuriones urbis ſimii, iis qui Duumviri, AEdiles, vel decuriones non fuiſſent, honoris gratia ornamenta Duumviralia vel Decurionalia, vivis vel mortuis decernebant. Sic P. AElius Philologus ORNAT. ORNAM. IIVIRAL. apud Gruter. 3. pag. 374. & P. Cornelius Aſper ORNAMENTIS DECVRIONATVS honoratur, apud eundem in 4. pag. 395. Ad ornamenta autem AEdilitia pertinebat ſedes quædam altior, in qua jus dicentes ſedebant, quæque fortaſſe cum procederent, ut ſella curulis AEdilium Curulium, currui imponebatur. Bigæ enim Duumviralis mentio apud Grut. pag. 451. HVIC. PRIMO. IIVIR. BIGA. POSITA & in Vejentano pſephiſmate apud Fabrettum cap. IX. n. 517. BIGAE. DECVRION. Honos quidem ſellæ curulis cum municipiis non fuit communicatus; ut Roccus Vulpius exiſtimat, vet. Lat. lib.

IV.

IV. cap. 8. cui refellendo unus Auſonius de clar. urb. in Burdigala; ſatis erit:

Diligo Burdigalam: Romam colo, civis in hac ſum,
Conſul in ambabus. Cunæ hic, ibi ſella curulis.

Ad ejus autem imitationem ſellam habuerunt honorificam, quæ biſellium vocatur, cujuſque mentio fit apud Gruterum 3. p. 475. HONOREM. BISELLI. QVO. QVIS. OPTIMO. EXEMPLO. IN. COLONIA. SVESSA. HABVIT. & Fabrett. cap III. n. 324. LICEATQVE. EI. OMNIBVS. SPECTACVLIS. MVNICIPIO. NOSTRO. BISELLIO PROPRIO. INTER AVGVSTALES. SEDERE. Varro lib. IV. de L. Lat. cauſam nominis adfert, quod duobus una ſella eſſet: *Quod non plane erat ſella, ſubſellium dictum; ubi in ejuſmodi duo, biſellium dictum.* Sed ad unius tantum ornatum hanc vocem referri, & idem quod ſubſellium ſignificare, exemplis docuit du Frêne in Gloſſ. Lat. voce *biſellium*, cui aſſentior. Quemadmodum enim in urbe judices pedanei, Tribuni, & AEdiles plebis ex ſubſelliis jus dicebant; ſic & ſellam AEdilitiam in coloniis ſubſellium fuiſſe puto, honoris ornamentum. Tacitus quidem *ſedem vulgarem* appellat, Ann. IV. cap. 8. Verum ſubſellia non adeo fuerunt contemta,

temta, ut viri, etiam honore ſpectatiſſimi, Conſules & Senatores Romæ, in publicis conventibus ea occupare haud dedignarentur. Multis hoc biſellii ornamentum magiſtratibus municipalibus vindicavit Val. Chimentellius, in erudito commentario, ad ſequens marmor Piſis repertum:

D. M.
Q. LARGENNIO
Q. F. GAL. SEVERo
AEDILI. PISAS
Q. LARGENNIVs
CHRESIMVS. PAter
QVI OB. HONOR
BISELLII. H. S. Nv
REI. P. PISANOR
DEDIT

§. V. Alterum Æditiliæ dignitatis inſigne fuit toga prætexta, id eſt toga alba, cujus ora & limbus per circuitum purpura prætexebatur: ea namque honoris habitus erat & index, dignitatemque ſi non augebat, ſaltem inſtruebat; quia auctoritas minuitur, ſi in veſtibus ſordeat. Tertullianus de pallio: *Proprius habitus uniuscujusque eſt, tam ad uſum quotidianum, quam ad honorem & dignitatem.* Equidem peregrinis ut togæ, ſic etiam prætextæ jus negatum, auctore Macrobio lib. I. ſat. cap. 6. in coloniis autem & munici-

piis, pariter ac in urbe, hoc ſingulari indumento Magiſtratus a plebe & decurionibus ſecernebantur. Cicero de Piſone Duumviro, oratione in eum habita cap. 11. *Capuæ te prætextatum nemo adſpexit, quin gemeret deſiderio mei.* Horatius lib. I. ſat. 5. Aufidii Luſci Duumviri Fundani clavos purpureos prætextæ inſutos ridet; & Marcus Poſtumius Duumvir Quinquennalis, in nummo ad novam Carthaginem pertinente, toga prætexta indutus conſpicitur, apud Vaillant. numiſm. ær. Impp. in colon. p. m. 40. Quid clarius? Valerius de lege Oppia abroganda diſſerens apud Livium, generaliter magiſtratibus coloniarum & municipiorum eam adſignat lib. XXXIV. cap. 7. cujus verba adſcribam, ut ſimul illuſtrem: *Purpura*, inquit, *viri utemur: prætextati in magiſtratibus, in ſacerdotiis: liberi noſtri prætextis purpura togis utentur, magiſtratibus in coloniis municipiisque: hic Romæ infimo genere magiſtris vicorum, togæ prætextæ habendæ jus permittemus: nec id ut vivi ſolum habeant tantum inſigne, ſed etiam ut cum eo crementur mortui.* Sacerdotibus datam eſſe prætextam, ait, puta non Romanis tantum, ſed etiam municipalibus. Latinus Pacatus paneg. cap. 37. *Reverendos municipali purpura flamines.* Addit, in hac cremari, qui

vita

vita prius, quam magiſtratu eſſent defuncti; more veterum, mortuos in veſte pretioſa & honeſta efferendi: hæc vero in tacito plebejorum funere fuit toga, in magiſtratibus prætexta, ut Rævard. lib. I. Conject. cap. 14. ex Marciano & Paulo, ex aliis vero Lipſ. lib. I. Epiſt. quæſt. 7. & lib. I. Elect. cap. 6. illuſtrarunt; quibus addo prætextam, inter vitalia, ſive mortualia ornamenta, apud Petron. cap. 77: *Interim, Stiche, profer vitalia, in quibus volo me efferri. profer & unguentum & ex illa amphora guſtum, ex qua jubeo lavari oſſa mea. Non eſt moratus Stichus, ſed & ſtragulam albam & prætextam in triclinium attulit, juſſitque nos tentare, an bonis lanis eſſent confectæ.* Inde etiam manavit, quod Archiepiſcopi cum palliis, Prælati & Sacerdotes cum dalmaticis & togis, ac monachi denique cum habitu, ut vocant, angelico ſepeliuntur. Vid. *c.* 2. *X. de uſu & auct. pall.* Gregor. Turon. de vita Patrum cap. 6. & Anaſtaſ. Biblioth. in vita Eutychiani. Non igitur eſt dubium, quin Ædiles eodem honorato amictu & vivi & mortui fuerint gaviſi. Certe prætextam videbat Apulejus, cum Pytheam Ædilem lib. I Metam. alloquebatur: *Sed quid iſtud? voti gaudeo. Nam & lixas & virgas & habitum prorſus magiſtratui congruentem*

in te video. At tenebras nobis hic offundit Juvenalis, ubi Umbritium aruſpicem inducit, de Italiæ oppidis dicentem ſat. III. vſ. 177.

Æqualis habitus illic, ſimilemque videbis
Orcheſtram & populum: clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicæ ſummis Ædilibus albæ.

Ecce! idem omnibus geſtamen tribuit; non togam, multo minus prætextam, ſed tunicam, habitum viliſſimum & ſervilem, honoris Æditii velamen appellat. Vir ſummus Marcus Velſerus lib. V. Rer. Aug. Vind. pag. 270. exiſtimabat, poëtam tunicas generatim dixiſſe pro veſte. Ferrarius tunicas Ædilium albas interpretatur candidas & recenter lotas, lib. III. de re veſt. cap. 10. & lib. II. Elect. cap. 9. Sed non expediunt me ab hoc nodo: æqualem enim habitum in municipiis facit Juvenalis, & vix eſt ut cretata ambitio hiantes duxerit municipales, nec de alia veſte quam de tunica, erat ſermo. Videamus. Romæ tunicatum apparere ſortis humillimæ erat argumentum, & interdum ignominiæ cauſſa tunica in publicum ſumi juſſa: in coloniis vero & municipiis communis ea omnium veſtis, ut Lipſius lib. I. Elect. cap. 25. docuit ex Ciceronis II. Agrar. cap. 34. ubi Campanos colonos *tunicatos*, ſicut Martia-

tialis lib. X. epigr. 51. vitam municipalem *tunicatam quietem* appellavit. Addo quod Marcus Antoninus, ut parentem in veſtitu communem fuiſſe oſtendat, eum Lanuvii ſæpe tunicatum viſum, refert, de vita ſua lib. I. §. 16. *Toga, qua Lorii utebantur, a villa inferiore comparata: Lanuvii tunicatus plerumque; in Tuſculano, ſed quod excuſare ſolebat, penulatus.* Nullæne ergo, inquis, municipibus togæ? Erant, quis dubitet? ſed uſus rarioris: jus enim togæ municipia & coloniæ, velut certiſſimum civis Romani inſigne, habuerunt. De Italia Tacitus lib. II. Hiſtor. cap. 20. *Ornatum ipſius, municipia & coloniæ in ſuperbiam trahebant: quod verſicolore ſagulo, braccas tegmen barbarum indutus, togatos alloqueretur.* Ex eadem Statius lib. I. Sylv. vſ. 10 undique confluxiſſe, ait, togatos ad Rutilium Gallicum Præfectum urbi, intra centeſimum milliarium:

Inque ſinum quæ ſæpe tuum fora turbida queſtu
Confugiunt, legesque, urbesque ubicunque togatæ.

ubi Samuel Petitus lib. III. var. lect. c. 5. mavult: *urbisque ubicunque togati*, ut Senatores Romani intelligantur, quia in Italia uſus togæ deſierat; at rarior domi facta, non deſiit ſumi, ſi Romam, litium a-

gendarum cauſſa, eundum eſſet, ſaltem ob jus Quirinalis togæ, urbes recte togatæ dicuntur. De provincialibus Seneca, ludo de morte Claudii: *conſtituerat omnes Græcos, Gallos, Hiſpanos, Britannos togatos videre*, id eſt cives Romanos. De Gallia Ciſalpina Dio ſub finem lib. 46. *Romano veſtitu, ut in Urbe, utebantur.* Hiſpaniæ populum Tarraconenſem togatum vocat Strabo lib. III. pag. 151. in Bithyniæ civitatibus virilem togam eſſe ſumtam, ſcribit Plinius lib. X. epiſt. 117. eumque morem togæ virilis ſumendæ in Africa fuiſſe, binis locis indicat Apulejus, in apologia. De Carthagine Tertullian. de pallio: *Cum concordia juvat, toga oblata eſt.* Habebant ergo jus togæ coloni; ſed quia in tunicis ad ruſticos labores magis erant apti, raris idibus, immo vix ſemel in vita, quidam togas ſumebant. Martialis lib. IV. epigr. 66. Plinius lib. VII. epiſt. 3. Quemadmodum enim togæ uſus apud ipſos Romanos, ſub Imperatoribus, tam rara eſſe cœperat, ut penes ſolos Senatores, Judices & Advocatos maneret, & in provinciis plerique byrrhis & pænulis amicirentur; ſic municipibus Italiæ non veſtis ex arca prolata, non mille ponderibus aut tormentis ſplendere cogentibus preſſa, ut Seneca ait, ſed domeſtica & vilis, nec ſervata, nec

nec ſumenda placebat; cumque Senatores Romani, pluviæ aut frigoris cauſa, *quieta coloborum ac penularum veſtimenta* induere jubeantur, in *l.* 1. *C. Th. de habitu quo uti op.* noſtri decuriones, in ipſo fungendo munere ſenatorio, penulati in curiam veniebant. Ambroſ. 2. ad Timoth. *Quos conſtat in ſocietatem Romanorum receptos, ut de cetero appellarentur Romani, idcirco neceſſe eſt eos Curiam habere, in quam more Romanorum penulati conveniant.* Rem omnem conficit Juvenalis eadem ſat. III. vſ. 171:

Pars magna Italiæ eſt, ſi verum admittimus, in qua
Nemo togam ſumit, niſi mortuus.

Minime igitur Umbritius Ædilibus togam prætextam abjudicat; ſed inter cauſſas, cur Roma Bajas migret, hanc ponit, quod luxus hic in amictu nullus; cum ipſi etiam Ædiles, ſummi ludorum moderatores, in orcheſtra ſedentes, ſpretis prætextis, cum populo tunicis uterentur. Secus ac in Urbe, ubi ordines per habitum diſcreti, & purpura curiam ab Equite, Equitem clavus aureus a populo, cives toga nivea a vulgo pullato diſtinguebat; ludos autem edentes in togis pictis magno cum faſtu cernebantur. Idem ſat. X. vſ. 35.

Quid ſi vidiſſet Prætorem in curribus altis
Exſtantem, & medio ſublimem in pulvere circi,
In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ?

Rurſus in verſibus ſequentibus 99. 100. & 101. eadem ratione magiſtratus urbanos *prætextatos* opponit Ædili Ulubrano *pannoſo*, id eſt pannis obſito, male veſtito, lacera, luxata & craſſioris fili veſtimenta induto: non quod hic fuerit deſtitutus prætexta, ſed quod raro ea uteretur; vel quod non eſſet tam pretioſa, non dibapha, Afro murice bis tincta, quæ ſola hac ætate urbanis placebat. Plinius lib. IX. Hiſt. cap. 39. *Dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinther Ædilis Curulis primus in prætexta uſus improbabatur: qua purpura quis non jam triclinaria facit?*

§. VI. Non alio loco magis commodo expediam quæſtionem difficilem, num Ædiles ſummi fuerint municipum proceres, gubernacula civitatium adminiſtrantes, an vero infra ſe poſitos habuerint eos, qui abſolute Duumviri vocantur? Prius placuit Jul. Cæſari Capacio Antiq. Neap. c. 9. *Ædiles primos in coloniis magiſtratus fuiſſe, tota affirmat antiquitas.* Idem ſedit Lipſio de magiſtr. Pop. Rom. cap. 12. *Isque,*

que, inquit, *primus & ſummus, niſi fallor, municipalis magiſtratus. Juvenalis: Sufficiunt tunicæ ſummis Ædilibus albæ.* hunc, ut fieri ſolet, ſequitur Claudius Chifletius, in ſtatu reip. Rom. ſub Conſtantino M. *Hi ergo* (AEdiles) *non unius loci, ſed omnium municipiorum & civitatum principalem gradum ſuſtinebant.* Marcus autem Velſerus lib. V. Rer. Aug. Vind. pag. 96. negat, in coloniis ſupra Duumviros fuiſſe AEdiles, in municipiis admittit; quia Tullius in municipio ſuo ſolos AEdiles creari ſcribit lib. XIII. epiſt. 11. Nulli vero horum rem acu tetigerunt, nec argumentis idoneis utuntur. Nam Juvenalis AEdiles *ſummos* vocat, propter ludos, de quibus ibi ſermo eſt, ut Iſaacus Grangæus in notis obſervat: ludorum autem editores, etiam privati, ad pompam & indicium auctoritatis, loco editiore ſedebant. Nec Velſerum juvat Cicero: idem enim ſimul, morem hunc municipio ſuo ſingularem in aliis perinde non obtinuiſſe, his verbis indicat: *is enim magiſtratus, nec alius ullus, creari ſolet.* Adhæc cras credam forte, hodie nihil, AEdiles Arpinates, quos Cicero laudat, ſumma cum poteſtate municipali fuiſſe: quod ſi enim a Prætore Arpinum miſſus eſt præfectus jure dicundo, is ſine dubio omne imperium tenuit, nullum AEdi-

les, ut ſupra dictum eſt. Verum nec dum res ſecuræ ſunt. Alii enim forte ex ordine argumentum ducent pro AEdilibus; quia Spartianus, in vita Hadriani cap. 19. poſt ſummum Dictatorem AEdiles, & poſtremo loco Duumviros collocat: *Per Latina oppida, Dictator, & Ædilis, & Duumvir fuit;* quodque in lapidibus vetuſtis AEdilitas plerumque Duumviratui præmittitur. Sed ægri hæc forent ſomnia, & nugæ meræ! Spartianus ordinis ſecurus ſatis habuit magiſtratus, quibus Hadrianus in oppidis Latinis functus erat, enarraſſe: in vetuſtis autem inſcriptionum monimentis a minori magiſtratu ad ſummum plerumque adſcenditur, & honorum gradus indicantur. Quinimo ex lapide Fabretti cap. VI. n. 83. QUAESTORI. AEDILI. II. VIRO. & ex alio apud Alexandrum Squadronum, in faſciculo laudum Regii Lepidi n. 8. tom. IX. Theſ. Ital. ſatis apparet, AEdilitios ad Duumviratum adſcendiſſe:

CN. BIENUS. L. F. POL
BROCEUS. VI. VIRAL
ÆDILICIUS. II. VIR
REGIO LEPIDO

Equidem nihil certi hic definiri poteſt: id vero pro regula obſervare licet, Duumviros, pro Conſulibus duobus fungentes, principalem plerumque gradum ſuſtinuiſſe, auctore Ulpiano, in l. 1. *D. de albo ſcrib.*

De-

Decuriones in albo ita ſcriptos eſſe oportet, ut lege municipali præcipitur, ſed ſi lex ceſſat, tunc dignitates erunt ſpectandæ, ut ſcribantur eo ordine, quo quisque eorum maximo honore in municipio functus eſt, puta, qui Duumviratum geſſerunt, ſi hic honor præcellat. Hi enim ſunt qui rempublicam ſalvam præſtare debent. *l.* 3. *§. fin. D. de pecul. l.* 35. *§.* 1. *D. de oblig.* qui onera decurionibus indicunt *l.* 13. *§.* 5. *D. de injur.* & quibus ſumma reip. commiſſa eſt, *l.* 14. *D. ad municip.* Præterea Conſtantinus non obſcure indicat, ſummum locum tenuiſſe, quos in *civitatibus Duumvirilitas condecorat*, l. 1. C. de nat. lib. & Valentinianus, ubi gradatim honores a Curialibus ſuſcipi jubet, a Duumviratu, velut a primo magiſtratu, initium fieri vetat, in *l.* 77. *C. Th. de decur.* Apulejus quoque hoc ipſum confirmat in apolog. *In qua colonia patrem habui loco principe Duumviralem, cunctis honoribus perfunctum.* His vero Ædiles fuiſſe inferiores diſcimus, ex fragmento Faſtorum municipalium, prope Nolam reperto, apud Gruter. pag. 1087. n. 1. in quo Duumviris primus, AEdilibus ſecundarius locus tribuitur. Rurſus in eodem opere pag. 362. in formula, qua Q. Aradius Rufinus & Valerius Proculus municipes *municipii* T. AElii Hadriani Aug. Ci-

Civilitani, ſub Conſtantino juniore, in fidem clientelamque ſuam receperunt, hæc habentur verba: *In. quam rem. gratuitam. legationem. ſuſceperunt. Inſteus. Renatus. &. Apollonius Gallentius. Duoviri. T. Ælius. Nigozinus. &. Ælius. Fauſtinus. Ædiles &c.* Et ſane ſi AEdiles municipales imaginem AEdilium Urbanorum retulerunt, infra Duumviros, Conſulum imaginem referentes, ſunt collocandi. De illis enim Cicero libro III. de leg. c. 3. *Olliſque ad honoris amplioris gradum is primus adſcenſus eſto.* De his Tergeſtina inſcriptio apud Gruter. pag. 408. VT. CARNI. CATALIQ. PER. AEDILITATIS. GRADUM. IN. CVRIAM. NOSTRAM. ADMITTERENTVR.

§. VII. Probe autem obſervari meretur reſtrictio, ab Ulpiano in dicta *l.* 1. tradita: alibi enim Quinquennales, pro Cenſoribus fungentes, primum locum tenebant: proindeque in albo decurionum Caſunianorum, quod Nicolaus Bon publici juris fecit, & extat apud Fabrettum cap. IX. inſcript. 9. quodque Abbas Damadenus, in libro, cui titulus eſt *Æs redivivum* explicavit, Quinquennalitii Duumviralitiis, Ædilitiis, & Quæſtoritiis, præferuntur. Aliis in oppidis ex lege municipali unus ad clavum reip. ſedebat, qui Dictatoris, Prætorisve, ut ſupra vidimus, nomine inſi-

gni-

gnitus, ſummam exercebat poteſtatem, AEdilitia certe majorem. Teſtem produco tabulam marmoream, apud Cæretes repertam, in qua hæc leguntur verba apud Gruterum pag. 214. M. PONTIO. CELSO. DICTATORE. C. SVETONIO. CLAVDIANO. AEDILE. IVRI. DICVNDO: PRAEF. AERARI. COMMENTARIVM. COTTIDIANVM. MVNICIPI. CAERITVM. Dices, an nuſquam ergo AEdilitatis honos præcelluit? Non ſane in urbibus metrapolitanis, primariis, & ut Theodoſius in *l.* 52. *C. de decur.* vocat, magnifico ſtatu præditis, ac votiva curialium numeroſitate locupletibus, harum decus enim in multitudine magiſtratuum conſiſtebat: at de minoribus exhauſtisque oppidis id ſi quis affirmet, ei haud multum refragabor: & præſto eſt M. Junius Sabinus IIIIVIR. AEDILICIÆ POTEST. E. LEGE. JVLIA. MVNICIPALI, Fabrett. pag. 485. n. 160. In primis autem in urbibus Sabinis parvis & deſertis ſummus magiſtratus fuiſſe videtur AEdilis. Juvenalis ſat. X. vſ. 99.

Hujus, qui trahitur, prætextam ſumere mavis,
An Fidenarum Gabiorumque eſſe poteſtas?
Et de menſura jus dicere, vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis Ædilis Ulubris?

Po-

Poteſtas hic non facultatem, nec dominatum notat, ſed perſonam, quæ cum poteſtate aliqua Magiſtratum gerit: pari ratione, qua imperium pro imperatore, regnum pro rege, prætura pro prætore, ſtatio pro ſtationariis, ſervitia, miniſteria, operæ, pro ſervis officia præſtantibus ponuntur. Eoque ſignificatu Virgilius, Lucanus, Seneca, Plinius, Suetonius, etiam inter Juriſconſultos Modeſtinus, in *l.* 26. *D. de pignor.* Ulpianus in *l.* 17. §. 19. *D. de Ædil. ediƈt.* & Gracchanus in libris de poteſtatibus, quorum ſeptimi mentio fit, in *l. un. de off. Quæſt.* uſurparunt. Magiſtratus quoque municipales πολιτικαὶ ἐξουσίαι, dicuntur, ut Valeſius ad Euſebii Hiſt. Eccleſ. lib. V. cap. 1. oſtendit; ejusque appellationis veſtigium, his ipſis temporibus, in aliquibus Hetruriæ oppidulis, & Venetorum ditionis urbibus ſupereſt, ubi is, qui civitatis negotia cum poteſtate quadam gerit *Il Podeſta* vocatur. Eſt tamen cur dubites, num hoc loco ea vox generica ad AEdiles referri poſſit: rem enim diverſam & nominat & deſcribit Juvenalis. Adhæc Paulus ait, voce poteſtatis in perſonis magiſtratuum ſignificari imperium *l.* 215. *de V. S.* & merum imperium poteſtatem appellari ſcribit Ulpianus, in *l.* 3. *D. de jurisdiƈt.* quod de AEdilibus prædicari nequit.

quit. Scio hunc ſignificatum non eſſe perpetuum apud Juriſconſultos, multo minus apud Poëtas licentioſos, & vocibus promiſcue utentes, prout aliquid exaggerare vel diminuere cupiunt. Stat etiam pro illa explicatione vetus Junii Scholiaſtes, ad hunc locum ſcribens: *Præfectus & Conſul cum periculo eſſe mavis, an ſecurus minorem dignitatem adminiſtrare, ut ſis Ædilis, aut curator cujuscunque parvæ civitatis?* Magis vero inclino, ut Poteſtatis vocabulo Præfectum ex Urbe miſſum intelligamus, qui juridicundo præerat: huic enim in deſertis urbibus jungebatur AEdilis, qui reliqua curaret. Hinc Juvenalis in exemplum deſertiſſimi loci *vacuas Ulubras* adducit; quia *oppidum erat a* III. *viris deductum, poſtea a Druſo Cæſare exſtinctum: ager ejus in nominibus eſt aſſignatus*, ait Frontinus de colon. pag. 108. Sed et ante Druſum, Tiberii filium, Latii iſtud oppidum, ob corruptum valde aërem, habitatoribus vacuum fuiſſe videtur; quia Horatius lib. I. epiſt. 11. vſ. 30. cecinit, animum æquum etiam Ulubris haberi poſſe, & ſuperior Cicero lib. VII. epiſt. 12. falſe Trebatio ſcribit: *Quid fiet populo Ulubrano, ſi tu ſtatueris* πολιτεύεσθαι *non oportere? Quomodo jam ſtabit Ulubranorum præclara illa enimvero reſpublica, quam tu in clientelam ſuſcepiſti?* Poſtea

ſtea epiſt. 18. ruſticolas illius loci, in paludibus habitantes, per jocum & contemtum *ranunculos* vocat, qua de re vide Joſephi Rocci Vulpii vetus Latium lib. VI. cap. 8 ubi hoc oppidum ſine veſtigiis interiiſſe ſcribit. Nec tamen ipſi aſſentior, quod lib. IV. cap. 8. ex hoc Juvenalis loco liquere exiſtimat, Ædiles ibi jus dixiſſe, tanquam ſummas oppidi illius poteſtates: nam magis eſt, ut ex marmore Fabretti pag. 709. n. 308. & Reineſ. cl. VI. n. 72. præſumamus Præfectum juri dicundo hic conſtitutum eſſe:

C. OPPIVS. SP. F. COL
RVFVS PAGI. MAGISTER.
IDEM. PRÆFECTVS. VLVBRIS.
JVRI. DICVNDO.

Quod ſi ergo ſolus AEdilis Ulubris cetera recte adminiſtravit, quidni etiam in aliis oppidis? quorum multa, ætate Dionyſii & Livii, vacua aut lapſa fuerunt, partim ob bella civilia, partim quod urbs, lienis inſtar, omnes vicinos ad ſe traxit & abduxit, ſive ob ſpem lucri, ſive ob voluptates & frumentationes. Lucanus lib. I. Phars. vſ. 24.

At nunc ſemirutis pendent quod mœnia tectis
Vrbibus Italiæ, lapſisque ingentia muris

Sa-

Saxa jacent; nulloque domus cuſtode tenetur,
Rarus & antiquis habitator in urbibus
errat.

Et lib. VII. vſ. 398.

- - - crimen civile videmus,
Tot vacuas urbes. Generis quo turba re-
dacta eſt
Humani? toto populi qui naſcimur orbe,
Nec muros implere viris, nec poſſumus
agros,
Urbs nos una capit.

Horat. lib. I. epiſt. 11. vſ. 7.

Scis, Lebedus quid ſit, Gabiis deſertior
atque
Fidenis vicus.

Denique quid ſuſpicionibus inhæream? rem manibus teneo. Cn. Munatius Baſſus Nomentanus AEdilis cum duumvirali poteſtate nominatur, in marmore pulcherrimo, prope novum Nomentum proſtante, apud Onuphrium Panvinium, in deſcript. Urb. Romæ pag. 245. & Fabrett. cap. 1. pag. 29. Verba ejus poſtrema, quæ huc faciunt, appoſui:

CVRATOR
VIAE. NOMENTANAE. PATR. EIVSDEM
MVNICIPI. FLAMEN. PERPETVVS
DVVMVIRALI. POTESTATE
AEDILIS

Quod ſi vero Nomenti fuit ea reip. forma,

non dubito, quin eadem in oppidis huic vicinis ſit ſervata. Conjungit has urbes Virgilius lib. VI. vſ. 773.

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque
Fidenam.

Et Juvenal. ſat. VI. vſ. 56.

- - - vivat Gabiis, ut vixit in agro,
Vivat Fidenis, & agello cedo paterno.

His ergo in oppidulis, ſi dignitatem & poteſtatem ſpectes, fuerunt Duumviri, ſi nomen AEdiles: pariter ac in Urbe Tribuni conſulari poteſtate, Livius lib. 6. cap. 30. Dictator cenſoria poteſtate, Idem lib. 23. cap. 23. Prætura conſulari poteſtate, Suetonius Domit. cap. 1. Imperatores tribunicia poteſtate, Tacitus lib. 1. Annal. cap. 7. aliique obvii.

CAPUT XIII.

DE JURISDICTIONE ET POTESTATE AEDILIUM.

I. *Juridici in Italia, in provinciis Præſides, Romæ Principes jus dicebant de cauſſis municipum gravioribus; de levioribus autem II. viri & Æдiles. Gentilis, Reineſius & Sigonius refelluntur.* II. *Ædilium jurisdictioni non fuit admixtum imperium plenum, neque tribunal, proprie*

prie ita dictum. l. 4. D. de jurisd. l. 26. D. ad munic. nec non Suetonius & inſcriptiones veteres explicantur. Cujacius & Chimentellius refutati. Prætoria urbium. III *Leges diverſæ municipiorum, & Proconſulum edicta. Ædiles per Italiam & provincias judicabant ſecundum edicta Ædilium Curulium. Petronio & Theophilo lux. Pytheæ Ædilis judicium examinatur.* IV. *Crimina per Italiam Senatus & Præfectus Urbi, in provinciis Præſides vindicabant; leviora coërcebant Duumviri & Ædiles, ſed mero imperio deſtituti. Joh. XVIII. vſ.* 31. *argumentis juridicis firmatur.* V. *AEdiles multam dicebant, pignus capiebant, poſita in via conſcindebant, merces inutiles expoſitas jactabant, menſuras iniquas frangebant. Budæus, Cujacius, Gentilis & Sarius Zamoſcius notati. l. un. ſi quis jus dic. non obt. l.* 12. *D. de peric. & comm l.* 13. *D. locat. l.* 20. *D. comm. div. varia luce donantur.* VI. *Duumviri noxios cuſtodiebant, tranſmittebant, vel modice caſtigabant. AEdiles flagellis cædebant eos, ſine infamia, qui utenſilia negotiantur. Act. V. vſ.* 40. *XVI. vſ.* 22. *l.* 12. *D. de juriſd. & l.* 12. *D. de decur. excuſſæ.* VII. *Piſtores, ſeplaſiarii, vinarii, piſcarii &c. coërcitioni AEdilium ſubjecti.*

VIII. *Inter inſignia AEdilitiæ poteſtatis lixæ, lictores & limocincti, præferentes virgas. l. ult. D. de juriſd. & l. 239. §. 8. de V. S. excuſſæ. Harduinus & Bulengerus reprehenſi. IX. Batilli Duumviris prælati, forſan & ſerius faſces. Prunæ batillus, apud Horatium aliter, quam a Turnebo, Vulpio aliisque explicatur. X. Baculus albus, qui Conſulibus Duumviris Coloniæ Agrippinæ præfertur, fuſe illuſtratus.*

Aſſerta, quantum ſatis eſt, AEdilium dignitate, ſequitur, eorum judicandi judicatique exequendi poteſtatem videamus: quæ quæſtio difficilior primo obtutu videtur; ſed operam dabimus ideo majorem, ut ne, qui valde nos urgeant ſcrupuli, ſuperſint. Ac primum quidem, ut omnia ordine explicentur, ab Italia incipiam; ubi alia coloniarum & municipiorum ſub libera Republica, alia vero ſub Cæſaribus fuit conditio. Olim ſuos quæque civitas magiſtratus habebat judices, ambigua cauſarum fata dirimentes, nec unquam, niſi in præfecturæ formulam eſſet redacta, præfectis juri dicundo Roma miſſis parebat. Auguſtus vero, quemadmodum omnia ſibi ſoli ſumſit, atque Senatus Populique Romani auctoritatem

tem diviſis provinciis fregit; ſic veterum quoque coloniarum jurisdictionem varie decurtavit. Hadrianus dein quatuor Conſulares per omnem Italiam judices conſtituit, auctore Spartiano in ejus vita cap. 22. & Marcus *datis juridicis Italiæ conſuluit, ad id exemplum, quo Hadrianus Conſulares viros reddere jura præceperat*, ait Capitolinus in ejus vita cap. 11. Non multo poſt Seuerus cognitionem de omnibus, quæ intra centeſimum ab urbe lapidem in decem ſuburbicariis regionibus committebantur, ad Præfectum Urbi detulit; qui extra urbem quidem, non magis quam Prætor, jus dicebat, ſed de omni cauſſa, quæ extra muros acciderat, in urbe judicabat, vel judicari jubebat provocatus *l.* 1. *&* 3. *D. de offic. præf. urbi.* Ceteræ ſeptem Italiæ regiones ſub Correctoribus, & denique omnes ſub Præfecto Prætorio fuerunt, ut Notitia Mariani Scoti teſtatur. Hæc de Italia ſufficiant: plura Berterius dabit Pithan. diatr. I. cap. 3. In provinciis vero Proconſules & Præſides pleniſſimam jurisdictionem habebant, omniumque, qui Romæ jus dicebant, vice & officio fungebantur, nec quicquam voluntariæ aut contentioſæ jurisdictionis erat in provincia, quod non per ipſos expediretur, *l.* 7. §. 2. *l.* 9. *D. de off. Proc. l.* 10. *D. de off. Præſ.*

Solemnes ea fini in metropolibus diœceſeon & provinciarum, quas Septuaginta πόλεις τῶν πόλεων appellant, habebant conventus, ad quos provinciales de controverſiis ſuis diſceptaturi conveniebant *l.* 12. *&* 13. *C Th. de legat.* idque eſt *forum agere* Ciceroni lib. III. famil. epiſt. 4. *conventum agere* Cæſari lib. I. de bello Gall. cap. fin. τὰς ἀγοραίους ἄγειν Lucæ in Actis cap. XIX. vſ. 38. vide Joh. Freder. Gronovii lib. III. Obſerv. cap. 22. Cum vero ab omni Præſide & Magiſtratu ad Principem provocari poſſet, provinciales litis cauſſa Romam, tanquam ad domicilium & larem ſummi imperii ſe conferebant, *l.* 27. *§.* 1. *D. de inſtruct. & inſtrum. l* 1. *C. de temp. & rep app. l.* 3. *C. quando provoc.* Ipſas etiam civitates Romæ inter ſe per legatos ſuos contendere ſolitas, Tacitus auctor eſt, de cauſ. corr. eloq. cap. 3. *Cum tot amicorum cauſæ tot coloniarum & municipiorum clientelæ in forum vocent.* Eumque in finem municipia forte ſuas in foro habuerunt *Stationes*, quarum Victor, inter octavæ regionis ædificia meminit, & Plinius loti arboris, a Romulo in Volcanali ſatæ, *radices in forum uſque Cæſaris per ſtationes municipiorum penetraſſe* ſcribit, lib. XVI. cap. ult. vid. Famiani Nardini Rom. vet. lib. V. cap. 8. Omnis igitur juris reddendi, &

reddi-

redditum exequendi poteſtas in Italia apud Juridicos, in provinciis apud Præſides & denique apud Principes Romæ reſediſſe, nec quicquam magiſtratibus municipalibus relictum eſſe videtur. Ita ſane conjectant Scipio Gentilis lib. II. de jurisd. cap. 6. & Thomas Reineſius epiſt. 31. ad Rupert. pag. 161. & 175. ſatis profecto confidenter! modo ſatis recte. Enimvero ad Præſidis officium duo pertinebant, bellum gerere & juſtitiam adminiſtrare; æſtivos ergo menſes rei militari, hibernos jurisdictioni dabat. Quis autem putet tanta eum, cum ſuo Legato, diligentia eſſe potuiſſe, ut hieme omnibus jus poſcentibus ſatisfacerent? quia provinciæ late patentes in plures Conventus diſtribuebantur, uti Hiſpaniæ, in ſeptem Conventus diviſæ, exemplo conſtat, ex Plinio lib. III. cap. 3. qui & Tarracone quatuor & quadraginta, Carthagini vero duos & ſexaginta populos ait diſceptaſſe. Immo per æſtatem cauſſæ incidebant, quæ moram non patiebantur, quarumque dilatio reip. periculoſa erat; ut omnino dicendum ſit, ſingulos civitatium magiſtratus de controverſiis levioribus jus dixiſſe, gravioribus quibusque ad conventum dilatis. Cæſar lib. VIII. de bello Gall. cap. 46. *Paucos ipſe dies in provincia moratus, quum celeriter omnes conventus per-*

percucurriſſet, publicas controverſias cognoviſſet, bene meritis præmia tribuiſſet, ad legiones in Belgium ſe recepit. Hirtius de bello Alex. cap. 78. *Ita per Gallogræciam Bithyniamque in Aſiam iter facit: omniumque earum provinciarum de controverſiis cognoſcit & ſtatuit: jura in tetrarchas, reges, civitates diſtribuit.* Neque omnium hac in re coloniarum & municipiorum eadem conditio, nam, ut vere ſcripſit Aggenus Urbicus, antiqua municipia ſuum privilegium habuerunt, alia ut ſolutiore jure uterentur, alia iniquiore eſſent. Integræ genti Hebrææ permiſſum fuit patriis moribus & ſacris uti, auctore Joſepho lib. XIV. Antiq. cap. 17. Apud Græcos ait Pauſanias lib. VII. judicia capitis a Romanis exercita, leviores cauſſas Achæorum cognitioni relictas. De Siculis Cicero 1. Verr. cap. 23. *Siculi hoc jure ſunt, ut quod civis cum cive agat, domi certet ſuis legibus, quod Siculus cum Siculo non ejusdem civitatis, ut de eo Prætor judices ex P. Rupilii decreto ſortiatur.* De Nemauſenſibus colonis Strabo lib. IV. pag. 186. ſcribit, eos *cum Præfectis Roma miſſis nihil habere negotii.* De Lugdunenſi Primate Galliæ, qui ex Romanorum provinciæ deſcriptione originem ducebat, ita Guil. Brito Philipp. 12. cecinit:

Et

Et Lugdunenſis , quo Gallia tota ſolebat ,
Ut fama eſt, Primate regi, cauſſaſque referre
Difficiles , ut ibi lis ultima litibus eſſet.
Nec mittebatur Romam lis ulla , niſi quam
Lugdunenſe forum per ſe finire nequiſſet.

Sine diſtinctione etiam lex Mamilia jurisdictionem Magiſtratibus municipalibus dedit, quando termini moti actio adhuc pecuniaria erat, his verbis: *Quicunque. magiſtratus. in. ea. colonia. municipio. præſectura. foro. conciliabulo. jure. dicundo. præerit. ejus. magiſtratus. ea. de. re. jurisdictio. judicis. datio. addictio. eſto.* Denique cum Cajus in *l.* 29. *D. ad municip.* meminerit *municipalis jurisdictionis*, tuto concludimus, plerisque municipiis extra muros jurisdictionem competiiſſe, intra muros omnibus, ſed generis diverſi: alia etenim erat Edicto perpetuo aut a Præſide mandata, Ulpianus in *l.* 4. *§.* 3. *D. de damn. inf. Duas ergo res magiſtratibus municipalibus Prætor vel Præſes injunxit,.cautionem & poſſeſſionem, cetera ſuæ jurisdictioni reſervavit.* alia propria, quæ omnibus lege conceſſa: uti oratione D. Marci *jus dandi tutores datum eſt omnibus magiſtratibus municipalibus, eoque jure utimur*, inquit idem Ulp. in *l.* 3. *D. de tut. & curat. dat.* alia denique ex privilegio quibusdam tan-

tum municipiis data, auctore Paulo *lib. II ſent. tit. 25. Apud magiſtratus municipales, ſi habeant legis actionem, emancipari & manumitti poteſt.* Hinc etiam in ſaxis vetuſtis millies IIVIR. IVR. DIC. vel PRAEF. JVR. DIC. vel IIIIVIR. I. D. occurrit, & in Cenotaphio Piſano Caji: NEQVE. DVVMVIRI. NEQVE. PRAEFECTI. ERANT. NEQVE. QVISQVAM. IVRI DICVNDO PRAEERAT. Num vero Ædiles jus dixerint, dubitavit Sigonius lib. II. de antiq. jure Ital. cap. 11. *Quis*, inquit, *jus dicit? Ædilis? non videtur:* quod nollem excidiſſet tanto viro! Quorſum enim ædium privatarum, balnearum & viarum iis mandata cura, niſi ut controverſias de his inter cives ortas deciderent? quorſum annonæ, fori & menſurarum iis data inſpectio, niſi ut inter ementes & vendentes jus dicerent? Nec verbis opus eſt. Vidimus jam ſupra, C. Julium Rufum AED. IIII. VIR. I. D. MVNICIPI. ALETRI. & ex alio lapide municipii Cære, C. Suetonium AEDIL. IVRI. DICVNDO. Alius apud Fabrett. cap. ix. n. 132. nominatur AED. IIII. VIR. I. D. & apud Gruterum 1. pag. 388. AED. II. VIR. IVR. D. TERGESTE. Juvenalis item Sat. X. vſ. 101. de Ædile Ulubrano: *Et de menſuris jus dicere*, ac diſertis

ver-

verbis Suetonius de clar. Rhet. cap. 6. *Cajus Albutius Silus Novarienſis, quum Ædilitate in patria fungeretur, quum forte jus diceret, ab iis, contra quos pronuntiabat, pedibus e tribunali protractus eſt.*

§. II. Probavimus quantum ſatis eſt, magiſtratus municipales, & hos inter Æ-diles, ordinariam jurisdictionem habuiſſe; nunc videamus, quibus illa limitibus reſtricta fuerit: neque enim τὰ ἀρχικώτερα, bonorum poſſeſſionem, in integrum reſtitutionem, judicis dationem, aliasve mixti imperii cauſſas comprehendebat, quæ tribunal requirunt; ſed tantum minora negotia, quæ de plano poſſunt exerceri. Aperte Paulus libro 1. ad Edictum, in *l.* 26. *ad municip. Ea quæ magis imperii ſunt, quam jurisdictionis, magiſtratus municipalis facere non poteſt.* quocum jungendus eſt Ulpianus, qui itidem lib. 1. ad Edictum, in quo de magiſtratibus municipalibus agebat, in *l.* 4. *D. de jurisd.* inquit: *Jubere cavere Prætoria ſtipulatione, & in poſſeſſionem mittere, imperii magis eſt, quam jurisdictionis.* Nimirum urbanis majoribus more majorum, Proconſuli & Præſidi ex lege conceſſum erat, ut eminentiores imperii partes, quæ jure armorum ſæpe indigent, jurisdictioni admixtas haberent, quo ſenſu mixto imperio jurisdictio ineſſe, *l.* 3. *D. eod.*

&

& imperium jurisdictioni cohærere dicitur, in *l.* 1. *§.* 1. *D. de off. ejus cui mand.* at humiliores & communes imperii partes magiſtratibus municipalibus haud negantur, quia opus erat ejusmodi fulcimentis, ſine quibus jurisdictio nulla eſt *l. ult. D. eod.* Certa autem definita fuit ſumma, ultra quam iis jus dicere non permiſſum, auctore Paulo *lib. V. ſent. tit.* 5. *§.* 1. juncta *l.* 11. *pr. D. de jurisd. l.* 28. *D. ad munic.* & *l.* 1. *C. de defenſ. civ.* nec tutorem dare poterant, niſi parvæ eſſent pupilli facultates, quarum quantitas a Præſide erat definienda, *§.* 4. *Inſtit. de Attil. tut.* hinc *ex præcepto Præſidis provinciæ* tutor a magiſtratibus datus eſſe dicitur, in *l.* 46. *§.* 6. *D. de adm. tut.* Eundem in modum nonnulla, quæ non ſpecialis conceſſionis, ſed mixti imperii ſunt, ut pignus capere, multam dicere, & in poſſeſſionem damni infecti mittere potuerunt: non tamen pro imperio ſuo, quod exiguum habebant; ſed quia Præſidis vice fungebantur, aut quia lege municipali id erat ipſis conceſſum, *arg. l.* 2. *D. de in jus voc. l.* 26. *§.* 2. *D. ex. quib. cauſ. maj. l.* 12. *§.* 1. *D. de judic. l.* 29. *§.* 7. *D. ad leg. Aquil. l.* 1. *D. de damn. inf.* & *l.* 32. *D. de injur.* ubi imperium ſolis magiſtratibus majoribus adſcribitur. Paulus denique lib. IV. tit. 4. *§.* 2.

He-

Heres, ait, *per magiſtratus municipales, ex auctoritate Præſidis, fideicommiſſario poſtulante, hereditatem adire & reſtituere compellitur.* vid. Merill. lib. III. Obſ. cap. 37.. & lib. I. var. ex Cujac. cap. 4. Oſ. Aurelius diſpunct. 4- & Averanius lib. I. Int. cap. 4. His ita firmatis conſequitur, Magiſtratus municipales tribunal non habuiſſe: talis enim locus editior, forma hemicycli, ut Vitruvius deſcribit, ſolis datus eſt magiſtratibus majoribus, ut in eo ſella curuli ceterisque inſignibus conſpicui, quæ ſnnt poteſtatis eminentioris expedirent. *l. 9. §. 2. D. de pœn. Collat. ll. Moſ. tit.* 14. Gell. lib. I. cap. 22. Locus apertus eſt Plutarch. in Præcept. reip. ger. cap. 44. ubi minores magiſtratus ſecum commemorare jubet: *Imperas ſubditus, urbi præfectus, quæ Proconſulibus aut Procuratoribus Cæſaris eſt ſubjecta. Non hic lanceæ campi ſunt, nec priſcæ Sardes, neque Lydorum illa potentia; geſtanda eſt tibi chlamys vilior, & a prætorio oculi in tribunal convertendi.* Tribunal quoque municipalibus denegare videtur Ulpianus in *l.* 4. *§.* 1. *D. de int. in. jur. fac. Qui in jure interrogatus eſt ſic accipiendum eſt, apud Magiſtratus populi Rom. vel Præſides provinciarum, vel alios judices.* & Marcianus in *l.* 1. *§.* 11. *D. ad Senatusc. Turp.* his verbis: *Suſpecti tutoris ac-*

accuſatio pro tribunali tantum examinari poteſt, & nullus alius de hujusmodi quæſtione, quam Præſes, pronunciare poteſt. Auſonius etiam Edyllio 10. vſ 401. hac parte magiſtratus urbium a Præſidibus diſtinguit, quorum præconia viritim proſecuturus erat:

- - - quos Curia ſummos
Municipum vidit proceres, propriumque Senatum:
Quos prætextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris præconia Quintiliani.
Quique ſuas rexere urbes, purumque tribunal
Sanguine, & innocuas illuſtravere ſecures.

Idem de Exuperio, Rhetore Tholoſæ, Prof. 17. vſ. 12.

Cæſareum qui mox indepti nomen, honorem
Præſidis, Hiſpanumque tibi tribuere tribunal.

Et quis denique putet, Ædiles municipales ampliſſimo hoc honoris inſigni eſſe gaviſos, cum nullibi ejus, ab Ædilibus Curulibus Romæ, erecti aut conſcenſi mentio fiat? Nec tamen deſuere, qui ſolemnibus ſeſſionum diebus, Duumviros & AEdiles tribunali uſos, ſibi perſuaſum habuerint; quos inter Cujacius ad lib. I. Pauli ad edictum, in *l.* 19. *D. de in jus voc.* & ad *l.* 1. *de V. S.* & Valer. Chimentellius, de honore biſellii cap. 6. familiam ducunt.

At

At ſi mixtum imperium Duumviris & AEdilibus jure ordinario negatum eſt, neceſſario etiam tribunali caruerunt: quia de plano cognoſcere, & pro tribunali in libris noſtris committuntur. *l.* 1. *§.* 8. *D. ad SCt. Turp. l.* 18. *§. ult. D. de quæſt.* Fundamentum aſſertionis ſuæ ponunt in loco Tranquilli, in fine §. præcedentis adducto, quo nullus clarior videri poſſet: ait enim, Cajum Albutium Silum, Ædilem Novariæ jus dicentem, *e tribunali* protractum eſſe; Novariam autem Tacitus in firmiſſimis Transpadanæ regionis municipiis numeravit, lib. I. Hiſt. cap. 70. Huic accedit marmor Gudii pag. 70. Inſcript. n 1. in quo P. Lucilius AEdilis coloniæ TRIBVNAL IN FORO MARMOREVM FECISSE legitur: & inſcriptio Veronenſis apud Thomam Reineſium cl. VI. n. 44. in qua M. Gavi Squilliani, Quatuorviri jure dicundo, & AEdilitiæ Poteſtatis tribunal laudatur:

HONORI
M. GAVI. M. F.
POB. SQVILLIANI
EQ. PVB. IIII. VIR. I. D.
IIII. VIR. A. P. VB.
CVRATORI. VICETINOR
APPARITORES. ET

LI-

LIMOCINCTI
TRIBVNALIS. EIVS

Verum recte reſpondent viri præclari, Gerardus Noodt, lib. I. de jurisd. cap. 3. & Antonius Schultingius ad tit. D. de jurisd. §. 20. tribunal poni pro ſuggeſtu editiore, in quo, poſito ſubſellio, vel biſellio, uti municipes vocabant, Ædilis conſidebat, ut ab omnibus conſpici & exaudiri poſſet. Conſimilem municipum ambitionem, in aliis rebus plus ſemel vidimus, ejusque ſtatim, ubi ad faſces ventum erit, illuſtre exemplum habebimus. Hujus loci eſt, quod auditorium judicii Prætorium vocarunt, quod Livius alio ſenſu cum tribunali ſæpe conjungit. Ita *Prætoria judicum* in *l.* 4. *C. de oper. publ. l.* 3. *C. de metat. l.* 3. *C. Th. de off. omn. jud.* & PRAETORIVM IN VRBE MVNDA, apud Gruter. pag. 168. n. 4. ſicut PRAETOR ANTIAT. legitur in lapide, a Joſ. Rocco Vulpio laudato, vet. Lat. tom. III. lib. 4. cap. 8. pag. 176. vid. Perizon. diſſ. 1. de Prætorio §. 32. & 11. §. 25. Baſilicam quoque, quam Hadrianus, apud Spartianum, in honorem Plotinæ, Nemauſi opere mirabili exſtruxiſſe dicitur, multi credunt Capitolium fuiſſe, in quo rectores urbis, civilibus negotiis tractandis, conveniebant, idque Poldus late deſcripſit.

Poſ-

Poſſet hoc illuſtrari, tum ex BASILICA LEGVM, apud Grut. pag. 171. n. 2. tum, quod Beda domum publicam, in qua Ædiles, ſeu Scabini jus dicunt, *judiciale Capitolium*, & Toloſani a capitolio magiſtratus ſuos Capitolinos, *Capitoliers* vocarunt, auctore Turnebo lib. XI. adv. cap. 2. & Mornacio ad *l.* 1. *D. ſi quis jus dic.* Sed magis ſuperiorem explicationem firmabit Cicer. in II. Agrar. cap. 34. ubi Capuæ coloniæ arrogantiam exaggerat: *Erant*, inquit, *hoſtiæ majores in foro conſtitutæ, quæ ab his prætoribus de TRIBVNALI, ſicut a nobis Conſulibus de conſilii ſententia probatis, ad præconem & tibicinem immolabantur*. Petronius quoque, ſtultæ Trimalchionis gloriæ prudens Arbiter, hoc tanquam a Campano faſtu profectum atro carbone notat cap. 71. *Te rogo, ut naves etiam monumenti mei facias plenis velis euntes: & me in TRIBVNALI ſedentem prætextatum cum annulis aureis quinque.*

§. III. De jurisdictione Ædilium dum quærimus, operæ pretium erit de legibus, ſecundum quas illi judicarunt, nonnulla adjeciſſe. Qui locus ut recte intelligatur, in memoriam revocandum eſt, quod capite primo præcepimus, Municipia olim ſuo jure vixiſſe: Colonias vero e metropoli ſua, juris genitrice, leges accepiſſe; ple-

rumque eaſdem, quandoque diſcrepantes, prout earum conditio id efflagitabat. Generaliter Julianus, in *l.* 32. *D. de leg.* inſit: *De quibus cauſſis ſcriptis legibus non utimur, id cuſtodiri oportet, quod moribus & conſuetudine inductum eſt; & ſi qua in re hoc deficeret, tunc quod proximum & conſequens ei eſt; ſi nec id quidem appareat, tunc jus, quo urbs Roma utitur, ſervari oportet.* Primum igitur ſuas cujuſque municipii leges & conſuetudines in judicando inſpici jubet Julianus; quia illæ ad genium & utilitatem populi erant accomodatæ, *l.* 31. *§.* 20. *D. de Ædil. ed.* Si deficit jus municipale ſcriptum vel non ſcriptum, tunc quod in ſimili cauſa introductum eſt, vel quod in provincia frequentatur attendimus, *l.* 1. *D. de uſur. l.* 6. *D. de evict. l.* 50. *D. de leg.* 1. *l.* 75. *D. de leg.* 3. *l.* 34. *de R. J.* Ubi hæc omnia defecerint, decurrimus ad jus commune civitatis Romanæ, cujus leges, tanquam capitis orbis terrarum, omnes civitates ſequi debere, idem Julianus ſcripſiſſe fertur, in *l.* 1. *C. de vet. jur. enucl.* Olim quidem Latinis liberum fuerat, quas vellent leges adſciſcere, auctore Cicerone pro Balbo cap. 8. unde aliud jus in municipiis ſæpe, quam Romæ fuiſſe, Jacob. Perizonius, in diſſert. de lege Voconia, ex Cicerone pro Cluentio cap. 15.

ex

ex aliis Corradinus vet. Latii lib. I. cap. 10. oſtenderunt. At ſub Imperatoribus, & maxime poſtquam omnes in orbe Romano viventes cives effecti erant, generalia reſcripta & imperialia ſtatuta, aliquid jubentia, vel vetantia, oportebat vim ſuam obtinere, & in omni loco valere; licet lex municipalis eſſet contraria *l.* 3. *§.* 5. *D. de ſep. viol. l.* 41. *§.* 6. *D. de leg.* 1. *l.* 4. *§.* 6. *D. de legation. l.* 2. *C. quæ ſit long. conſ.* De coloniis Italiæ elegans habeo, & non ſatis pervulgatum Petronii teſtimonium, ex quo colligitur Romanorum legibus, & Ædilium Curulium edictis eas obtemperaſſe. Cum enim actuarius, villæ Cumanæ rationibus præpoſitus, incendium in hortis Pompejanis ortum eſſe, recitaſſet, Trimalchio, homo ditiſſimus, hos ſibi emtos ignorans, cap. 53. *Quid?* inquit: *Quando mihi horti Pompejani emti ſunt? anno priore, inquit actuarius, & ideo in rationem nondum venerunt. Excanduit Trimalchio: & quicunque, inquit, mihi fundi emti fuerint, niſi intra ſextum menſem ſciero, in rationes meas inferri veto.* Cur intra ſextum menſem? Ut ſi forte peſtilentes eſſent, mature ſatis, intra hoc tempus, Æditio edicto præfixum, eos redhibere poſſet: *in fundo enim vendito redhibitionem procedere, nequaquam incertum eſt, veluti*

ſi peſtilens fundus diſtractus ſit, nam redhibendus erit, inquit Ulpianus in *l.* 49. *D. de Ædil. edicto.* atque ideo ſtatim Encolpius ſubjicit: *Jam etiam edicta Ædilium recitabantur.* Ædilium puta, non quos privatim Trimalchio conſtituerat, quod Goëſius voluit; neque Ædilium coloniæ Capuæ, ut Cl. Burmannus in notis contendit, ſed edicta Curulium Romanorum, qui *intra ſex menſes utiles*, quibus experiundi poteſtas redhibitoriam inſtitui juſſerunt. *l.* 55. *D. eod.* Campanis nulla edicendi fuit poteſtas, quum enim Duumviri olim id ſibi ſumſerant, Cicero indignabatur II. agrar. cap. 34. *Et in Albana & Seplaſia, quæ concurſatio percontantium, quid Prætor* (Duumvir) *edixiſſet? ubi cœnaret? quid enuntiaſſet?* Liquet ergo AEdiles, in coloniis per Italiam, cauſſas, ad jurisdictionem ſuam pertinentes, ex edictis AEdilium Romanorum dijudicaſſe: idemque forte de municipalibus dicendum eſt: nec enim alia erat cynoſura, quam aut tutius, aut juſtius ſequerentur. Extra Italiam pleraque ſimiliter ad formam legum Romanarum componi debebant, exceptis liberis civitatibus; quæ licet imperium & majeſtatem populi Romani comiter agnoſcerent, ſuis tamen legibus & magiſtratibus vivebant. Polyb. Exc. leg. 9. pag. 1110. Cicero III.

Verr.

Verr. cap. 6. Liv. lib. 33. cap. 32. aliique apud Spanhem. orb. Rom. Ex. II. cap. 9. Quædam quoque municipia mixto olim jure utebantur, quando ita acceperant coloniam, ut ipſa ſuis legibus viverent, coloni vero ritus & inſtituta Urbis ſequerentur; cujus rei exempla ſunt apud Ciceron. pro Sulla cap. 21. & Liv. lib. 34. cap. 9. Sed hæc rariora erant, ideoque Critognatus, in obſidione Aleſiæ cives ſuos, apud Cæſarem lib. VII. de Bell. Gall. cap. 77. ita alloquitur: *Reſpicite finitimam Galliam, quæ in provinciæ formam redacta, jure & legibus commutatis, ſecuribus ſubjecta perpetua premitur ſervitute.* Similiter Strabo lib. X. pag. 484 pauca Cretenſium inſtituta referens, ἀλλὰ, infit, τοῖς Ῥωμαίων διατάγμασι τὰ πλεῖστα διοικεῖται, καθάπερ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, συμβάναι, *cum pleraque Romanis conſtitutionibus, ut in reliquis provinciis, gubernentur.* His adde Juliani, Claudiani, Prudentii & Symmachi loca, quibus Ez. Spanhemius ad l. 17. Exerc. II. cap. 7. Romanas leges, poſt conſtitutionem Antonini Caracallæ, ubique in Imperio Romano viguiſſe probavit; inprimis generales illas, quæ in omnium provinciarum notitiam edictis proponi ſolebant, *l.* 3. *C. de leg. l.* 7. *C. de ſtrator.* Sub libera Republica Prætores & Proconſules edicta in provinciis

Prætoriis & Conſularibus proponebant, ſed ad jura Quiritium & edicta Prætoris Urbani magnam partem accomodata, ut ex Cicerone lib. VI. ad Attic. epiſt. I. notum eſt. Hinc edictum, quod Ulpianus Prætori, in *l.* 1. & *l.* 9. §. 1. *D. quod. met. cauſ.* id Cajus Proconſuli adſcripſit, in *l.* 19. *D. eod.* & *Omnia Proconſul agit*, ait Cajus, in *l.* 1. *D. quod cum eo*; quum Ulpianus in *l.* 2. *ſeq* dicat: *Ait Prætor.* vid. Ant. Auguſtin. lib. I. Emend. cap. 5. Diverſa autem fuiſſe in multis edicta provincialia ab urbanis, præter Ciceronem, Caji diſtincta ad Edictum Provinciale, & ad Edictum urbicum commentaria arguunt; neque ſtatim in provinciis obtinuiſſe, quæ Romæ ſingulari ratione conſtituta, ex Senatusconſultis & Principum decretis, quibus leges ad provincias extenſæ ſunt, liquido diſcimus; cujuſmodi plurima Cujacius, Paratitl. C. de ſerv. reip. & Noodt. lib. II. Obſ. cap. 5. ex *l.* 41. *§.* 6 *D. de leg.* 1. *l.* 3. *C. de ſerv. reip.* & *l.* 4. *C. qui bon. ced.* collegerunt. Illud autem memorabile eſt, quod Theophilus, in *§.* 7. Inſtit. de J. N. & G. ſcribit, Edicta AEdilium Curulium in provinciis etiam obtinuiſſe. *Horum*, inquit, *Edicta & in Provinciis obtinebant.* Tantæ nimirum Præſidibus illa videbantur eſſe æquitatis, ut eadem AEdilibus quoque muni-

municipalibus mature proponenda judicarent, ceu normam juſtiſſimam, ad quam emtoribus eſſet ſuccurrendum, quicunque a venditoribus decepti fuiſſent. *Ubique enim curant Ædiles, ne emtores a venditoribus circumveniantur.* inquit Ulpianus in *l.* 37. *D. de Ædilit. edict.* Hoc amplius valde probabilis eſt conjectura Cl. Dodwelli Prælect. IX. ad Spartian. §. 7. Hadrianum condidiſſe edictum perpetuum AEdilium Curulium, in uſum orbis Romani; quia aliud Edictum provinciale nuſpiam occurrit, & commentatores ita in illud ſcribunt, quaſi ubique obtinuerit. v. *l.* 1. §. 4. *D. de Ædil. ed.* Videamus tamen, num boni viri & recti judicis partibus functus ſit Pytheas, in Theſſaliæ civitate AEdilis, cum emtorem, qui magno nimis piſciculos præſtinarat, & cœna & nummis privavit. Rem enarrabo ipſis Apuleji verbis, lib. I. Metam in fine: *Profuſa in medium ſportula, jubet officialem ſuum inſuper piſces inſcendere ac pedibus ſuis totos obterere. Qua contentus morum ſeveritudine meus Pytheas, ac mihi, ut abirem, ſuadens; ſufficit mihi, o Luci, inquit, ſeniculi tanta hæc contumelia. His actis, conſternatus, ac prorſus obſtupidus, ad balneas me refero, prudentis condiſcipuli valido conſilio, & nummis ſimul privatus & cœna.* Seniculum quidem hoſpi-

tes fraudantem jure coërcuit Ædilis, injurius autem eſt in Apulejum emtorem, quod piſcibus obtritis piſcario pretii redditionem non injunxit: re enim venditori vel, quod eodem recidit, magiſtratui redhibita, in priſtinam cauſſam res redit, reſoluta venditione, *l. 60. D. de Ædil. edicto l. 10. §. 1. D. quib. mod. pign.*

§. IV. Nunc de poteſtate Ædilium agendum eſt. Vana etenim omnis foret jurisdictio, niſi nervos habeat alicujus imperii, quibus dicto audientes faciat contumaces, & decreta exſequatur. Unde nullum eſſe magiſtratum, ait Salluſtius, qui omni prorſus imperio careat, quo juſſa ſua rata efficiat, & Javolenus, in *l. 2. D. de jurisd. Cui jurisdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus jurisdictio explicari non potuit.* Non loquimur hic de criminibus gravioribus, in municipiis & coloniis Italiæ commiſſis, quorum cognitio, ſtante republica, ad Senatum Romanum pertinebat, auctore Polybio lib. VI. cap. 11. *Similiter & delicta in Italia admiſſa, quæ animadverſione publica opus habent, puta proditio, conjuratio, veneficium, aut cædes dolo malo perpetrata, ad cognitionem Senatus ſpectant. Hoc amplius, ſi quis privatus, aut ſi qua urbs in Italia aliquid controverſiæ dirimendum habuerit, aut ob-*

jur-

jurgatione dignum facinus admiſerit, *aut ope*, *aut præſidio indiguerit*, *omnia hæc Senatui ſunt curæ.* Id quod ſine dubio non tam de Senatu, quam de Senatoribus intelligendum eſt, apud quos pæne ſolos, primis temporibus, uſque ad annum urbis DCXX. quo lex Sempronia lata eſt, judicia fuerunt; ut vero ipſe Senatus de cauſis capitalibus cognoſceret, aut de damnatis ſupplicia ſumeret, non fuit uſitatum. Exemplum municipis qui coram quæſitore & judicibus, ex eodem ordine ſumtis, anno U. DCXCII. Romæ accuſatus eſt, habemus in Actis urbis diurnis, apud Dodwellum, in append. prælect ad Spartiani Hadrianum pag. 690. *Syllanus cum accenſis cauſſam dixit apud Q. Cornificium*, *pro Sex Ruſcio*, *ex municipio Larinati*, *accuſato de vi privata.* At poſtquam Auguſtus Mæcenatem cunctis apud Romam atque Italiam præfecit, Tacit. lib. VI. Ann. cap. 11. & poſtea Præfecto urbi imperium, intra centeſimum ab urbe lapidem definitum, et quod ultra eum lapidem egreſſum, Præfecto prætorio datum eſt, *l.* 1. *pr.* & *§.* 4. *D. de off. Præf. urb.* horum fuit in Italos facinoroſos animadvertere *l.* 1. *§.* 4. *D. de leg.* 3. *l.* 6. *§.* 1. *D. de interd.* & *releg. Collat. LL. Mos. tit.* 14. In provinciis vero Proconſules et

Præſides delicta, qua publica, qua privata vindicabant, uti vel ſolis his Scribæ verbis, apud Lucam, in Apoſtolorum actis cap. XIX. §. 38. admonemur: *Quod ſi Demetrius & qui cum eo ſunt artifices, cauſſam adverſus aliquem habent; aguntur fora, & Proconſules ſunt, accuſent invicem.* Salluſtius in Catilin. *Ea poteſtas per Senatum more Romano maxima permittitur; exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis ſocios atque cives: domi militiæque ſummum imperium atque jus ſummum habere.* Hinc Proconſulibus & Præſidibus jus gladii tribuitur, qui ſymbolum erat meri imperii, *l. 6. pr. D. de off. Proconſ. l. 6. §. 8. D. de off. Præſ.* et pœnarum genera enumerantur, quibus adficere quemque poſſent, in *l. 6. §. 2. D. de pœn.* Duumviris autem & AEdilibus municipiorum non fuit ſpecialiter conceſſum merum imperium, neque animadvertendi, vel atrociter verberandi poteſtas iis mandari poterat, *d. l. 6. pr. l. 1. D. de off. ejus cui mand.* Graviorum criminum reos tantum prehendere, & in carcere ad adventum Præſidis vincire, vel cum notoriis, ſive indiciis, ad eum mittere poterant, *l. 52. §. 12. D. de furt. l. 6. §. 1. l. 10. D. de cuſtod. & exhib. reor. l. 7. C. de defenſ. Collatio LL. Moſ. tit. 7. §. 2.* Exempla ſunt apud Vellejum

Pa-

Paterculum lib. II. cap. 19. & Euſebium lib. V. Hiſt. eccl. cap. 1. Simul ex his quoque liquido intelligitur, quam ob rem dixerint Judæorum proceres, reapſe magiſtratus municipales, ſe Chriſtum captum tradituros imperio Præſidis, Luc. XX. vſ. 20. & Johannis cap. XVIII. vſ. 31. *Non licet nobis ultimo ſupplicio quenquam adſicere*: quemadmodum enim Judæi in provinciam redacti erant dudum, ita Pontius Pilatus, Syriæ procurator, & in Judæa ſimul vices Præſidis tenens, poteſtatem cruci figendi, vel dimittendi habebat. Joh. XIX. vſ. 10. vid. Tacit. lib. XV. Ann. cap. 44. Tertull. Apol. cap. 21. & Ampl. Viri Bynkersh. lib. 2. Obſ. cap. 21. & Zach. Huber. lib. 1. diſſert. 1. Maneat ergo, nihil meri imperii Duumviris municipiorum fuiſſe conceſſum; ſed leviora, ut pignoris capionem & modicam coercitionem, qua ſine jurisdictio explicari nequit, ex lege municipali, vel colonica, aut ex permiſſu Præſidis habebant, *l.* 3. *§.* 1. *D. de reb. eor.* Aperte Siculus Flaccus de condit. agror. *Regiones autem dicimus, intra quarum fines ſingularum coloniarum aut municipiorum magiſtratibus jus dicendi coërcendique eſt libera poteſtas.* Hyginus de limit. *Meminerimus, in legibus ſæpe inveniri: Quos agros, quæve loca, quæve ædificia,*

cia, intra fines, puta illos, & intra flumen illud, intra viam illam dedero, aſſignavero, in eis agris jurisdictio coërcitioque eſto coloniæ illius, cujus civibus agri aſſignabuntur. Et ne longe abeamus, ipſis Ædilibus particula quædam coërcitionis conceſſa fuit, qua refractarios ad obedientiam ducerent, ne luſoria atque inanis eſſet jurisdictio. Apulejus enim, dicto lib. 1. Pytheam Ædilem, ait, voce aſperrima, *pro Ædilitatis imperio*, piſcatorem increpuiſſe. Atque huc faciunt inſcriptiones ſat multæ, Ædilitiam poteſtatem memorantes apud Gruter. pag. 455. 2. PRAEF. AED. POT. & Reineſ. Cl. VI. n. 21. CASSIO. IIII. VIR. AEDILIC. POT. Helias quoque Capreolus de rebus Brixianorum lib. 1. fin. & initio lib. 2. tom. IX. Theſ. Ital. p. 7. duos habet lapides, in quorum altero M. Publicius, in altero M Lætilius PRAEF. AED. POT. BRIX. fuiſſe dicuntur: Cajum item Cuſium Calviſium IIIIVIR. AED. POT. habes apud Philibertum Pingonium, in Antiq. Auguſt. Taurin. tom. IX. Theſ. Ital. part. 6. pag. 71. & denique apud Fabrettum cap. V. n. 297. pulcherrimum marmor exſtat:

T. PETIDIO. T. F
FAB. CESSINO
VIII. VIR. AEDILICIAE
POTESTATIS

§. V.

§. V. Quærat forſan aliquis, quæ partes poteſtatis illius Ædilitiæ fuerint? Enarrabo omnes. Primum huc refero multæ dicendæ jus. Vlpianus, in *l.* 131. §. 1. *D. de V. S. Multam*, inquit, *is dicere poteſt, cui judicatio data eſt, magiſtratus ſolos & Præſides provinciarum poſſe multam dicere, permiſſum eſt mandatis.* Voce *Magiſtratus* Scipio Gentilis lib. 1. de jurisd. cap. 7. & Wiſſenbachius ad h. l. non municipales, ſed urbanos intelligi contendunt: at his non Principum mandatis, ſed vetere lege Ateria Tarpeja, circa annum V. C. 300. centuriatis comitiis lata, id juris datum fuit, auctore Dionyſio *lib. X. cap.* 50. *Lex lata eſt, licere omnibus magiſtratibus ſuæ poteſtatis læſæ reos multare: nam antea ſolis conſulibus id licuerat.* Reſcripta vero, ad Præſides de municipiis regundis miſſa, vulgo *mandata*, aut *mandata Principum* appellantur, *l* 6. §. 3. *D. de off. Proc. l.* 25. *D. de fide inſtr. l.* 35. *D. de pœn.* Magis ergo eſt, ut cum Cujacio ad d. l. & Joſepho Averanio lib. 1. Interpret. c. 5. credamus, tria genera perſonarum in d. l. 131. contineri, primum magiſtratus urbanos omnes, quibus judicatio eſt, deinde Præſides provinciarum, & tertio Magiſtratus municipales, qui crebro ita vocantur in jure noſtro: ſed hos *ſolos*, ut ex-

excludantur defenſores civitatum & logiſtæ, qui non erant magiſtratus, nec multæ dictionem habebant, *l.* 5. *C. de defenſ. civit. l.* 3. *C. de modo mult.* Alibi quoque idem Ulpianus, in *l.* 2. §. 8. *D. de jud.* ita generaliter de urbanis & provincialibus ſcribit: *His datur multæ dicendae jus, quibus publice judicium eſt.* Denique ſicut Ædiles in Urbe, tam plebejos quam Curules, multam crebro dixiſſe legimus, apud Livium lib. X. cap. 23. lib. XXVII. cap. 6. lib. XXXV. cap. 41. Ovidium lib. v. Faſt. vſ. 289. Gellium lib. X. cap. 6. & TITINIUS. AED. PL. MVLCAVIT. LANIOS, QUOD. CARNEM. VENDIDISSENT. POPULO. NON. INSPECTAM, apud Reineſ. cl. IV. n. 3. ita noſtris coloniarum AEdilibus multandi jus tam manifeſto tribuit Papinianus, ut nemo contra hiſcere poſſit. Verba ejus, in *l. un.* §. 2. *D. de via publ. & ſi quid* ſunt ſequentia: *Curent autem Ædiles, ut nullus effodiat vias, neque ſubruat, neque conſtruat in viis aliquid. Si autem ſervus quidem fuerit, ab obviante fuſtigetur, ſi liber demonſtretur Ædilibus, Ædiles autem multent ſecundum legem.* An præter multæ dictionem pignoris capio, ſi judicatus non ſolviſſet, Duumviris & Ædilibus conceſſa fuerit, miror Cujacium hæſitaſſe, ad *l.* 4. §. 1. *D. de damn. inf.*

inf. & *l.* 11. *C. de pign.* cum tamen duo illa plerumque conjungantur, ut in *l.* 1. §. 3. *D. de ventre inſpic.* apud Frontin. lib. 2. de aquæd. *eoque nomine iis pignoris captio, multæ dictio, coërcitioque eſto.* & Tacit. lib. XIII. Ann. cap. 28. *Cohibita arctius & Ædilium poteſtas, ſtatutumque quantum Curules, quantum Plebeji pignoris caperent, vel pœnæ irrogarent.* Et nimis ſane levia ſunt argumenta, quæ ex illis legibus deducit Vir ſummus, dudumque ab Emundo Merillio lib. 1. Variant. cap. 44. profligata, licet ipſe ſibi non conſtet, lib. IV. Obſ. cap. 30. 31. Auctor nobis locupletiſſimus eſt Ulpianus, in *l.* 29. §. 7. *D. ad leg. Aquil.* ad quam vetus Scholiaſtes Græcus, in Baſilicis lib. 60. tit. 3. Ædilem nominatim expreſſit: *Quod ſi*, inquit, *magiſtratus municipalis, vel Ædilis, adverſus aliquem indecenter reſiſtentem ſibi fecerit aliquid cum damno, non tenetur Aquilia. Nam ſi ſervus ei pignori datus laqueo interemerit ſe, nulla in magiſtratum eſt actio.* Idem quoque non obſcure ex *l.* 3. §. 1. *D. de reb. eor. qui ſub tut.* & *l.* 4. §. 2. & 3. *D. de damn. inf.* firmari videtur. Sed moleſtus eſt Ulpianus, in *l. un. pr D. ſi quis jus dic. Omnibus magiſtratibus, non tamen Duumviris, ſecundum jus poteſtatis ſuae, conceſſum eſt juris-*

di-

dictionem ſuam defendere pœnali judicio. Non provocabo cum Perrenonio lib. I. Animadv. cap. 20. ad libros vulgatos, in quibus eſt *non tantum*: quamvis enim facile in his errari potuerit ob librariorum notas, major tamen libri Florentini & Norici eſt auctoritas: ſic etiam primo loco Duumviris hoc tribueret, eoſque magiſtratibus majoribus urbanis præponeret, quod abſurdum eſſe, jam monuit Anton. Auguſtinus lib. III. Emend. cap. 6. Aliam viam ingreſſus eſt Duarenus lib. I. diſp. anniv. cap. 50. & Huber. in Eunom. ad h. l. Nobis ſufficit reſpondiſſe, quod Ulpianus non agit de facultate multandi, ſed de *pœnali judicio*, id eſt de actione perſonali in factum, quæ rei vel petitoris contumacis adverſario datur, non tantum in id quod intereſt, ſed quanti ea res eſt in judicium deducta, licet non jure, ſed per calumniam petita ſit, *l.* 53. *D. de re jud.* Hoc enim pœnale judicium, ex quo pœna actori applicatur, Duumviris concedere non licuit, qui ad certam tantum ſummam jus dicere poterant, ſed ſolis majoribus magiſtratibus, ad tuendum imperium, quod habebant, *l.* 12. §. 1. *D. de judic.* At multam, fiſco inferendam, quominus dicerent eis, qui id quod extremum eſt in juriſdictione non facerent, nihil obſtabat;

&

& ſi forte non jure *poteſtatis ſuæ*, ſaltem moribus, vel ex lege municipali, vel ex Præſidis conceſſione & auctoritate, *l.* 25. *D. ad munic.* Quod de Duumviris diximus, idem de Ædilibus jure dicundo eſt habendum; quorum poteſtas in his nondum ſtetit: nam & præterea quicquid in via publica poſitum aut conjectum erat conſcindebant. Paulus in *l.* 12. & Julianus in *l.* 13. *D. de peric. & comm. rei vend. Lectos emtos Ædilis, cum in via publica poſiti eſſent, conſcidit: ſi traditi eſſent emptori, aut per eum ſtetiſſet, quo minus traderentur, emtoris periculum eſſe placet. Eumque cum Ædile, ſi id non jure feciſſet, habiturum actionem legis Aquiliæ, aut certe cum venditore ex emto agendum eſſe, ut is actiones ſuas, quas cum Ædile habuiſſet, ei præſtaret.* Hos textus plerique ad Ædiles urbanos retulere: ego vero plane perſuaſus ſum, Ædiles Curules a privatis, durante magiſtratu, in jus rapi non potuiſſe: neque veriſimile eſt Tribunos pl. ſacroſanctos permiſiſſe, ut miniſtri & ſocii ſui, Ædiles plebeji ducerentur: reliquum ergo eſt ut de noſtris loquantur. Aut ſi dices, poſt annum, depoſito magiſtratu, agi poſſe cum urbanis, neque municipales anno ſuo conveniri potuiſſe, *l.* 48. *D. de judic.* tamen nihil cauſæ video, cur Ædiles muni-

nicipales excludamus. Horum enim munus quoque erat, e viis publicis, quicquid liberum morabatur tranſitum removere; ideoque præſumtio pro iis militabat, lectos jure eſſe conciſos, quia non fit injuria, quod publicæ utilitatis cauſſa ex officii neceſſitate fit, neque lecti fiunt, ut in via, ſed in cubilibus ponantur. Quod ſi vero modum egreſſi fuerint, & manifeſta eorum doceatur injuria, exemplo aliorum magiſtratuum municipalium, ex lege Aquilia vel injuriarum poſſunt conveniri, *l.* 29. §. 7. *D. ad leg. Aquil. l.* 32. *D. de injur.* Præterea AEdiles noſtri merces inutiles, vitio affectas, nimisve caro venditas proterebant, aut jactabant in profluentem. Pytheas AEdilis apud Apulejum: *profuſa in medium ſportula, jubet officialem ſuum inſuper piſces inſcendere, & pedibus ſuis totos obterere.* atque ideo Plautus Rud. actus II. ſc. 3. AEdilem faſtidioſum vocat, quia merces, vel minimo vitio affectas, cum ſuperbia jactabat:

Novi, Neptunus ita ſolet, quamvis faſtidioſus
Ædilis eſt: ſi quæ improbæ ſunt merces, jactat omnes.

Denique corrigebant pondera iniqua & frangebant menſuras minores, vel ſolo auctore Ulpiano, in *l.* 13. §. 8. *D. locati:*

Si

Si quis menſuras conduxerit easque magiſtratus frangi juſſerit, ſi quidem iniquæ fuerint, Sabinus diſtinguit, utrum ſcit conductor, an non: ſi ſcit, eſſe ex locato actionem, ſi minus, non: quod ſi æquæ ſunt, ita demum eum teneri, ſi culpa ejus id fecit AEDILIS. & ita Labeo & Mela ſcribunt. Huc faciunt elegantiſſima Juvenalis & Perſii teſtimonia, quæ perperam a Budæo, in tit. de orig. jur. ad AEdiles plebejos, &, quod mirere, a plerisque, etiam a noviſſimis, tituli D. de AEdilitio edicto interpretibus, ad AEdiles Curules relata ſunt. Ita Juvenalis ſat. X. vſ. 101.

Et de menſura jus dicere, vaſa minora
Frangere, pannoſus vacuis Ædilis Ulubris?

Perſius ſat. I. vſ. 129.

Seſe aliquem credens, Italo quod honore ſupinus,
Fregerit heminas Arreti Ædilis iniquas.

Forſan dices, id quidem rationem habere, ut vaſa minora confringantur, & merces morboſæ fœtidæque jactentur, at quæ iſta atrocitas lectos conſcindere, piſcesque vivos & recentes pedibus conculcare? cum in uſum pauperum, vel puerorum alimentariorum eos transferre ſatius fuiſſet, ut pignora, in pœnam contumaciæ capta, non confringuntur, ſed diſtrahuntur. *l. 9.*

pr. D. de min. l. 1. *§.* 3. *D. de inſpic. ventre l.* 15. *§.* 2. *D. de re judic.* Ita quidem melius fuiſſet, ſed dandum hoc calori magiſtratuum, ut municipes, gentem ruſticam & vix aliter obtemperantem, in officio continerent: ejuſque moris apud Romanos etiam veſtigia exſtare videntur. Scribit enim Dionyſius Halicarnaſſ. lib. VIII. cap. 101. quod Conſules in Campo dilectum habentes eos, qui citati non parerent, multaverint peculio, &, ſi qui agros haberent, *cæſis arboribus villiſque dirutis.* Ex quo loco Cujacius lib. XIII. Obſ. cap. 29. Pomponii *l.* 20. *D. comm. div.* illuſtrat, cujus hæc ſunt verba: *Si is, cum quo fundum communem habes, ad dilectum non reſponderit, & ob id motu judicis villa diruta eſt, aut arbuſta ſucciſa ſunt.* Florentina habet ad *delictum*, alii cum Vulgata malunt *edictum*; ſed frequentior eſt phraſis, *ad dilectum non reſpondere*, in *l.* 36. *D. de ſtatulib. l.* 3. *D. ad l. Jul. maj. l.* 4. *§.* 10. *D. de re mil.* quam Duarenus magis quoque probavit, lib. I. diſp. cap. 4. & Muretus ad Philipp. VI. cap. 2. Motus judicis autem eſt magiſtratus majoris indignatio & affectus animi, ut in *l.* 14. *C. de teſtib. l.* 12. *C. de off. rect. prov. l.* 10. *C. de accuſ. l.* 2. *C. ad Sct. Turp.* nec quicquam cauſæ fuit, cur Rævardus lib. I. var. cap. 7. legeret,

geret, *magiſtratus imperio*, quaſi compendio literarum ſcriptum fuerit M. I. quod Cujacio diſplicuit, & Rad. Fornerio lib. III. rer. quot. cap. 3. Aliud ejuſmodi tumultuoſæ contumacium pœnæ exemplum habet Tullius Philipp. I. cap. 5. ubi queritur, Antonium nimis iracunde & intemperanter voluiſſe *cum fabris venire, & publicis operis diſturbare publice ex Senatus ſententia ædificatam domum:* etiam pignora Senatoribus erepta, qui ſine cauſſa a Senatu abeſſent, conciſa eſſe, Turnebus lib. 30. adv. c. 27. Cujacius & Connanus, ex Ciceronis lib. III. de orat. princ. conjecerunt, ubi Craſſus Philippo: *An tu*, inquit, *quum omnem auctoritatem univerſi pro pignore putaris, eamque in conſpectu populi Romani conciderís, meis pignoribus exiſtimas poſſe terreri? non tibi illa ſunt cædenda, ſi Craſſum vis coërcere: hæc tibi eſt excidenda lingua, qua vel evulſa ſpiritu ipſo libidinem tuam libertas mea refutabit.* Eundem morem Ranchinus lib. I. var. cap. 10. ex Sueton. lib. I. cap. 11. confirmat: *Vettium pignoribus captis & dirupta* (ita legit pro *direpta*, Caſaubono renitente) *ſupellectile male mulcatum, ac pro roſtris in concione pæne diſcerptum conjecit in carcerem.* Joſephus Scaliger denique, in caſtigationibus ad Tibullum, ad vetuſtiſſimum

illud jus Romanum referendum putat illud iſtius Poëtæ, lib. IV. carm. 13. vſ. 17.

Quid facio demens? heu heu mea pignora cædo.

Sed Johannes Sarius Zamoſcius de Senatu Romano lib. 2. *cædere* apud Ciceronem idem eſſe quod diſtrahere obſervat, cui Vir Ampliſſ. Corn. van Binckershoek. lib. 1. Obſerv. cap 1. adſtipulatur. Hotmanus vero, in comment. Verborum juris, in voce *cædere*, Sarium plagii accuſat, quia ipſe, annis ante amplius quinque, quam iſtius liber prodierit, ex Nonio hoc demonſtraverit, in libello de Senatu Rom.

§. VI. Satis de rebus. Tranſeo ad perſonas, jurisdictioni & poteſtati AEdilium ſubjectas; quarum duæ claſſes, liberi, & ſervi. In ſervos, ſtante republica, a magiſtratu municipali capitalis quæſtio haberi potuit, idque nonnulli vel ex unius Stratonis ſervi ſupplicio conſtare ajunt, qui furti & homicidii reus, exſecta lingua, in crucem actus eſt, in municipio Larino, ut Cicero in Cluentiana litteris prodidit, cap 66. Verum ex quo unius dominatu omnia tenebantur ea poteſtas magiſtratibus ademta eſt, auctore Vlpiano, in *l.* 12. *D. de jurisd. Magiſtratibus municipalibus ſupplicium a ſervo ſumere non licet; modica autem caſtigatio iis non deneganda.* Adde

l. 15.

l. 15. §. 39. *&* *l.* 17. §. 2. *D. de injur.* Rurſus in liberos homines antiquiſſimis temporibus imperium erat apud Magiſtratus: ſuis enim legibus animadvertendi poteſtatem Latini & Hernici, Circejenſes & Veliterni coloni ſibi arrogant, apud Livium lib. VI. cap. 17. At Polybii ætate, ut vidimus, delicta in Italia admiſſa ad cognitionem jndicum, ex Senatu lectorum, pertinebant, & poſtea nulla, ne modica quidem, liberi capitis coërcitio Duumviris conceſſa videtur nonnullis, Pauli auctoritate fretis, in *l.* 17. §. 1. *D. qui & a quib. man. Item non fit liber, ſi mentitus dominus, ne a magiſtratibus caſtigaretur, dixit eſſe liberum.* Sed alio me trahit tum Lucas, in Apoſtolorum actis cap. XVI. vſ. 22. ſcribens Paulum & Silam a ϛρατηγοῖς, a Duumviris Philippenſium virgis cæſos, & in carcerem compactos eſſe: tum Calliſtratus lib. VI. cognitionum, cujus ipſa proponam verba ex *l.* 12. *D de decur. Eos*, inquit, *qui utenſilia negotiantur, & vendunt, licet ab ÆDILIBUS cæduntur, non oportet, quaſi viles perſonas, negligi, denique non ſunt probibiti hujusmodi homines decurionatum, vel aliquem honorem in patria ſua petere: nec enim infames ſunt, ſed ne quidem arcentur honoribus, qui ab Ædilibus flagellis cæſi ſunt, quanquam jure ſuo*

ita Ædiles officio iſto fungantur, inhoneſtum tamen puto eſſe, hujusmodi perſonas flagellorum ictibus ſubjectas, in ordinem recipi. Ex quibus apparet, primo, in urbibus metropolibus, quæ plerumque coloniæ erant, plus ſibi ſumſiſſe Duumviros: nam talem ipſe Lucas deſcribit urbem Philipporum, *prima eſt hujus partis Macedoniæ civitas* dict. cap. XVI. vſ. 12. Eadem quoque COL. JUL. PHILIPPENSIS, in ſaxo apud Sponium, & COL. IVL. AVG. PHILIP. in nummo gazæ Mediceæ, apud Noriſium ad Cenotaph. vocatur. Deinde perperam στρατηγοὺς a Wiſſenbachio explicari Præſides provinciæ, ad tit. D. de jurisd. n. 27. cum unus Præſes provinciæ, Duumviri vero urbibus præfuerint. Porro Apoſtolum juris infamia non laboraſſe, ob verbera accepta; quia illa non pœnæ, ut in *d. l.* 12. ſed criminis exſculpendi cauſſa, vel quia turbæ furentis concurſus id poſtulabat, odio nominis Chriſtiani paſſus eſt, etiam alibi a magiſtratibus municipalibus Judæorum, Act. V. vſ. 40. 2 Cor. XI. vſ. 24. Denique *jure ſuo* fungi Ædiles, ut inſcriptio tituli indicat, municipales, cum homines liberos, flagellis cædunt, ſi quid in fori leges peccare auſi. Nec quicquam eſt, cur dubitemus; idem enim tradit Hieronymus ad Ruſticum monachum,

de

de vivendi forma: *Et prius quidem ab Ædilibus, quos* ἀγορανόμους *Græci appellant, vendentium coërcebatur rabies, nec erat impune peccatum.* Coërcebant autem hi iisdem verberibus, quibus Ædiles Romani. Suetonius enim cap. 38. Claudium refert relegaſſe Senatorem, quod *in ædilitate inquilinos prædiorum ſuorum, contra vetitum cocta vendentes multaſſet, villicumque intervenientem flagellaſſet.* Flagellis etiam uſi Agoranomi Athenienſium. Scholiaſtes Ariſtophanis in Acharnenſ. Act. 3. ſc. 1. vſ. 720: ἱμάντας δὲ λώρους, φραγγέλια. τὸ γὰρ παλαιὸν φραγγελίοις ἔτυπτον οἱ λογισαὶ τοὺς τῆς ἀγορᾶς. Ἱμάντες *vero ſunt lora, flagella. Antiquitus enim Logiſtæ* (ſive Agoranomi) *homines in foro negotiantes flagris verberabant.* Idem ad actus 4. ſc. 3. vſ. 967. λέγει δὲ τοὺς ἱμαντας, οὓς ἀγορανόμους ἤδη κατέστησιν ἄνω. *intelligit autem lora, quæ ſupra Agoranomos conſtituerat.* Atque ex his illuſtrari poſſunt inſtrumenta, interpretibus moleſta, quibus Tribunus in Paulum, tanquam in hominem vilem & Chriſtianum, uti volebat, Act. XXII. vſ. 24. 25. ubi μάστιγες & ἱμάντες lora, vel flagella eſſe videntur, ex loris nodoſis facta, ut in illo Comici Adelph. Act. II. ſc. 1. *operiere loris*; apud Ciceron. VIII. Philipp. cap. 8. alioſque. Vid. Grotius & Heinſius ad illum locum, & Cel-

lar. de Apoſt. Pauli civit. Rom. §. 31. Non omnis autem promiſcue generis mercatores ab Ædilibus cædi poterant, non majores, ſed *qui utenſilia negotiantur*, id eſt propolæ, adulterinarum mercium venditores, & tabernarii, qui cibos minutatim vendunt in tabernis. Scholiaſtes Juvenal. ſat. X. vſ. 100. *Præfectus & Conſul eſſe cum periculo mavis, an ſecurus minorem dignitatem adminiſtrare; ut ſis Ædilis, aut curator cujuscunque parvæ civitatis, ut juberes tabernariis.* Hoc enim genus hominum contemtiſſimum, & ſervili quaſi macula adſperſum Romæ habebatur, licet in municipiis, ob penuriam Curialium, in ordinem admitterentur. Cicero lib. 1. de off. cap. 42. *Mercatura, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt.* & Veſpaſianus, apud Suetonium cap. 16. reprehenſus dicitur, quod *negotiationes, vel privato pudendas, propalam exercuit, coemendo quædam tantum, ut pluris poſtea diſtraheret.* Idque ex pœnæ genere liquet: nam communiter homines liberi fuſtibus rumpebantur, flagella ſervilia verbera erant; & quibus ex cauſſis liberi fuſtibus, ex iisdem ſervi flagellis cæſi leguntur. Hinc admonitio fuſtium, a caſtigatione flagellorum diſtinguitur, in *l.* 7. *l.* 10. *D. de pœn. l.* 45. *D. de injur.* & ſcutica a flagello, apud Horat. lib. 1.

lib. I. ſat. 3. vſ. 119. Vide Briſſonium l. III. ſelect. antiq. cap. 9. Cujacium lib. XXVII. Obſ. 29. & Fabrum lib. II. Semeſtr. cap. 6. Manſit etiam recentiore tempore, ne ingenuis notam infamiæ per ſe inureret ſolæ flagellationis vel fuſtium pœna, ſed cauſa, quæ infamiam dammato irrogat, ſecundum *d. l.* 12. *&* *l.* 22. *D. de his qui not. inf.* Concilium Toletanum XIII. c. 2. *Si pro culpis minimis (ut aſſolet) flagellorum ictibus verberentur, non tamen ex hoc, aut teſtimonium amiſſuri ſunt, aut rebus ſibi debitis privabuntur.* & Lex Wiſigoth. lib. II. tit. I. §. 18. *Ita ut flagellorum iſta correptio non inducat notam infamiæ.* Elegans denique Ædilitiæ hujus coërcitionis argumentum ſuppeditat Scholiaſtes Baſiliκῶν ad lib. 60. tit. 2. in explicatione *l.* 2. §. 2. *D. ſi quadr. paup.* ubi magiſtratum municipalem, quem negotiator in tabernam ſeſe immittens fugiebat, exponit AEdilem: Ἀγοραῖός τις, inquit, φυγὼν ἀγορανόμον. *Negotiator quidam, fugiens AEdilem, immiſit ſe in proximam tabernam, & incidit in canem ferocem.* Nemo igitur, in tanto Veterum conſenſu, de AEdilium coërcitione dubitabit.

§. VII. Sed nondum omnes vidimus, qui ad cultum & victum quotidianum neceſſaria negotiantur; vox enim *utenſilium*, qua

qua Calliſtratus utitur, omnia victui neceſſaria comprehendit, quibus aut alitur genus humanum, aut excolitur, quæque Plato παρασκευὴν τροφῆς ἢ σίτε, Joſephus ἐπιτήδεια appellavit. Varro lib. I. de R. R. c. 2. *Quid in Italia utenſile non modo non naſcitur, ſed etiam non egregium fit? Quod far componam Campano? quod triticum Appulo? quod vinum Falerno? quod oleum Venafro?* Sic quoque Livius & Tacitus hoc vocabulo pro penu uſi ſunt. vid. J. Fr. Gronov. ad Tacit. lib. I. Ann. cap. 70. & de pec. vet. lib. II cap. 7. Omnes ergo jurisdictioni AEdilium ſubjecti fuerunt, qui mercimoniis publicis præerant, nec tantum qui olera vel veſtimenta detrita in foro vendebant, ſed etiam dulciarii, coqui, panifici & piſtores: hi enim apud Petronium cap. 44 Aediles Campanos corrupiſſe dicuntur, ne ob panem vel farinam iniquiore pondere venditam multarentur. Ita Ganymedes: *Ædiles male eveniat, qui cum piſtoribus colludunt: Serva me, ſervabo te.* Ibidem coërcendi erant ſeplaſiarii, qui ſpecies, unguenta & medicamenta tabida & falſa vendebant pro ſinceris. Plinius lib. 34. cap. 11. *Credant Seplaſiæ, omnia fraudibus corrumpenti.* Addo & mangones, qui vina inveterata novis miſcebant, aut novis fumi amaritudine vetuſta-

tem

tem inducebant; de quibus Martialis lib. x. epigr. 36.

Improba Maſſiliæ quicquid fumaria cogunt.
Accipit ætatem quisquis ab igne cadus.

Sine dubio in perfidos etiam inquirebant caupones, qui in vini caritate, vinum reddebant copioſius, infuſa aqua. Idem Martialis lib. I. epigr. 57. ad cauponem:

Continuis vexata madet vindemia nimbis.
Non potes, ut cupias, vendere, caupo, merum.

Iidem alia quoque ratione ſub AEdilibus fuerunt poſiti, quod ſolerent lenocinium vel meretricium exercere, eorumque domus eſſent lupanaria, ancillæ vero & famulæ meretrices, quarum vilitas legum obſervatione digna non habebatur *l.* 4. §. 2. *D. de his qui not. inf. l.* 43. §. 1. *D. de ritu nupt. l. ult. C. ſi mancip. ita ven. l.* 29. *C. ad leg. Jul. de adult.* Unde tabernarii & caupones cum ſcenicis, furibus, malignis & infamibus perſonis ſæpe conjunguntur, in *l.* 32. §. 11. *D. de recept. qui arb. l.* 1. *C. de nat. lib. l. un C. Th. de uſu ſell.* Horatius lib. I. ſat. 5. vſ. 4. & Sueton. Neron. cap. 27. eoque factum, ut proſtibulum a ſtabulo diceretur, ſicut Hebræis vox *zonah* & meretricem & cauponam notavit. Hebr. XI. vſ. 31. vid. Mornac. ad *l.* 1. *D. naut. caup.* Jacob. Gotho-

thofred. ad *l.* 1. *C. Th. ad leg. Jul. de adult.* & quos laudavi de tutela viar. publ. part. III. cap. 6. Huc denique pertinent piſcarii: piſcium enim mercatus apud veteres longe fuit maximus, quod his magis, quam carne delectabantur. Piſcatores etiam ex compacto agebant, velut in Velabro olearii; unde vetuſtiſſimis temporibus apud Athenienſes eorum improbitati obviam itum eſt lege, qua cavebatur, ne piſces minoris venderent, quam indicaſſent; quo ita nimio licentes putres ſuos domum reportarent. Alia lex erat: *Piſcarii piſces aqua ne riganto*: ne fucum facerent emptoribus, neve recens capti viderentur, qui non eſſent; piſcis nequam niſi recens. vide Meurſium lib. II. Them. Att. cap. 30. & Petitum in leg. Att. lib. V. tit. 3. Quemadmodum vero Athenis harum legum executores erant Agoranomi, ſic in coloniis & municipiis Romanorum AEdiles. Apud Apulejum lib. I. Metam. in fine, Pytheas, pro AEdilitatis imperio, piſcarium increpat voce aſperrima: *Tam jam nec amicis quidem noſtris, vel omnino ullis hoſpitibus parcitis? Quid tam magnis pretiis piſces frivolos venditatis, & florem Theſſaliæ regionis inſtar ſolitudinis ſcopuli edulium caritate ducitis? Sed non impune. Jam enim ſaxo ſcias, quemadmodum ſub no-*

noſtro magiſterio mali debeant coërceri. Et profuſa in medium ſportula jubet officialem ſuum inſuper piſces inſcendere ac pedibus ſuis totos obterere. Eleganter hunc locum illuſtrabit Plautini paraſiti imperioſum edictum AEdilitium in Capteiv. act. IV. ſc 2. primum adverſus *Piſtores* ſcrofipaſcos, quorum odore nemo piſtrinum præterire poterat; tum contra *Piſcatores*, qui populo piſces fœtidos præbebant; & tertio adverſus *Lanios*, qui concinnabant liberis orbas oves, atque petroni nomen indebant verveci ſectario, propoſitum; quo audito, Hegio exclamabat:

Eugepe! EDICTIONES ÆDILITIAS hic habet quidem:
Mirumque adeo eſt, ni hunc fecere ſibi AEtoli agoranomum.

§. VIII. Frontem fortaſſe caperabis, Lector, indignatus nimium tribui AEdilibus municipalibus, &, ut ille ait, ex cloaca arcem; ſed nil dictum puto ſine idoneo auctore, nec omnia dixi: reſtat enim AEdilium miniſtros, &, quæ illi gerebant, ædilitiæ poteſtatis inſignia videamus. Pariter enim ac Magiſtratus urbani ſua habebant σύμβολα τῆς ἀρχῆς, faſces, ſecures, ſellas curules, prætextas, lictores & tribunal, quæ Conſularia & Prætoria inſignia vocantur, in *l.* 1. §. 5. *D. de poſtul. l.* 2. *pr.*
D.

D. de his qui not. inf. atque a Briſſonio lib. III. ſel. ant. cap. 14. ſeq. & Rævardo lib. III. conj. cap. 10. exponuntur: ita inſignia Magiſtratuum municipalium nobis commemorat Conſtantinus, in *l.* 21. *C. Th. de decurion.* ubi, poſt *magiſtratus decurſa inſignia*, quemquam vetat compelli, ut fiat præpoſitus manſionum. In his explicandis ducem ſequemur Apulejum, lib. 1. Metam. cujus verba, ſæpius licet prolata, iterum adſcribo: *Voti gaudeo: nam & lixas, & virgas, & habitum prorſus magiſtratui congruentem in te video. Annonam curamus, ait, & Ædilatum gerimus.* Lixis igitur ſtipatus fuit Pytheas AEdilis, per quos juſſa exequebatur, eosque caſtigabat, qui annonam coarctaſſent, aut in leges fori peccaſſent. Mox eos *officiales* vocat Lucius. Dicuntur etiam *apparitores & limocincti* M. Gavi Squilliani Quatuorviri AEdilitiæ poteſtatis, apud Reineſium cl. VI. n. 44. quia præſto erant ad obſequium, & in extremo habebant purpuram limam, ſive transverſam & flexuoſam, ut interpretatur Hyginus de limitibus. Iſidorus lib. XIII. Orig. cap. 14. *Hinc & limus vocabulum accepit, cingulum, quo ſervi publici cingebantur obliqua purpura:* erant autem cincti, quo ad miniſteria eſſent aptiores. Vide Laurent.

Pi-

Pignorium de ſervis pag. m. 62. STATORES civitatis Viennenſis vocantur, in inſcriptione Gruteriana 3. pag. 631. quia magiſtratibus præſto ſtabant & famulabantur: nam *ſtare* proprium ejus eſt rei verbum, uti Scaliger ex Manilio docuit, ad Priapeja pag. 200. In *l.* 10. *D. ex quib. cauſ. maj.* ſtatores & municipalia miniſteria junguntur, & STATOR Nemauſenſium, eſt in lapide apud Graſſerum Antiq. Nem. in t. 1. theſ. Sallengr. Quinimo LICTOrem Brixianorum habes in 6. pag. 631. & Campanum in his Petronii verbis cap. 65. *Inter hæc triclinii valvas LICTOR percuſſit, amictusque veſte alba, cum ingenti comitatu comiſſator intravit.* Lictores itaque AEdilitios Apulejus, raro hoc in ſignificatu vocabulo, *lixas* appellat, quia tabernarios, aquarios & cibaria vendentes prehendebant, popinas & balnea diſcurrebant, quæ erant loca AEdilem metuentia. At quia lictorum erat faſces virgarum ligatos ferre, ideo ſtatim addit *& virgas*, quas nempe lixæ manibus geſtabant, ad ſubmovendum. Apte Pomponius, in *l.* 239. §. 8. *de V. S.* ait: *Territorium eſt univerſitas agrorum intra fines cujusque civitatis: quod ab eo dictum quidam ajunt, quod magiſtratus ejus loci intra eos fines terrendi, id eſt ſubmovendi, jus*

habet. Hæc eſt vera etymologia: non enim a terendo, ut Varro; nec a terrendis hoſtibus, ut Siculus Flaccus, Frontinus & Grotius; nec a territaurium, ut Servius & Iſidorus; nec a terra, ut Goveanus, Valeſius & Menagius, ſed a jure terrendi, id eſt ſubmovendi dicitur; quia eo uſque territorium municipiorum & coloniarum patebat, quo vſque fas erat magiſtratibus incedere ſubmoto, præeuntibus apparitoribus, qui viam facerent & turbam ſubmoverent, id quod in terris alienæ ditionis non licebat. vid. Gronov. ad Grot. lib. III. cap. 6. §. 4. Neque vox illa generaliter omnem tractum, intra quem jurisdictio alicui data eſt, notat, ſed agros cuique municipio attributos, intra quorum fines juris dicundi facultas erat: *territoria oppidorum & civitatium*, *l.* 41. §. 5. *D. de leg.* 1. *l. ult.* §. 25. *D. de mun. l.* 8. *D. de pollicit.* De his etiam maxime accipiendum eſt illud Pauli: *Extra territorium jus dicenti impune non paretur*, in *l. ult D. de juriſd.* quæ ex libro ejus primo ad Edictum, in quo egit de magiſtratibus municipalibus, deſumta eſt. Honorius vocat *extra metas propriæ civitatis*, in *l.* 174. *C. Th. de decurion.* Territorium quippe aliarum civitatum erat latius, quod vicos, pagos, fora & caſtella comprehen-

de-

debat, *l. 77. §. ult. D. de leg.* 2. & Iſidor. lib. XV. cap. 2. aliarum anguſtius: *Sunt quædam municipia, quibus extra muros nulla eſt juriſdictio*, ait Hyginus de limit. Verum, ſi jus terrendi omnibus competiit, quid eſt quod Tacitus refert lib. II. Ann. cap. 53. Germanicum Cæſarem, ſummi honoris loco, Athenis urbi fœderi ſociæ & vetuſtæ dediſſe, *ut uno lictore uteretur*; idque, ceu contra decus Romani nominis conceſſum, oratione ſæva Cn. Piſonem perſtrinxiſſe? Non dicam, aliam urbis liberæ, aliam coloniarum fuiſſe rationem, & in his jure ac dignatione Urbi parenti quodammodo exæquatis, majeſtatem populi Romani, velut in ſpeculo, oſtenſam eſſe; quo ut rerum aliarum, ſic & inſignium effigies quædam cerneretur: neque enim Tacitus ait, Athenienſium magiſtratibus permiſſum, ut uno lictore uterentur; ſed Germanicum, in memoriam priſtini fœderis & ſocietatis, remotis inſignibus poteſtatis, quæ terrorem & ſpeciem regiæ dominationis concitabant, uno tantum lictore Athenis uſum fuiſſe, ut Lipſius in notis, ſimilibus aliorum exemplis illuſtravit. At liberis civitatibus ſui lictores, faſces & ſecures erant; quod vel exemplo Aſiæ urbis Cyzinenorum, quam Strabo ætate ſua

liberam vocavit, nos doceat Propertius lib. I. Eleg. 6.

Tu patrui meritas conare anteire ſecures,
Et vetera oblitis jura referre foris.

In coloniis etiam certum eſt, lictores magiſtratibus apparuiſſe cum virgis; maxime in majoribus, quæ ſimul metropoles, & vicos complures ſub jurisdictione ſua habebant; qualis erat Nemauſus, cui Strabo ſcribit, viginti quatuor pagos popularium juris Latii ſubfuiſſe, lib. IV. pag. 186. Amplam quoque *regionem*, *leges*, *honorem & poteſtatem* Cæſarem Tarſenſibus conceſſiſſe, narrat Dio Chryſoſt. orat. 34. Talis etiam colonia Philippenſis ſplendidiſſima, & prima partis Macedoniæ civitas, cujus στρατηγοὶ ἀπέστειλαν τοὺς ῥαβδούχους, *magiſtratus miſerunt lictores*, auctore Luca in Act. Apoſt. cap. XVI. vſ. 35. Ῥαβδοῦχος autem *virgarius* exponitur in Gloſſis, & ῥαβδούχους ad magiſtratuum inſignia retulit Libanius orat. 16. quæ eſt invectiva in Tiſamenum: ὁ μὲν γὰρ θρόνος, καὶ οἱ κήρυκες, καὶ οἱ ῥαβδοῦχοι, καὶ ὁ τῶν ὑπηρετῶν ἀριθμὸς τῆς ἀρχῆς. *Sed enim thronus, & præcones, & lictores cum faſcibus, & miniſtrorum numerus magiſtratus inſignia ſunt.* Ita vertit Federicus Morellus, ſed mallem *lictores cum virgis*: virgæ enim, non faſces, Magiſtratuum municipalium inſignia fuerunt: neque per virgas, cum Bulengero

ro lib. VII. de Imp. Rom. cap. 15. intelligimus faſces, quia Appianus lib. I. civil. ῥάβδους καὶ ξύλα diſtinguit; & de Galliæ magiſtratibus Plinius lib. XVI. cap. 18. *Gallica hæc arbor*, (betulla) *mirabili candore atque tenuitate, mirabilis magiſtratuum virgis*. Non me fugit Joh. Harduinum hic intelligere faſces magiſtratuum Romanorum, ad differentiam faſcium Imperatorum, quos laurus decorabat: nec ignoro Briſſonii diſtinctionem, inter faſces Conſulares & Dictatorios, lib. III. ſel. ant. cap. 14. aſt cum ex Plauto notum ſit, faſces Romanorum fuiſſe ex ulmo, & Plinius noſter de Gallica arbore loquatur, quid obſtat quominus hic virgas Magiſtratuum in coloniis Galliarum interpretemur?

§. IX. Sed operæ pretium eſt, ut rem paullo plenius pertractemus. Diſerte Martialis de Narbone Martio, colonia Romana, & totius Galliæ emporio, lib VIII. ep. 72.

Quem pulcherrima jam redire Narbo,
Docti patria Narbo Votieni,
Ad leges jubet, annuosque faſces:

Ubi faſces magiſtratum notant Duumviralem, ſicut Sidonius lib. 1. epiſt. 4. lib. III. epiſt. 6. aliique faſces pro dignitate poſuerunt, & inprimis Auſonius clar. urb. XIII. vſ. 10. de eodem Narbone canens:

- - - *Tu Gallia prima togati*
Nominis attollis, Latio Proconſule, faſces.

Ut tamen imaginem faſcium & virgam ſymbolicam minime excludi velim: nam DECVRIA LICTORVM. VIATORVM. QVAE. EST IN. Colonia Julia Paterna Narbonenſi Martia, apud Gruterum laudatur pag. 630. n. 12. & Reineſ. cl. XI. n. 21. Immo poſteriore tempore obtinuiſſe puto, ut vel Magiſtratibus, in urbibus opulentioribus, faſces præferrentur, vel virgæ, iis prælatæ, per tranſlationem, faſces vocarentur; quemadmodum locus editior, in quo jus dicebant, tribunal, arces Capitolia, & ſic porro. Aperte enim Arcadius & Honorius, in *l.* 174. *C. Th.* & *l.* 53. *C. Juſt. de Decurion.* ajunt: *Duumvirum impune non liceat extollere poteſtatem faſcium, extra metas territorii propriæ civitatis.* & Apuleius lib. 10. Metam. *Thyaſus Corinthius Quinquennali Magiſtratui fuerat deſtinatus, & ut ſplendori capeſſendorum reſponderet faſcium.* Petronius vero cap. 30. ſecures addit, quo Trimalchionis Seviri Auguſtalis faſtum, & ſimul Capuæ, ubi ſcena hæc fingebatur, ſuperbiam cunctis legentibus ridiculam exhiberet: *Quod præcipue*, inquit, *miratus ſum, in poſtibus triclinii faſces erant cum ſecuribus fixi, quorum imam par-*

partem, quaſi embolum navis æneum finiebat, in quo erat ſcriptum: G. POMPEJO. TRIMALCHIONI. VI. VIRO AVGVSTALI. CINNAMVS DISPENSATOR. Et merito Encolpius faſces cum ſecuribus, tanquam aliquid inſoliti, in colonia miratur: ſecures enim ad inſignia Prætoria & Proconſularia pertinebant. Livius lib. 35. cap. 16. *Cur Syracuſas atque in alias Siciliæ urbes Græcas Prætorem quotannis cum imperio & virgis & ſecuribus mittitis?* Is vero erat faſtus Campanus, quo amplitudinem & dignitatem faſtigii Romani æquare ſtudebant, jam ſtatim, ex quo colonia illo deducta fuit, à Tullio cum indignatione notatus, II. Agrar. cap. 34. *Anteibant lictores, non cum batillis, ſed, ut hic Prætoribus anteeunt, cum faſcibus duobus.* Inter cetera quoque dignitatis inſignia, quibus Aufidius Luſcus Prætor, ſive Duumvir Fundanus, tantopere in oppido ſuo éxiguo ſuperbiebat, Horatius *prunæ batillum* ponit, in itinere Brunduſino, lib. I. Sat. 5. vſ. 34.

Fundos, Aufidio Luſco Prætore, libenter
Linquimus, inſani ridentes præmia ſcribæ,
Prætextam, & latum clavum, prunæque
batillum.

Sunt, qui malunt *bacillum*; Scholiaſtæ *vatillum* legunt, & parvum vas, in quo ignis

circumferri ſolet, interpretantur. Sed in quem uſum? Acro ſilet: Porphyrio ait, quod Luſcus de balneis publicis prunas ſibi domum a mediaſtinis afferri magni pendebat: quod nihili eſt. Hadrianus Turnebus, vir abſolutæ & conſummatæ eruditionis, lib. I. Adverſ. cap. 29. putavit, ignem Aufidio, tanquam ſupra humanam conditionem ſe efferenti & divino eſſe prælatum: eique doctiſſimi Horatii interpretes, Dionyſius Lambinus, Lævinus Torrentius, Pulmannus, Rutgerſius, Dacerius & Baxterus ſuffragantur. At Lipſius Excurſu A. ad lib. I. Annal. Taciti, & Jacobus Nicolaus Loënſis lib. IX. Miſcell. cap. 13. jam diu ex Marco Antonino & Herodiano obſervarunt, inſtituti ejus, ut prodeuntibus in publicum fax, lampas aut ignis præferretur, ante Antoninorum tempora nullum Romæ exſtare veſtigium, eumque honorem minime vulgarem ſolos Imperatores ſibi & ſuis, tanquam auguſtis & ſacratiſſimis, decerni curaſſe. Longe probabilior igitur eſt Caſauboni ſententia, ad Trebellii Pollionis Claudium cap. 14. batillum interpretantis foculi geſtatilis & anſati genus, quod pruna plenum principibus viris præferebatur, ad odores incendendos. Nec multum abit Roccus Vulpius vet. Lat. lib. IV. cap. 8.

pag.

pag. 181. explicans foculum cum batillo ad ſacrificandum, ſive tus imponendum, honoris gratia. Utrique vero præluxit Cruquii ſcholiaſtes: *Vatillum deminutivum a vaſe, eſt vas parvum, in quo pro felici hoſpitum adventu incenſis odoribus Jovi hoſpitali ſacra fiebant.* Landinus & Badius prunas intellexerunt, quibus ferrum ad inurendas notas reis candebat. Sed quia nullibi ejusmodi foculus inter dignitatis inſignia memoratur, forſan non inepte cum Cruquio dicemus, Flaccum, ſatyrico ſuo more, in voce *batillum* luſiſſe: quemadmodum enim in aliis Italiæ urbibus *lictores anteibant, cum batillis*, ut ex Cicerone vidimus, ita noſtro arroganti Prætori Fundano lictor quoque cum batillo præibat; ſed qui exiguæ poteſtatis index erat, & pro prunæ batillo, ſive inſtrumento, quo prunæ componuntur, rectius uſurpari debebat. Plinius quidem & alii batillorum ferreorum meminere, at ferreo rutro etiam batillus ligneus inſeri potuit, uti Varro lib. I. de R. R. c. 50. inter meſſoria inſtrumenta refert *ligneum incurvum batillum, in quo ſit extremo ſerrula ferrea*, aliter Trebell. in Claudio cap. 14. *coctilium quotidiana batilla quatuor.*

§. X. Hæc vero ut clara luce donentur, non prætermittam ſubjungere, quod

 olim

olim Lipſius notavit lib. I. Elect. cap. 23. & ipſe me vidiſſe memini; Duumviris Conſulibus ſingulis, qui Coloniæ Agrippinæ ex Seviris annuum regimen tenent, a famulo domeſtico bacillum album, duarum fere ulnarum præferri, & dominis Curiam ingredientibus tradi, qui hoc poteſtatis inſigni, dum Senatores ſubſellia occuparunt, in loco paullulum editiore conſpicui utuntur. Inepti ſunt, qui ſibi aliiſque perſuadere voluerunt, baculo ruſtico Conſules uti, quod ea urbs olim inter quatuor ruſticas fuerit: ritus enim iſte mere Romanus eſt, ad imitationem urbis matris in coloniis ſuſceptus & retentus: maxime in hac: nam ut Stephanus, in hiſt. S. Maurini ſcripſit: *Colonia Agrippina, ſecunda (ſi dignatur dici) Roma:* quam appellatiodem nonniſi præcipuæ urbes, ut Carthago, Conſtantinopolis & Arelate ſortitæ ſunt, quod in iis effigies populi Romani in theatris & Capitoliis conſpiceretur; id quod de Colonia etiam Haringerus, in S. Materno Epiſc. Leod. cap. 13. Stangefolius lib. I. Ann. Weſtphal. c. 12. & Ægidius Gelenius in Colon. Agripp. lib. III. ſynt. 9. pag. 330. tradiderunt. Jam vero ex Dionyſio, Livio, Valerio, Vopiſco & Ammiano notum eſt, quod Conſules Romani, ab ipſa inſtitutione prima, ſcipionem

nem eburneum geſtarint, a Senatu acceptum; de quo etiam nummi, qui conſulares proceſſus conſignant, item Servius ad lib. XI. Æneid. vſ. 238 & Scholiaſtes Juvenalis ad Sat. X. vſ. 43. *virga, quam Conſules portant.* Lictores quoque eorum, præter faſces, manu geſtabant *virgam*, et ad ſubmovendum, et ad januam tangendam; uti Plauti, Ovidii, Martialis et Statii teſtimoniis affatim Lipſius, dicto cap. 23. aliique docuerunt. Hic ergo mos in colonias imitatrices et municipia propagatus eſt, licet uſu paullo diverſo, et pompa minore. Apulejus manifeſte LIXAS ET VIRGAS inter ea poſuit, quæ ad habitum magiſtratui convenientem pertinebant, lib. I. Miles. Gloſſarium Gr. Lat. ῥαβδοῦχος, *lictor*, *virgarius*. Magiſtratibus quoque Toloſanis, Octoviris Capitolinis, hujusmodi rabduchos vetuſto more præiviſſe, Petrus Faber. teſtatur lib. I. Agoniſt. cap. 21. Præterea in Foris Aragon. lib. I. exſtat. titulus, *de virgariis Curiæ juſtitiæ Aragonum*. Anglici item ſcriptores crebro *virgatorum*, qui alias Servientes ad arma, meminere; et Germani lictores Magiſtratuum adhuc hodie *Steckenknechte*, quibuſdam in locis appellant, ut de uſu illius univerſali vix dubitandum videatur. Illud etiam ab antiquis temporibus

bus deductum eſt, quod dixi, Conſules Colonienſes baculum, ſibi in platea prælatum, in Senatu tenere, tanquam regiminis publici et jurisdictionis inſigne: nam Homerus jam meminit ſceptri judicum, quod interim, dum ad rem diſceptandam conſidebant, præconibus aſſervandum tradebatur, Iliad VI. ibique Euſtathius fol. 1158. Athenis etiam judici unicuique Heliaſtarum baculum, in σύμβολον τοῦ δικάζειν, datum, eo colore et litera, qua tribunal notatum, ex Ariſtotele, Scholiaſtes ad Comici Plutum et Veſpas ſcribit; eundem Codinus, in extremæ Græciæ Magiſtratibus, δικανίκιυ appellatione plus ſemel donat. Inter geſtamina quoque imperantium Florus lib. III. cap. 19. lib. IV. cap. 11, et Suetonius lib. VI. cap. 24. baculi argentei atque aurei mentionem faciunt; ſicut in aula Regis Gothorum Cura palatii cum aurea virga incedere ſolebat, teſte Caſſiodoro lib. VII. var. c. 5. nec quicquam in judiciis Germanorum capitalibus baculo frequentius occurrit, vid. Nemeſin Carolinam art. 82. et 96.

CA-

CAPUT XIV.

De privilegiis Ædilium.

I. *Ædiles municipales a tutelis excuſati, §. 3. Inſtitut. l. 17. §. 4. & l. 23. D. de excuſat. fuſe illuſtrantur.* II. *Græci, Balduinus, Donellus, Wiſſenbachius & Vinnius in alia omnia euntes refelluntur. Varia juris capita conciliantur. l. 6. §. 15. l. 15. §. 9. D. de excuſ. explicantur.* III. *Poteſtates provinciarum a Magiſtratibus populi Rom. ſeparatæ. Bulengeri & Vertranii Mauri emendationes exploſæ.* IV. *Coloni Latini deterioris conditionis, amiſſum jus civitatis per Ædilitatem recuperabant. Ulpiano & Straboni lux. Inſcriptio Tergeſtina aliter, quam ab Irenæo a Cruce, explicatur.*

Coronidis loco duo privilegia ſubjiciam, quibus Ædiles noſtri jure quodam eximio ſunt ornati. Unum eſt, quod a tutelæ oneribus excuſantur, alterum quod in coloniis Latinis ciuitatem Romanam per Ædilitatis honorem adipiſcebantur. Beneficia ſane non poſtrema, quæque vel ſola invitos & reluctantes, ad AEdilitatem ſuſcipiendam, pellicere poterant. Quod ad primum attinet, omnino acceptum id de-

debuit eſſe cunctis, quibus pluris eſſet virtus, quam nummus; quo quis enim fide eſt potior, eo magis hoc muneris declinat. Unde refert Capitolinus, ſummi muneris loco, Senatum aliquando tribuiſſe familiæ Gordiani principis, uti a tutelis ejus poſteri, ſi vellent, ſemper vacarent. Et magna ratio erat, ut Ædiles a tutela & cura excuſarentur; quia provinciam gerebant ſatis oneroſam, neque a civitatis, annonæ ludorumque cura privatorum tutelis erant divellendi. Plato certe ſancivit lib. VI. de Legibus: *Oportere Ædiles tales eſſe, ut intermiſſa ſuorum* (quanto magis aliorum) *cura, otium habeant, ad publica procuranda.* Atque ideo Divi Marci reſcriptum inter alios Ædilibus proſpexit, ut tutelæ onus, propoſita excuſatione, defugere poſſent. Ita Juſtinianus in §. 3. Inſt. de excuſat. *Et qui poteſtatem aliquam habent, ſe excuſare poſſunt, ut Divus Marcus reſcripſit: ſed ſuſceptam tutelam deſerere non poſſunt.* Poteſtatis vocabulum, in excellentiore ſignificatu, quandoque attribuitur magiſtratibus majoribus, qui imperium & poteſtatem habent, & tunc Ædiles, neque urbani, neque municipales, ſub eo continentur. Cicero in Verr. I. cap. 13. *Erit tum Conſul Hortenſius cum ſummo imperio & poteſtate; Ego au-*

autem Ædilis, hoc eſt, paullo ámplius, quam privatus. Sed cave Marcum hujuſmodi majores poteſtates hic intellexiſſe credas: cur enim Conſules aut Prætores excuſatione muniiſſet, qui inviti ad tutelam ſuſcipiendam cogi non poſſunt: & quis coëgiſſet? Par in parem, multo minus in ſuperiorem, imperium non habet: *nam magiſtratus ſuperiore aut pari imperio nullo modo poſſunt cogi*, inquit Paulus in *l.* 4. *D. de recept. qui arb.* Relinquitur ergo, ut de ſolis minoribus loquatur; idque vox *aliquam* indicat, quæ diminutionem quandam ſapere videtur, v. gr. cum Macer, in *l.* 3. *de leg. Jul. repet.* ait: *Lege Julia repetundarum tenetur, qui cum aliquam poteſtatem haberet, pecuniam ob judicandum acceperit.* & Modeſtinus in *l.* 16. *D. de pœn. In honore aliquo poſiti deportari ſolent.* Cicero in divinat. *Eſt tamen hoc aliquid, etiamſi non eſt ſatis.* Inter hos autem magiſtratus minores, excuſationem habentes, cenſebantur etiam municipales, auctore Modeſtino in *l.* 6. §. 16. *D. de excuſat.* ἀφίενται ἐπιτροπῆς καὶ κουρατορίας οἱ στρατηγοὶ τῶν πόλεων. vertit Auguſtinus: *Magiſtratus municipales tutela & cura vacant.* Unde Calliſtratus ex fori interpretatione concludit, Divi Marci reſcriptum ad Ædiles pertinere. Verba ejus in *l.* 17. §. 4. *D. de*

de excuſat. adſcribo : *Is, qui Ædilitate fungitur, poteſt tutor dari: nam Ædilitas inter eos Magiſtratus habetur, qui a privatis muneribus excuſati ſunt, ſecundum Divi Marci reſcriptum.* Quorum verborum ſenſus eſt iſte: AEdiles, ut alii omnes magiſtratus, teſtamento, vel a magiſtratu, etiam decreto Decurionum tutores dari poſſunt, *l.* 9. §. 1. *D. de tutor. dat. l.* 3. *D. qui petant tut.* hoc effectu, ut datio teneat, & ſi velint admittantur: ſin vero nolint, & intra legitima tempora excuſationem proponant, inviti non coguntur, remittuntur a tutela, & ſunt excuſati. Quare ſtatim adjicit in §. ſeq. 5. *Sane notum eſt, quod gerentibus honorem vacationem tutelarum concedi placuit.* AEdilitas autem, ut ſupra vidimus, honor erat haud poſtremus, et *Italus honor* diſerte a Perſio vocatur. Ait *gerentibus*: nam qui nunc tantum Decuriones, ſed olim magiſtratum, ſecundum ordinem albi, geſturi erant, privilegio excuſationis in præſens non fruebantur, auctore Ulpiano in *l.* 23. *D. eod. Propter magiſtratum, quem in municipio quis erat adminiſtraturus, tutelæ excuſationem non habere reſpondi.* Nec opus eſt, ut, particula *non* expuncta, *habere* ſcribamus, etſi variare Codices, Accurſio credimus. Hæc quoque de magiſtra-

ſtratuum, & inprimis Ædilium municipalium, excuſatione ſententia eſt Cujacii ad *l.* 2. *de excuſat. circa fin.* Petri Fabri ad *l.* 2. *de R. J.* & Joh. Voetii ad tit eund. n. 8. eamque variis argumentis confirmatum ivit Vir Cl. quem honoris cauſa nomino, Petrus de Toullieu in diſſert *de jure ſeſe a tutela vel cura excuſandi ob Magiſtratum.*

§. II. Videamus qua parte, quibusve rationibus, ab his diſcedant alii, magni etiam nominis Interpretes. Balduinus, Vinnius, Feltmannus aliique ad dictum §. 3. *Inſt. de excuſat.* plane contrariam ex ea *l.* 17. extorquent ſententiam, putantes Ædiles a tutelis immunes non fuiſſe. Et patrocinari his videtur Calliſtratus, in verbis prioribus; at cum illico idem ſubjicit, Ædiles excuſatos eſſe, incivile eſt, niſi tota lege perſpecta, ab una ejus particula judicare vel reſpondere. Pro iisdem militare videtur Modeſtini *l.* 15. §. 9. *D. eod.* ex qua ipſos Duumviros, principes civitatum, tutelæ obnoxios diſcimus: Ἐὰν ὁ τῆς πόλεως ἄρχων, τουτέστιν ὁ στρατηγὸς, διαπιπτούσης αὐτῷ τῆς χειροτονίας ὑπεύθυνος γίνεται κινδύνῳ ἐπιτροπῆς, ταύτην οὐ συναριθμήσει ἄλλαις ἐπιτροπαῖς. *Si magiſtratus civitatis, hoc eſt Prætor, obnoxius fuerit periculo tutelæ, quod in ipſum inciderit illius creatio, hanc tutelam non*

connumerabit cum aliis. Quo bonum enim quærere, an periculum tutelæ, ad quod ex creatione tutoris obligatus eſt Duumvir, inter tres tutelas non affectatas numeretur, ſi ſolus ei Magiſtratus excuſationem præſtat? Auguſtinus ait, fortaſſe hanc excuſationem Romæ eſſe allegatam, ut municipalis magiſtratus pro una tutela habeatur: ego malim hunc § ex §. 2. & 3. præcedente explicare, ut opus fuerit cauſa legitima, ſi quis a tutela filiorum Duumviri vel alterius magiſtratus ſe liberare velit; quod diſcrimen in Decurionibus ceſſat, *l.* 22. *D. de tut. & cur dat.* Hugo Donellus lib. III. comm. cap. 9. alia machina utitur, & noſtram *l.* 17. ad privata munera reſtringit, a quibus excuſati ſint AEdiles, non a tutela, quæ munus publicum eſt, §. 1. *Inſt. de excuſat. l.* 9. *D. de his qui ſui.* Qua in ſententia præeuntes ſequitur Græcos lib. XXVIII Baſiliκῶν tit. 1. οἱ ἀγορανόμοι ἰδιωτικῶν λειτȣργιῶν, ȣ̓ μὴν ἐπιτροπῆς ἀπολύονται. *Ædiles privatis muneribus, non tutela excuſantur.* Verum præterquam quod ridiculum dictu eſt, Divi Marci reſcriptum, quod de vacatione tutelarum fuit, Ædiles non a tutela, ſed ab aliis muneribus liberaſſe, omnes jam norunt, *placuiſſe,* tandem JCtis et Principibus, cum olim dubitatum eſſet, tutelam et curam

ram munus publicum eſſe, *pr. Inſt. de excuſat.* Sui natura vero eſt munus tantum civile, uti vocatur in *l.* 6. *§.* 15. *D. l.* 8. *&* 13. *C. de excuſat.* alibi a muneribus civilibus & honoribus diſtinguitur; quia excuſatio a tutela ſub generali vacatione munerum non eſt comprehenſa, *l.* 8. *§.* 1. *l.* 12. *D. de vac. & excuſ.* alibi Reipublicæ nihil, quod ad rem pecuniariam attinet, intereſſe dicitur, pupillis tutorem dari, *l.* 2. *§.* 5. *D. ad munic.* Contra publicum vocatur *l.* 9. *D. de his qui ſunt ſui l.* 17. *§.* 2. *&* 4. *D. de excuſ.* quia publica auctoritate cuivis e populo, etiam invito injungitur, & reip. intereſt orbos ac pupillos defendi, *l.* 2. *§.* 2. *D. qui petant tut.* Potuit etiam Calliſtratus munus privatum vocare, diverſa ratione, quia tutoris eſt defendere pupillum privatum, ejusque rem familiarem; certe munus reip. ei negatur, in *l.* 6. *§.* 15. *D. de excuſat.* cujus tamen commatis, inter media Græca Latine ſcripti, & forſan adulterini, ſententia non belle in libris vulgatis concepta eſt, adeo ut Auguſtinus, ad Modeſtinum, differentiam ibi propoſitam ſe non intelligere profeſſus ſit; Zoannettus vero cap. 10. Reſtitut. ex vetuſto ſuo Codice, pro *provinciale* legendum eſſe *patrimoniale* contendit. Atque ea, quæ hactenus ad *l.* 17.

diſputavimus, Scholiaſtes ibi non obſcure explicavit. *Magiſtratus civitatum*, inquit, *privatorum quidem munerum excuſationem habent; quamdiu ſunt magiſtratus, ſi nunc primum vocentur ad tutelam & nondum miſcuerint ſe adminiſtrationi: nam qui ante magiſtratum tutelam gerere cœperunt, nec tempore quidem magiſtratus deponunt eam.*

§. III. Illorum magis ferenda videtur ſententia, qui Ædiles quidem excuſatos eſſe agnoſcunt, ſed de quibus loquatur Juriſconſultus, inter ſe non conveniunt. Cujacius ad *l. 6. de excuſat.* Ædiles plebis intelligebat Romanos, cui calculum more ſuo adjecit Wiſſenbachius diſput. ad Dig. 52. num. 3. Contra Gothofredus, in notis, Ædiles municipales intellectos vult. Briſſonius lib. III. Antiq. cap. 10. amplianbum ſibi cenſuit, nec quo ſeſe verteret invenit. Ego vero non multum cauſæ video, quo minus Calliſtratum de utrisque, & urbanis & municipalibus intelligamus. Utrique enim poteſtatem habebant minorem, atque ex eodem Marci reſcripto, interpretatione Juriſconſultorum, vacationem conſequebantur. De municipalibus vero, ſi præcedentia conferas, hoc capite magis egiſſe Calliſtratus videtur; de iisdem quoque Divi Pii reſcriptum loquitur,

qui

qui poteſtatem aliquam habent, in *d. §. 3. de excuſat.* his enim vocibus proprie indicantur magiſtratus provinciales minores, qui a Magiſtratibus populi Romani, illisque, qui Reip. cauſa abſunt, & à majoribus poteſtatibus cum imperio crebro diſtinguuntur, in *l. 3. §. 1. D. quod met. cauſ. l. 4. §. 1. D. de interrog in jur. fac. l 15. pr. D. de re jud. l. 8. l. 12 pr. D. de accuſat. l. 3. C. Th. de ſuar.* Sueton. lib. I. c. 17. Lucan. lib. X. vſ. 136. Frontin. de colon. pag. 115. Sic Ulpianus Magiſtratus ab iis, *qui in poteſtate aliqua ſunt*, diſtinguit, in *l. 13. §. 1. D. de juriſd.* & Duumviris aliisque in municipiis poteſtatem tribuit *l. 52. §. 12. D. de furt.* Marcianus eos, qui Romæ cum imperio erant, in *Magiſtratu*, qui in provinciis, in *Poteſtate* eſſe dixit *l. 1. D. de leg Jul. repet.* Juvenal ſat. X. vſ. 100. *Fidenarum poteſtas.* Plin. lib. IX. cap. 4. *injuria Poteſtatum.* Sueton in Claud. cap. 23. *Juriſdictionem de fideicommiſſis quotannis in Urbe magiſtratibus delegari ſolitam, in perpetuum, atque etiam per provincias Poteſtatibus demandavit.* Salvianus lib. I. de gub. Dei *Dives poteſtas pauperem facit eſſe rempublicam.* Atque ita in hodierno idiotiſmo Italico, qui pagis juridicundo, vel urbibus cum imperio præſunt, *Podeſta* appellantur.

vid. Lipſ. de mag. pop. Rom. cap. 1. Spanhem. de præſt. diſſ. X. pag. 175. & Chimentell. de hon. biſell. cap. 4. Denique, ut revertamur, unde digreſſi ſumus, turpiſſime omnium ſeſe dedere, qui nodum neſcio quem Gordium hic ſibi fingentes, eum ſecare vi armata, quam ſolvere, effringere quam aperire maluerunt. Siquidem Julius Cæſar Bulengerus lib. VII. de imp Rom cap. 15. inſerta particula *non*, primam legis noſtræ partem in ſenſum contrarium vertit: *non poteſt tutor dari.* Contra Vertranius Maurus libro ſingulari de jure liber. cap. 18. & qui eum ſequitur Bachovius ad Treutl. vol. 2. diſp. 9. θ. 2. lit d. partem legis poſteriorem eadem particula emendat, legendo: *inter eos magiſtratus non habetur.* Sed apage hos, qui Ædiles tot oneribus preſſos, invita Themide, tutelæ oneri ſubjicere conantur! Apage manus iſtas infelices, quæ, cui nullum vulnus eſt loco cataplaſma imponunt. Non ita facile ad verba, veluti ad crines, aditus datur, & ut Strabo lib. I. Geogr. de Homerica lectione ait: τὴν μὲν οὖν γραφὴν οὐκ ἀνάκη κινεῖν παλαιὰν οὖσαν. *Scripturam non neceſſe eſt mutare, quæ antiqua eſt.* Et quomodo magis contraria eſſe poſſunt, quam eadem in re ajentia & negantia? Eleganter Auſonius Edyll. 17. vſ. 8.

Si

Si conſentitur, mora nulla, intervenit
Eſt, Eſt.
Sin controverſum, diſſenſio ſubjiciet, Non.

§. IV. Alterum quod habeo Ædilitatis privilegium eſt, quod qui in coloniis Latinis, aut Latii jure donatis, Ædiles facti, civitatem Romanam adipiſcebantur. Qui enim cives Romani in colonias Latinas migrabant, per mediam capitis deminutionem amittebant jus civitatis, ut ſcribit Cicero pro Cæcina cap. 33 quam ob cauſſam non poterant fieri Latini, niſi auctores facti eſſent, nomenque dediſſent; quia liberæ reip. temporibus civitas nulli adimi poterat invito, auctore eodem, pro domo cap. 29. Belle hoc Juſtinianus indicat, in *l un. C. de Lat. libert. toll. Cum enim Latini liberti ad ſimilitudinem antiquæ Latinitatis, quæ in colonias miſſa eſt, videntur eſſe introducti, ex qua nihil aliud Reipublicæ, niſi bellum acceſſit civile.* Spoliabantur ergo coloni Latini eximiis illis juribus, tam publicis, quam privatis, quibus cives Romani præ peregrinis ſuperbiebant; eisque negabatur tutela, connubium, patria poteſtas, teſtamentum, uſucapio, ſuffragium, ad honores aditus, in quo præcipuum jus civitatis erat ſitum. Hinc Latini in bello civili, cujus meminit Juſtinianus, *jus civitatis, partem imperii*

ac magiſtratuum poſcebant, apud Florum lib. I. cap. 14. & Plin. lib. VII cap. 43. *Fuit & Balbus Cornelius major Conſul, ſed accuſatus, atque de jure virgarum in eum, judicum in conſilium miſſus: primus externorum, etiam in oceano genitorum, uſus illo honore, quem majores Latio quoque negaverunt.* Cumque Porcia lex virgas & ſecures a civium Romanorum corpore abigebat, Latini iis erant ſubjecti. Salluſtius in Jugurth. *Turpillius juſſus a Metello cauſſam dicere, poſtquam ſe parum expurgat, condemnatus verberatusque pœnas capite ſolvit: nam is civis ex Latio erat.* Idem ex Marcelli contumelia in Cæſarem cognoſcitur, qui civem ex urbe, jure Latii ab hoc donata, & Magiſtratu functum virgis in foro pulſavit; quæ pœna civi Romano, quantumvis ſonti, haud unquam infligebatur. Plut. in Cæſ. Appian. lib. 2. B. C. At vero, ne omnino Latini aut coloniæ Latii jure donatæ a civitate excluderentur, modi quidam placuerunt, quibus, velut per januam, optimum jus civitatis ipſis pateret: *quibus per Latium civitas Romana patuiſſet*, ait Plin. Pan. cap. 39. Modos illos plures fuiſſe, argumento eſt, quod liberti Latini Juniani, imitatione colonorum, jus Latii habentium, beneficio Principali, liberis, iteratione, mili-

militia, nave, ædificio, piſtrino, & ſi mulier ter enixa jus Quiritium conſequuti leguntur, apud Ulpian. tit. 3. Ipſis autem ſociis ingenuis per honores, in colonia vel municipio juris Latii geſtos, præter cenſum & migrationem, maxime aditus fuit ad jus civitatis, uti Paulus Manutius de LL. Rom. cap. 11. & Carolus Sigonius lib. I. de antiq. jur. Ital. cap. 4. & lib. II. cap. 3. ex Appiano docuerunt: is enim lib. II. Bell. civ. pag. 443. ita ſcribit: *Cæſar Novum-comum condidit ſub Alpibus, donavitque jure Latii, hoc eſt, ut qui annuum magiſtratum ibi geſſiſſet, haberet in Urbe jus civium.* Accedit Aſconius in comment. Piſonianæ, de Transpadanis: *Cn. Pompejum Transpadanis coloniis jus dediſſe Latii, ut poſſent habere jus, quod ceteræ coloniæ Latinæ, id eſt, ut petendi magiſtratus gratia, civitatem Romanam adipiſcerentur.* At quinam fuerunt illi magiſtratus? Duumviratus, Quæſtura, & cum maxime Ædilitas. Hujus enim nominatim meminit Strabo lib. IV. p. 186. *Caput Arecomicorum eſt Nemauſus, longe inferior Narbone, ſi peregrinam & negotiantium turbam conſideres: ſin rempubl. ſpectes, multo præſtantior: nam XXIV. habet pagos popularium præſtantes viris, qui ei ſubſunt, & jus quoque Latii habent: ita ut Nemauſi*

invenias cives Romanos, qui AEDILITATIS & Quæſturæ honorem ſint conſecuti. Idem confirmat ampliſſima inſcriptio Tergeſtinæ civitatis apud Gruter. 1. p. 408. in ſtatua aurata equeſtri, Fabio Severo poſita, quod is feliciter coram Antonino Pio egerat & impetraverat VTI. CARNI CATALIQ. ADTRIBVTI. A. DIVO. AVGVSTO. PIO. REIP. NOSTRAE. PROVT. QVI. MERVISSENT. TALIA. ABSQ. CENSV. PER. AEDILITATIS. GRADVM. IN. CVRIAM. NOSTRAM. ADMITTERENTVR. AC. PER. HOC. CIVITATEM ROMANAM. ADIPISCERENTVR. P. Irenæus a Cruce lib. II. Hiſt. Tergeſtin. cap. 8 ex hoc titulo conjecit, Severum obtinuiſſe, uti colonia Tergeſte iisdem privilegiis, quibus Catali & Carni, frueretur: quum e contrario his populis permiſſa fuerint jura & prærogativæ Tergeſtinorum, ut recte vidit Philippus a Turre de colonia Forojulienſi, ubi ſimilem Tudertinorum fortunam, ex Aggeno Urbico de limit. agror. pag. 58. edit Goeſii, refert: hi enim *apud Principes egerunt, ut Faneſtres incolæ, ſi eſſent alienigenæ, qui intra territorium incolerent, honoribus fungi in colonia non deberent: ſed Faneſtres hoc poſtea impetrarunt, ut eis liceret fungi.* Simili igitur privilegio

gio Carni & Catali, populi ad Formionem amnem in Transpadana Italiæ regione habitantes, per AEdilitatem in colonia Latina Tergeſte geſtam, civitatis Romanæ participes facti ſunt, quæ non niſi rarenter & ſummo beneficio olim dabatur. Sed illud erat, ut dixi, Latii privilegium, quod etiam Plinius in paneg. laudat, ubi de tributo viceſimæ cap. 37. *Hæc manſuetudo legis veteribus civibus ſervabatur: novi, ſeu per Latium in civitatem, ſeu beneficio Principis veniſſent.* Quamobrem, præter alia, toties jus Latii civitatibus datum accepimus. Tacitus l. XV. Ann. c. 32. *Cæſar nationes Alpium maritimarum in jus Latii tranſtulit.* & III. Hiſtor. c. 55. Vitellius *fœdera ſociis; Latium externis dilargiri.* Suetonius in Auguſto c. 47. *Urbium quasdam, merita erga populum Romanum adlegantes, Latinitate vel civitate donavit.* Plin. l. III. c. 3. *Univerſæ Hiſpaniæ, Veſpaſianus Imperator Auguſtus, jactatus procellis reip. Latii jus tribuit.* Hadrianus denique *multis civitatibus Latium dedit*, auctore Spartiano c. 21. Verum de his jam ſatis eſto.

Quod dixi minus, id omnes ſacile viderint.

FINIS.

INDEX I.

Legum illuſtratarum & emendatarum.

EX INSTITUTIONIBUS.

§. 4. de Attil. tut. 444
§. 3. de Excuſat. 494 501
§. 7. de Teſtament. 155

Ex PANDECTIS.

l. 2. §. 21. de Orig. jur. 113
l, 32. de Legib. 450
l. 4. de Rer. div. 40
l. 1. §. 12. de Off. Præf. urb. 369
l. 3. de Off. Præt. 161
l. 4. de juriſd. 443
l. 12. eod. 470
l. ult. eod. 483
l. un. pr. ſi quis jus dic. 463
l. 4. §. 2. de His qui not. 322 477
l. 22. eod. 475
l. 3. Quod cuj. univ. 274
l. 3. pr. de Minor. 64
l. 10. Ex quib. cauſ. maj. 481
l. 48. de Judic. 55. 465
l. 15. §. 2. de Rei vind. 9
l. 4. §. 1. Fam. erciſc. 228
l. 20. Comm. div. 468
l. 17. de Compenſ. 259 357 363
l. 20. eod. 343 360
l. 71. Pro ſocio 192
l. 52. de Contrah. emt. 306
l. 12. de Peric. & comm. 331 465
l. 13. §. 6. de Act. emti 334
l. 13. §. 8. Locati. 348 466
l. 30. §. 1. eod. 280 319
§. f. eod. 38
l. 11. de Evict. 9
l. 1. de Tutel. 109
l. 3. de Tut. dat. 441
l. 6. §. 1. de Excuſat. 185
§. 2. eod. 179 184 209
§. 8. eod, 172 205
§. 12. eod. 214
§. 15. eod. 499
§. 16. eod. 495
l. 15. §. 6. eod. 223
§. 9 56 497
l. 17. §. 4. 5. eod. 496
l. 30. de Acq. vel om. her 65
l. 117. de Leg. 1. 394
l. 122. eod. 293 398
l. 30. de Leg. 2. 335
l. 35. de Leg. 3. 316
l. 54. eod. 394
l. 55. §. 5. eod. 320 321
l. 23. de Ann. leg. 394
l. 16. de Uſu & uſ. leg. 399
l. 20. §. 3. de Inſtr. vel inſtr. 38
l. 14. §. 1. de Alim. & cib. 293
l. 46. de Damn. inf. 308
l. 27. de Donat. 184
l. 41. §. 17. de Fideic. lib. 126
l. 2. §. 24. Ne quid in loc. publ. 325
l. 2. de Loco publ. fru. 337
l. un. de Via publ. 122 326 462

l. 15.

l. 15. §. 29. de Injur. 413
l. 3. §. 5. de Sep. viol. 32 451
l. 8. ad Leg. Corn. de falſ 158
l. 1. de lege Jul. de amb. 408
l. 6. §. ſin de Poen. 158
l. 28. §. 3. eod. 369
l. 12. de Appellat. 144
Rubr. tit. Ad munic. 32
l. 1. eod. 39
l. 21. pr. & §. 6. eod. 157 342
l. 26. eod. 443
l. 27. §. 1. eod. 37
l. 29. eod. 441
l. 35. eod. 308
l. 3. de Decurion. 218
l. 3. §. fin. eod. 217 252 265 269
l. 6. §. 5. eod. 150
l. 7. §. 2. éod. 145 268
l. 8. eod. 396
l. 11. eod. 273
l. 12. eod. 411 471
l. 1. de Albo ſcrib. 426
l. 9. de Mun. 165
l. 11. eod 148
l. 18. §. 7. & f. eod. 204 341
l. 3. de Decret. ab. ord 274
l. 2. & 3. de Oper. publ. 338
l. 1. §. 3. de Var. & extr. cogn. 195 228 231
l. 1. de Cenſib. 159
l. fin. eod. 102
l. 18. de Verb. ſign. 13
l. 131. §. 1. eod. 461
l. 167. eod. 321
l. 233. eod. 389
l. 239. §. 5. eod. 136
§. 8. eod. 482

Ex CODICE.

l. 1. de Epiſc. aud. 341
l. 14. de Adv. div. 170
l. 1. de Nat. lib. 427
l. 4. eod. 156
l. un. de Lat. lib. toll. 12. 503
l. 2. de Ædif. priv. 306
l. 25. de Donat. 267
l. 8. C. Th. eod. 131
l. 5. de Cuſtod. reor. 410
l. 2. de Poen. 158
l. 18. de Decurion. 279
l. 33. eod. 60
l. 56. eod. 152
l. 59. eod. 57
l. 21. C. Th. eod. 480
l. 174 C. Th eod 486
l. 176. C. Th. eod. 380
l. 2. ſi ſerv. aut lib. 153 411
l 3. de Prof. 188
l. 1. de Solut. deb. civ. 276
l. 1. dé Spectac. 373
l. 22. C. Th. de tiron. 166
l. 1. C. Th. de habitu, quo uti op. 423
l. 19. C Th. de ſuſc. 350
l. 3. C. Th. de Judæ. 152

E NOVELLIS.

Nov. 6. 385
Nov. 38. 48
Nov. 118. 385

INDEX II.

Auctorum, qui explicantur, vindicantur vel refelluntur.

A.

AEzema. 31
Alciatus. 56 253 267 278 364
Ammianus. 102 146 133 331
Apulejus. 143 344 406 455 460 466 478 486
Ariſtophanes. 473
Arnobius. 263 388
Auctor librorum Regum. 25
Maccab. 74
Auctores rei agrariæ. 4 42 333 357 431 459
Auſonius. 68 140 313 446 485
Auguſtinus Anton. 198 209 498

B.

BAlduinus. 270 497
Baronius. 103
Baſilica. 118 130 135 168 180 196 463 475 498
Berterius. 283
Brito. 441
Budæus. 82 359 469
Bulengerus. 284 485 502

C.

Cæſar. 57 151 438
Capacius. 66 424
Caſaubonus. 393 488
Cenſorinus. 143 392
Cellarius. 43
Chifletius. 148 314 425
Chimentellius 302 446
Cicero. 64 93 121 137 159 280 300 336 342 371 378 398 407 425 431 449 450 469 487
Corradinus. 284
Cujacius 128 133 196 446 500
Cyprianus. 28

D.

DOdwellus. 60
Donellus. 365 498
Dionyſius Halic. 14 27 112 468
Duarenus. 365

E.

EnnodIus. 171
Ennius. 108

F

FAber. 151
Ferrarius. 420
Feſtus. 21 106 298 381
Florus. 68 507
Fontaninus. 275
Freherus. 228
Frene. 65 365

G.

GEllius. 3 26 29 46 52 317
Gentilis Scipio. 56 68 131 138 439
Gothofredus Dionyſ. 276 341
Jacobus 103 329
Gronovius. 179
Grotius. 179
Gudius. 389
Guntherus. 70

H.

I N D E X II.

H.

Harduinus. 283 485
Heraldus. 186
Hiſtoriæ Aug. ſcriptores 9 127 132 149 206 209 256 292 294 306 324 333 335 366 393 426 437 448
Horatius. 342 353 397 407 475 487
Hotmanus. 65 151

I.

Inſcriptiones 5 10 65 66 87 100 118 125 141 147 167 225 246 251 275 282 288 292 294 296 326 351 354 376 381 382 386 389 395 411 414 426 447 506
Johannes Euangeliſta. 459
Juſtinus. 322
Juvenalis. 233 245 250 319 379 395 404 420 424 429 467

L.

Lactantius. 323
Laërtius. 129
Libanius. 484
Lindenbrogius. 392
Lipſius. 282 349 424
Livius. 50 351 383 418
Lucanus. 10 432
Lucas in Actis 23 438 458 471 472 484
Lycklama. 364

M.

Machiavellus. 7
Manutius. 276
Martialis. 405 477 485
Maurus. 502
Merillius 158 121
Meurſius. 83

N.

Nehemias Propheta 333
Noriſius. 88
Nummi. 6 55 66 99 102 248 267 314 355 375

O.

Olearius 206
Ovidius. 29 144 189

P.

Pancirollus. 123
Paulus Apoſtolus ad Rom. 123
ad Corinth. 254 472
ad Philipp. 18
ad Hebræ. 477
Perrenonius. 464
Perſius. 88 393 409 467
Petitus. 82 176 179 421
Petronius. 346 409 419 449 451 481 486
Plinii. 67 143 162 254 310 312 337 371 374 399 404 438 485

Q.

Quintilianus. 107 190

R.

Rævardus. 317 359 468
Ranchinus. 469
Reineſius 62 66 439
Rittershuſius. 391
Robertus. 364
Rutilius. 14 213 251

S.

Salmaſius 323
Scaliger. 65 284 349 469
Schilterus 359
Schurzfleiſch. 278
Seneca 24 137
Servius. 5 294 334
Sigonius. 24 26 31 442
Spanhemius. 39 99 199 376
Sponius. 202
Statius. 421
Stephanus 121
Strabo. 16 28 68 98 505
Suetonius. 275 447 473

T.

Tacitus. 42 60 266 404 421 438 483
Tertullianus. 18 257 259
Tibullus. 89
Torrentius. 413
Turnebus. 284 291 469 488

V.

Valeſius. 139
Vaillantius. 55
Varro 109 110 348 416 476
Vellejus Paterculus. 6
Velſerus. 62 66 420 425
Victor. 291
Villalpandus. 354
Virgilius. 47 49 311
Ulpianus ad Demoſth. 133
Urſatus. 290
Vulpius. 277 432 488
Wiſſenbach. 472

Z.

Zamoſcius. 470

INDEX III.

Rerum memorabilium.

A.

Acta purgationis Felicis. 103 Advocatorum laus. 170 præmia & honores. 171

Ædificia magnifica coloniarum. 306 eorum leges. 307

Ædiles unde dicti. 106 differunt ab æedituis. 109

Ædiles Magiſtratus unde dicti. 111 Græcis Agoranomi. 117 rarius Aſtynomi. 120 Indorum. 78 Ætolorum. 80 Lacedæmoniorum. ibid. Corinthiorum. 81

Ædiles municipales. 85 in Campania. 86 Hetruria. ibid. Latio. 87 Sicilia. 92 Gallia. 97 Hiſpania. 98 Africa. 102 Aſia. 101

Ædiles lecti ex ordine Decurionum. 145 ejusque decreto. 274 quandoque ex lege municipali vel à Principe. 275 ex viris ditioribus & honoratis. 412

Ædiles differunt à curatoribus, Patribus & Logiſtis civitatum. 128 ab Arcariis. 123 à Decemprimis. 149 in præfecturis ignobiliores. 297 in oppidulis Duumviris ſimiles 432 nullibi iis ſuperiores. 424

Ædiles habuerunt jurisdictionem. 442 ſine imperio pleno. 443 judicarunt ſecundum Edicta Ædilium Curulium Romanorum. 452 455

Ædiles judices lenonum 312 coërcebant levia crimina. 458 multam dicebant. 461 pignora capiebant. 463 poſita in via conſcindebant. 465 merces inutiles jactabant 466 frangebant menſuras iniquas. 467 cædebant flagellis. 472 multabant piſtores, caupones. 476 piſcatores 478

Ædiles curabant ædes privatas, publicas 305 & ſacras. 313 opera publica. 308 312 balnea. 317 vias publicas. 323 325

Ædiles operibus ære ſuo exſtructis nomina inſcribebant 337 præerant annonæ & frumento 344 345 menſuras & pondera examinabant. 347 dabant ludos. 374 ſeq. epulum. 394 ſacra curabant. 381 & ſacerdotibus præfecti. 382

Ædilium alii alimentarii. 290 curiales. 295 Cereales. ibid. plebeji. 296

Ædilium neceſſitas. 77 numerus. 276 annuum munus. 280 dignitas. 411 ambitio. 408 poteſtas. 460 privilegia duo. 493 excuſatio a tutelis. 494 veſtigia Venetiis & Patavii. 296 nomina hodierna. 78

Ædilitas gradus ad altiora. 148

Ædis pro ædes. 106

Æditui munus. 110

Ægyptia ſacra Romæ. 243

Affectare. 259

Ἀγορανόμοι 80 117 118

Aidilis pro Ædilis. 107

Ἅιρεσις, conditio 179

Albati die feſto. 380
Alexander Severus cur faverit Chriſtianis. 271
Alimentarii Ædiles. 290 pueri & puellæ. 291
Amphitheatra in Gallia, Italia &c. 372
Anactæ. 57
Annonæ præfecti varii in municipiis. 340 362
Anni municipiorum varie computati 143
Annuus Magiſtratus melior perpetuo. 280
Aratrum in urbibus condendis. 5
Arcarii Romæ. 126 coloniarum. 127
Arces capitolia dictæ. 311
Archiatri 196
Archiepiſcopi ſepeliuntur cum pallio. 419
Archontes. 55
Arpinum an præfectura. 300
Arretium & Eretum confuſa 89
Athenienſium Aſtynomi 81 Agoranomi. 82 horum numerus & munera. 84
Auguſtales. 23
Auguſtus colonias duxit plurimas. 11

B.

Bacillus albus cur præferatur Conſulibus Colonienſibus 490 ejus uſus apud gentes. 491 inſigne jurisdictionis. 492
Balnea inter loca Ædilem metuentia. 322 illorum frequentia & neceſſitas 315 celebriora Italiæ. 316
Barbarius Philippus. 161
Berytus legum nutrix. 214
Betula virgis apta. 485
Biſellium. 416
Biga duumviralis. 415
Boſtra civitas. 156
Burgundio an Bulgarus verterit Græca Modeſtini. 175

C.

Cædere pignora. 470
Cæſar deus. 391
Calaguris an Naſsica. 98 376
Campanorum varia conditio. 40 magiſtratus. 51 agri. 346
Campus Martius in municipiis. 310
Capreates. 40
Capitolia coloniarum. 311
Capitolini magiſtratus. 419
Capua vetus unde dicta. 39 Romæ æmula. 50 ſuperba. 449 487
Carthago Romæ æmula. 50 prima colonia. 52
Caupones lenones 477
Celſus medicus. 199 JCtus. 203
Cenſores municipales. 72 miſſi Roma in provincias 285
Cenſus decurionum. 147 ejus profeſſio ubi 286
Cereales Ædiles. 295
Cerix. 54
Cervix reſupina 410
Chriſtiana religio ſuperſtitio dicta a Romanis. 254
Chriſtiani in pœnam curiis addicti. 155 ad Ædilitatem coacti. 258 horrebant Romanorum cultum. 260 ludos. 261 ſpectacula. 263 a Judæis diſcreti. 256 triſtis eorum conditio. 257 224
Civitates abuſive reſpublicæ dictæ. 49 403 earum diſcrimi-

mina. 210
Civitatis Romanæ jus patuit. 20 per Latium. 504
Circumforaneus. 197
Circuitor, circumire. 200
Clodii ædilitas. 93
Colonia quid, & unde dicta. 3. 4 pro habitatione. 38
Coloniæ variarum gentium. 25 urbem matrem inſtar parentis coluerunt. 27 Romanæ militares vel paganæ. 11 Latinæ vel civium Rom. 12 urbis ſimiæ. 45 vocantur municipia. 33 a quibus differebant. 20 donec diſcrimen deſiit. 38
Coloniæ nobiliores municipiis. 33. ſervabant ſacra P. R. 22 Leges accipiebant a Rep. 28 451 quandoque proprias condebant. 29
Coloniarum ſymbola. 4 multitudo. 6 juſtitia & varia utilitas. 8
Colonia Agrippina cur ſecunda Roma dicta. 490
Commune Aſiæ. 184
Conventum agere. 438
Conſul unde dictus. 64 pro quovis magiſtratu. 70
Conſularis poteſtas minuta ſub Impp. 63
Conſulares Italiæ. 437
Copiarum vox caſtrenſis. 343
Corinthiorum magiſtratus. 58 81 templa. 313
Crimina graviora per Italiam quis vindicarit. 456
Curatores annonæ. 342 diverſi ab Ædilibus. 362
Curatores reipublicæ Ædilium ſæpe adjutores. 128 308 343 non erant Magiſtratus. 131 neque habebant jus multæ. 132 varia illorum genera. 134
Curiæ vacuæ. 156 398

D.

Decaproti 151
Decemprimi. 149 varie appellati. 151
Decuriones a decuriis dicti. 139 Senatoribus Rom. ſimiles. 60 140 diſtincti a plebe. 141 ad honores adſcendebant. 142 tempus, quo lecti varium. 143 a quibus conſtituti. 141 prætextati. 157 graruiti. 158 non torquentur, neque deportantur a Præſide. ibid.
Decurionum cenſus. 147 dignitas. 158 onera. 155 privilegia. 158 nobilitas. 159 ordo Sanctiſſimus, Splendidiſſimus. 159 quinam ab eo excluſi. 160 ſcita Senatusconſulta dicta. 60 varia illorum nomina. 151
Defenſores civitatum quando inſtituti. 283 ubi ſoli. 308
Demarchi. 56
Dendrophororum collegium. 318
Dictator municipiorum. 72
Dilectus. 468
Dii municipales. 22
Divi Impp. an vivi. 266
Diviſiones. 394
Doctores artium Romæ honorati. 204 in municipiis & coloniis immunes ab ædilitate. 209 illorum ſtatutus numerus. 212
Duumviri conſulare nomen affectabant. 61 cum Conſulibus comparati. 63 Procon.

ſules dicti. 69 ſupra Ædiles. 226 ſummi magiſtratus. 427 an Romæ confirmandi. 275 leviora coërcebant crimina 458 noxios modice caſtigabant. 470

E.

EBoracum colonia 36
Edicta Impp. viaria. 324 alia curam ædium ſpectantia. 307 generalia in municipiis & coloniis obſervata. 451 453 provincialia differebant ab urbanis. 454
Editus buum pro lignis. 321
Edilis. 114
Edilis caſtrorum 365
Edulitas. 365
Empelori Lacedæmoniorum. 80
Epiſcopi annonæ curatores. 341
Ἐπιςαθμία. 176
Eretinæ teſtæ. 91

F.

FAmiliæ Romanæ ex municipiis. 17. & contra in coloniis Romanæ 20.
Faſces magiſtratuum. 485
Feudorum origo. 9
Flagella Ædilium. 473
Forum agere. 438
Fuſtium pœna an inurat infamiam. 475

G.

GEnii coloniarum. 23
Gradus honorum. 148 427
Grammaticorum laus & utilitas. 189 honores. 192 merces. 193 tria genera. 190 immunes ab Ædilitate. 192 non Grammatiſtæ. 191

H.

HAdrianus artium magiſtris dedit privilegia. 205
Hannibal dictator & Conſul Carthaginienſium. 52
Herbulæ pro lignis. 320
Hiſpalis colonia Romula dicta. 47
Honor pro Magiſtratu. 88 Ædilitius. 411
Hypomnematographi. 57

I.

IMperatores Duumviri. 96 ſtudiorum nutritores. 203 peregrinantes per provincias ludos dabant. 373
Imperium merum Duumviris negatum. 458
Incrementa. 294
Indorum AEdiles. 78
Infrequentia curiæ. 274
Inſignia AEdilium. 480
Judæi tolerati Romæ & in provinciis. 246 ſoluto cenſu. 248 ridiculi & inviſi. 249 decuriones in provinciis. 251. non vero gerebant AEdilitatem. 152
Judæorum religio Romanis ſuperſtitio. 238 ridicula & vana viſa. 244 varia fortuna ſub Principibus. 235 247 convitia in eos. 249 honores. 251 Magiſtratus an habuerint imperium. 459
Julianus ſtudiorum Magiſtros quare a ſe voluerit probari. 208
Jura Romæ diſcenda. 213

Juris-

Juriſconſulti proprietatis verborum ſtudioſi. 37 & linguæ Græcæ. 173 a Stoicis imbuti, quos riſerunt. 353 eorum rationes non adæquatæ. 360
Juriſdictio magiſtratuum ad certam ſummam. 444
Juſtinianus divus dum vivus. 267

K.

KAlendarium municipale. 143
Κληροὶ ἱππικοί. 10

L.

LAtii jus. 12 450 505
Latinæ vocis honos ubivis. 116
Laurentum ſocietas. 168
Lavatio gratuita. 319
Legata ad ludos relicta. 399
Legio fulminatrix. 268 Thebæa. 269
Legitimatio per oblationem curiæ. 157
Lex colonica. 27 38
Carſeolana. 29
Tuſculana. 30
Municipalis. 31 275
Alimentaria. 291
Mamilia. 441
Libri improbatæ lectionis. 228 Chriſtianorum combuſti. 232
Lictores ædilitii. 481 apparebant cum virgis. 484
Ligna cocta. 321
Lixæ AEdilium. 480
Logiſtæ 129
differunt ab Agoranomis. 135
Ludi Gladiatorii, Circenſes & Scenici in municipiis 368 dati à Principibus, Magiſtratibus & privatis. 373 præcipue ab AEdilibus. 374 in honorem Deorum. 378 & Principum. 386 die eorum natali. 387
Ludi quoſdam ædiles ornabant ſtatuis. 395 alios ad inopiam redigebant. 396 pleroſque ab hoc munere deterrebant. 398
Luperci. 22

M.

MAgiſterium pro magiſtratu. 406
Magiſtratus municipales a decurionibus diverſi. 146 annui. 279 varii generis. 308 habebant juriſdictionem. 440 non vero tribunal. 445 neque imperium plenum. 443 erant ambitioſi. 407 a Romanis ſpreti. 405 an immunes a tutela. 494
Magiſtratuum imperitia. 220 municipalium inſignia. 480 an faſces illis prælati. 486
Magiſtratus provinciales dicti in poteſtate eſſe, & urbanis oppoſiti. 501
Mamæa Severi mater an Chriſtiana. 270
Medixtuticus Conſul Campanus. 50
Medici ἰατροί. 195 περιοδευταί. 196 199 clinici. 200 an ſervilis conditionis apud Romanos. 202 excuſati ab ædilitate. 195 auricularii, ocularii, vel alterius partis corporis. 195 eorum laus & honor. 194
Menſuræ exactæ. 349 diverſæ. 356 fractæ. 467
Μετρονόμοι Athenienſium. 347
Militiæ togatæ & ſagatæ comparatio. 170

Militum privilegia. 169
Modeſtinus græce doctus. 173
Modius ædilitius. 351
Mœnia lignea. 333
Motus judicis. 468
Multandi poteſtas Ædilibus aſſerta. 461
Municipia. 13 quando enata. 14 primum ſine ſuffragio. 15 quod poſtea adepta. 16 ſacra ſua retinebant. 21 & leges proprias vel adoptatas. 30 quædam mixto jure uſa 453
Municipales nomina Magiſtratuum Rom. affectabant. 58 eorum ordo ſæpe Senatus dictus. 59 & ampliſſimus. 61 tunicati. 420 habebant jus togæ. 421 quam Romam euntes ſumebant. 422
Municipalia ſordebant Romanis. 402. 404
Muſarum ſedes in provinciis. 212

N.

NArbo Martius. 309. 313. 317. 355. 485
Natalis Principis varius. 387 Cæſaris. 389 an eo victima mactata. 392
Neapolis Græcæ originis, an colonia Rom. 119 Deus ejus patrius. 22
Neceſſitates. 252
Neocorus. 109. 386
Nomina manent eadem mutata re. 123

O.

OEconomi Græcorum diverſi ab ædilibus. 123 illorum munus. 124
Olearii. 340
Olympiades. 384
Opera publica in municipiis celebria 309 exſtructa ſumtibus Principium. 332 è vectigalibus. 334 & liberalitate privatorum. 335
Ordo Decurionum cum Senatu comparatus. 140 ampliſſimus, ſplendidiſſimus. 150
Ornamenta Ædilitia. 414 & duumviralia data honoris cauſa. 415

P.

PAnnoſus Ædilis. 424
Papiniani fragmentum de via publica. 326 illuſtratur. 331 ejus tempore cura annonæ Ædilium in urbe reſtricta. 358
Pantheon municipale. 309
Parochi quales. 342
Paſſer marinus. 391
Patres civitatum. 129
Philippi colonia. 19. 472
Philoſophorum laus & honores 178 Sectæ. 179 raritas. 180. immunitas ab ædilitate. 181
Piſcatorum apud Athenienſes improbitas. 478
Plebs municipalis. 140
Poëtæ ab Ædilitate non immunes. 188
Πολίτευμα. 18
Pompa Ædilitia. 380
Pondera publica Romæ. 350 in municipiis. 351 inter ſe differebant. 356
Populum fundum fieri. 30
Poſtulatio popu'i 144
Poteſtas quibus tributa. 494 Magiſtra-

gistra-

giſtratuum. 430. 501 poteſtas aliqua pro minore. 495
Præfecturæ. 298 municipia dictæ. 301 ſublatæ. 302
Præſides cenſum egerunt. 385 & jus dixerunt in provinciis. 437 merum eorum imperium. 458
Prætexta municipalis. 417 in ea cremabantur. 418
Prætores in municipiis. 72
Prætoria urbium. 448
Principales civitatum. 152
Principes Rom. jus dixerunt in municipiis. 438
Principes viri Duumviri. 96
Proagus. 56
Proconſulum officium deſcripſit Ulpianus. 219 juriſdictio & imperitia. 220 edicta exemplo ſæpe Prætorum Rom. 454
Profeſſores à Principibus probati. 208 Juris, in provinciis pauci. 213 Berytienſes immunes ab ædilitate. 215 & ceterarum artium. 177 eorum ſtipendia. 183
Prunæ batillus. 487
Prytanes. 54
Pſeudophiloſophi. 180
Puteolanorum varia fata diſtincta. 41
Publicani ex ordine equeſtri. 413
Pytheæ Ædilis judicium. 455

Q.

QUæſtores in provinciis præfecti balneis. 318
Quatuorviri in Coloniis & municipiis. 276 ædilitiæ poteſtatis. 278
Quinquennales civitatum Cenſores, diverſi ab Ædilibus. 285 quandoque horum munera conjuncta. 287 recurrente luſtro creati. 288 primum locum tenebant in municipiis. 428 fabrorum Oſtienſium. 288
Quinquennalia. 289

R.

RHetores Profeſſores. 182 illorum præmia magna. 183 ab ædilitate immunes. 184
Romani prudentes. 13 ſuperſtitioſi. 241 ambitioſi. 402 municipalia parvi pendebant. 404 Magiſtratus municipales vocabanr magiſtros. 405

S.

SAcerdotes provinciarum ab ædilitate liberati, 165 Duumvirales. 166 minores municipales immunes. 167 varia eorum genera. 168
Sacerdotii petendi tempus Romæ non definitum. 383 ſicut apud Hebræos & Chriſtianos. 385
Sacra municipiorum. 21 coloniarum. 25
Scribæ ædilium municipalium. 336
Scribarum ordo Romæ honeſtiſſimus. 412
Scriniarius. 125
Sectæ Medicorum & Rhetorum. 180
Secures liberarum civitatum. 484
Sella curalis municipalibus nulla,

la. 295. 415
Senatus elogia. 61
Senatuſconſulta ad ædes pertinentia. 306
Servi ad honores contendentes puniti. 162
Severus & Antoninus Divi. 265 an faverint Chriſtianis. 270
Siculi trilingues. 116
Sitonæ. 340
Sophiſtæ an differant a Rhetoribus. 186
Spectaculorum fœditas. 262
Splendidiſſimæ coloniæ. 159. 309
Stationes municipiorum Romæ. 438
Statores Ædilium municipalium. 481
Statuæ ædilibus poſitæ. 395 municipales. 310
Στρατηγοὶ municipales. 74 Græcorum. 73
Stradigo, Stratego Meſſinenſis. 75
Sumtus in opera publica unde. 332
Superſtitio. 236. 241
Supini ὑψαύχενες (ſic leg.) 409
Suffetes Carthaginienſium. 52 unde dicti. 53
Symbola in titulis. 352

T.

TAbernarii lenones. 477
Taurus & vacca cur in urbibus condendis. 5
Templa dæmonum delubra. 260 coloniarum magnifica. 313
Territorium unde & quid dicatur. 482
Theatra municipalia. 370. 372
Τιμοῦχοι Maſſilienſium. 57
Toga prætexta ædilitiæ dignitatis inſigne. 417
Togarum uſus rarior in provinciis. 421 etiam Romæ ſub Impp. 422
Tribunal majorum magiſtratuum. 445 abuſive municipalium. 448
Tunica municipalis. 421
Tutela an ſit munus publicum, an privatum, an civile. 499
Tyriorum dii. 240

V.

VEctigales agri. 334
Vatillum. 487
Venatio paſſeris. 392
Verus & Severus mutantur. 268
Vergobretus Heduorum. 57
Veterani agros accepere. 9 ab ædilitate immunes. 169
Viarum cura in municipiis. 324
Vilitas. 366
Virgarii. 491
Ulpiani laus. 219 honores. 222 an fuerit oſor Chriſtianorum. 227 pronior erga Judæos, quam Chriſtianos. 232 Libri tertii de off. Proconſ. materia diverſa à lib. VII. 223
Ulubrarum oppidum habitatoribus vacuum. 431
Urbs dicta à ritu, quo condebatur. 5 urbes Roma antiquiores. 105
Utenſilia. 476

X.

XEnoparochi. 342

FINIS.

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

Do not remove the card from this Pocket.

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File."
Made by LIBRARY BUREAU